



27a-8-42

~~27a-8-42~~ 27a-8-42


~~27a-8-42~~

Microfilm


Acuña



3
21-149



38
289



GERARDI IOANNIS VOSSI
COMMENTARIORVM
RHETORICORVM,

*Auctoris primus
natus*

P2-13. 250


SIVE

ORATORIARVM
INSTITVTIONVM

Libri sex,

*Ita tertiâ hac editione castigati, atque aucti,
ut novum opus videri possint.*


*Ala libreria del Sr. D. Diego de S. Juan de Vique
de Granada.*



DE LA LIBRERIA
DEL REAL COLEGIO MAYOR
Reunido de Santa Cruz, y
Santa Catalina.
H. 10. C. 14. N. 14.

LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Officinâ IOANNIS MAIRE.
C10 I0 CXXX.





ILLVSTRISSIMIS
HOLLANDIÆ
WEST-FRISIÆQVE
ORDINIBVS.
DOMINIS POTENTISSIMIS,

GERARDVS IOANNES VOSSIVS
DEDICAT CONSECRATQVE.



TANTA est laus ac gloria vestra, maxi-
mi ac sapientissimi PROCERES, ut nul-
la penè orbis regio sit, quò non per-
vaserit fama eorum, quæ, præsentiore
dubium virtute, an secundiore fortunâ, tot jam
annos pro libertate gessistis. Sed nihil tamen vi-
detur illis maius esse, atque excellentius, quæ
recenti imprimis memoriæ omnium inhaerent.
Quid enim novum est magis, atque inauditum,
quàm classe vos Mexicanâ potitos esse, & prope
incredibili gazâ Hispaniarum regis? Quod

ut nunquam antea vobis, ita vicinorum adhuc principum contigit nulli: Regi verò, atque hostibus, eò luctuosius visum, quò indignius putarent, jam de suo adversus se armari. Quis etiam fatis prædicârit, quòd, sine ullo prope sanguine vestro, Vesaliam cepistis; illam viribus suis inclytam, & hostili sic præsidio firmatam; illam annorum aliquot manubijs ac prædâ divitem; illam belli delectam contra vos sedem? Eoque clariùs hac parte divinus erga vos favor eluxit, quòd hostis illo tempore in foederatorum visceribus grassaretur, & cum magna daret damna, multò tamen majora anhelaret. Ita ut cepisse hanc urbem, non modò sit stitisse hostilis victoriæ cursum: sed sua etiam recepisse, hostes finibus ejecisse, compluriaque oppida, quæ ab eo tempore in vestrà, & sociorum sunt clientelâ, addidisse foederatorum terris. Denique, quàm amplum illud, atque augustum, quàm Arausionensium Principi, quàm vobis, quàm foederatis gloriosum, quòd in vestram sociorumque potestatem redegistis Sylvam Ducis, urbem antea semper infestam, ac sic naturâ loci, & veterano milite munitam, ut opinio esset

prope

prope omnium , viribus eam humanis expugnari non posse. At vos hanc quintum intra mensem vicistis , & quidem hostium duce obsessis cum ingenti exercitu suppetias incassum ferente. Atque horum singula cum per se magna sint , eò tamen majorem admirationem cient , quòd quæcunque adhuc diximus , intra annum vertentem peregistis. Neque se nominis tanti decus cancellis continet gloriæ militaris: uti in nationibus quibusdam videmus , quæ , belli laudibus contentæ , literas studiaque despiciatui habent. Vos enim non armis modò , sed doctrinâ etiam excellere , pulcherrimum semper duxistis. Imò ægre admodum fuerit vobis , si mystica illa gentium Pallas terrarû ulli posthabuisse Bataviam vestram videretur. Ut nihil mirandum sit , si sic animati multos adeò à libertate partâ numeretis , qui cum summos in Republica gesserint honores , non eò minùs ingenij doctrinæque monumentis clarissimi fuerint. Sed de illis celebris eruditionis viris , qui , ut dixi , præfuerint Reip. vel præsint , aliàs fortasse commodior se offeret agendi locus. De Academiâ verò , quæ propiùs me tangit , unum illud , et si

non citra invidiam, dixero, in mediis eam bellorum tempestatibus ac procellis, ita caput extulisse, ut, si annos numeremus, qui non multo plures sunt quinquagenis, virorum excellentium, & magnitudine, & numero, quasvis provocare orbis Academias possit. Hæc cum animū subeunt meum, illustrissimi PROCERES, verè vos felices prædico, quorum meritis voluerit Deus tantopere Academiam hanc, & universam debere Rempublicam: neque cives modò, sed exteros etiam, qui auxilia vestra exposcunt: adhæc quicquid uspiam elegantiorū est hominum, & amantium studia literarū. Quo nomine ut vobis ex animo gratulor, ita mihi gaudeo, cui sub imperio vestro in terrâ ut belli artibus, ita doctrinâ omni florentissimâ, à puero scientijs imbui, & securè hæctenus vitam degere contigerit: imò qui jam ab annis xv. mistum me videam fulgentissimis Academiae hujus luminibus, atque id favore vestro: cum probè mihi conscius sim, splendorem me ex eâ accepisse potius, quàm eò attulisse. Ut igitur pro affectu illo erga me tam benevolo, quem alij etiam beneficijs declarâstis, gratum animum tester, offero
nunc,

nunc, quo nihil habeo majus, memet ipsum, ac
mecum animi nostri foetum; quem genui ado-
lescens, atque ubi triennio lucem viderat, cor-
pore & viribus auctiorem produxi in conspe-
ctum omnium; nunc verò, post viginti anno-
rum intervallum, talem vobis sisto, ut dubium
relinquat, magisne idem, an alius videatur.
Quamquam verò sobolem hanc nostram lau-
dare non est meum; cò minùs, quia quò plus
ausus fuero promittere, hoc plus necesse ha-
beam præstare: nisi tamen industriæ saltem mi-
hi conscius essem, minimè ausus fuisset eam
dicare, partim vobis, quos Deus vice suâ in Ba-
taviâ esse jussit; partim ijs, quos nomine vestro
præesse Academiæ vultis. Nec parum me ad
hoc animavit, quòd propositum mihi fuisset,
ut Institutiones hæ Partitionibus nostris, auto-
ritate vestrâ in Scholas omnes Bataviæ inductis,
commentarij loco forent. Simul speravi, me,
hoc labore suscepto, meliùs satisfacturû mune-
ri, quod mihi abhinc septennio à Nobilissimis
Academiæ Curatoribus injunctum fuit. Placuit
ijs tum, ut non modò temporum omnium gesta
tractarem, sed illa etiam exponerem, quæ ad be-

ne dicendi artem pertinerent. Quomodo futurum videbant, ut quia historia est fons prudentiæ universæ; Rhetorice autem viam ad eloquentiam munit: juventus operâ quoque nostrâ perduceretur ad connubium illud Palladis, & Mercurij, quod antiquitas Hermathenam vocabat. Morem igitur ijs gessi, quibus æquum erat: propensaque adeò ijs obtemperandi voluntas vobis ingrata esse non poterit: præsertim cum summo studio conjuncta bene de publico merendi, ac potissimum de Bataviæ Scholis, & Academiâ vestrâ. Quamobrem planè ita fore confido, ut quemadmodum ante sexennium Historiam meam de Historicis Græcis, si non pretio sui, at vobis placendi studio æstimâstis: ita aliquo nunc loco sinatis apud vos esse Commentarios nostros de Rhetoricâ facultate. Ex quibus nihil, fateor, honoris vobis accesserit: sed vestra præcessere beneficia, qua gratulor: nostrum sequitur officium, quod debetur: & quò magis debetur, eò minùs poterit displicere.

Deus Opt. Max. vestrum erga studia amorem foveat, & conservet: imprimis verò prudentiam

dentiam & fortitudinem largiatur, quò & domi
quietè ac salubriter diu regatis, Bataviæque &
Foederatorum proferatis imperium, non in terris
modò vicinis, sed etiam longè distitis, imò, ut
facitis, etiam extra Europam. Nisi post grave
hoc & diuturnum bellum longa nos pax ma-
net. Cujus spem toto sinu admisero libens. Sed
publica vincat utilitas: quæ curæ erit, & Patri
supremo, & vobis, Patriæ Patres. Lugduni
Bat. Anno c^o l^o c xxx. iv. Kal. April.

**

A D

AD LECTOREM.

A N N I iam triginta sunt, quòd ore & calamo bene mereri de studiis adnitar. Ac initia quidem in Lugdunensi hac Academia feci anno **CL** **IS** **XCIX**, & proximo. Quo tempore publicè *Acroamatica Aristotelis* exposui: privatim verò *Rhetorica eiusdem* interpretabar. Mox ab Amplissimo Senatu Dordrechtano, (cuius incredibilis semper erga rem literariam amor fuit) ad præfecturam celebris sui gymnasij vocatus; iis, quæ in arte Oratoriâ ex Aristotele observâsem, multa ex Rhetorum alijs, Grecis potissimum, adieci; multa etiam ex literaturâ adpersi; eaque sex conclusi libellis: quos auctoribus illis, à quorum tunc consilijs pendebam, publici juris feci anno **CL** **IS** **CVI**; neque id sine aliquo erudita cavea applausu. Insuperato hoc favore exceptus, eosdem triennio post longè emisi auctiores. Hinc diu alia me potius studia tenuerunt: præsertim ab anno **CL** **IS** **CVI**; quo, auctoritate Procerum nostrorum, Lugdunum ad regimen Collegij vocabar. Vbi toto quadriennio studijs hæc alijs, quàm sacris, vacare muneris me ratio sinebat. Itaque eo tempore sex libris sum complexus *Historiam de controversijs à Pelagio, & Massiliensibus, motis*. Alia etiam compluria pro munere huius ratione commentabar: quæ partim divulgavi, partim, ut immatura, adhuc premo. Postea seu onere, seu honore hoc in successorem derivato, rebus ita, ut videtur, ferentibus, aliquantisper divertere malui ad studia priora. Ac primum quidem, quæ de naturâ Rhetorices, & Rhetoribus antiquis, scripseram adolescens; item *Partitiones Oratorias*, quibus & ipsis hæcenus cum blattis & rineis certamen erat, lucem adspicere sum passus. Commentarium etiam de arte historicâ comitem his, vel assecclam potius dedi. Sed ne tum quidem de Institutionibus Oratorijs ad incudem revocandis quicquam cogitabam, cum abhinc septennio Amplissimi Academiae Curatores illam mihi provinciam darent, ut non modo temporum omnium seriem, sed studium etiam profiterer bene dicendi. Nimirum quidquid à publico munere, & negotijs privatis, otij supererat, Ecclesiastica potius, externaque historia impendebam. Atque eâ occasione cum alia contexui; tum *Historia de Grecis Latinisque Historicis* libros septem: qui & ipsi lucem jam diu viderunt. Interea evenit, ut *Illustres Hollandiæ & West-Frisiæ Ordines* curam susciperent de Scholis reformandis. Quâ occasione decretum etiam fecere, ut in cunctis ditionis suæ urbibus *Partitiones nostras* adolescentia doceretur. Eo factum, ut prius *Partitiones iterum* in manus sumerem: mox etiam laborem susciperem limandi ac locupletandi *Institutiones nostras*: nempe ex quo totis viginti annis

nis he postremo fuerant excusa. *Ac amici quidem cum hac viderent, ma-*
ioraque citati huic convenire non iniuriâ putarent; plane erant auctores, ut
quò leviori operâ defingerer, eò in utroque opere isdem uti vellem, tum ver-
bis, tum exemplis; hoc solum discrimine, quòd in Partitionibus omnia bre-
vius in juniorum gratiam tractarentur. Quomodo non aliud in novâ utrius-
que operis editione necesse fuisset, quàm ut me ipsum excor. verem. Atque
id magis mihi licuisset, quàm nonnullis nec ineruditis, nec obscuri nominis
viris; qui multa adeò ex Institutionibus nostris, ad verbum inferciunt com-
mentationibus suis, quandoque etiam paginas totas, tacito eius nomine, un-
de eas hauserint. Hac si mortuo me fierent, fortasse morosior aliquis cum
Synesio a diceret, Α' οὐδὲς ἐγὼ β' ἢ) ἐμὸν δαίμοντα λόγους κλέμειν, ἢ διουδία, ὁ
καλῶς ἔγραψε. Nunc faciunt ea vivo: nec iccirco eos desinam aestimare:
sed suffecerit mihi, si ab illis, qui necdum viderint priores editiones nostras,
non aliquando reus peragar culpa aliena: atque ita contingat illud vetus,
Amilius ut peccet, plectatur Rutilius. Interea viderint, quomodo satis tueri
possint candorem suum. At si ipse me excor. verissem, defenderem
me illo Isocrate c, Α' τὰ ὄντα εἰ τὸς ἀδύσθετος τοῖς ἰσοῖς ἔχειται, ἀπὸς
μὲν ὁ ἀπὸ τοῦ τῶν γ' ἰσοῦ ἐγένετο. Sed utcumque hac belle dicerentur;
mihi nihilominus Tullium potius visum est amulari; qui de arte hâc sapius,
sed aliter atque aliter egit. Quare utramque sobolem ita potius, instructam
dimisi, ut utraque diceret alteri indicta: atque ubi, salvâ artis vîsq; fieri ali-
ter non posset, quin in re convenirent, saltè alijs & verbis, & exemplis, rem
anam exponerent. Metuebam enim, ne, si eandem omnino canerent canti-
lenam, locum haberet illud vetus, Δις ἐνεγὼν δάρατ: atque ideo fortunum
horunce alter alteri vitam facillè evicaret: quod cum ingenij non minùs,
quàm corporis fœtus, amare soleam, tam mitis parens aquis videre oculis
neutiquam potuissem. Malui igitur, ut germani isti duo sibi mutuo ince-
rent facem: ac præcipuè ut Institutiones id officij Partitionibus præstarent:
unde & his Rhetorices contracte, illis Rhetoricorum commentariorum no-
men feci. Quamquam verò hic fusius penè omnia exponerem; multaque
adeò adspicerem non tam ad Oratoriam, quàm ad literaturam pertinentia:
operam tamen dedi, ne nimis à naturâ artis abirem, vel ne inutilibus eam
questionibus involyerem: à quorum utroque, antiquitatis iudicio, parùm
sibi in Dialecticis caverat Eubulides Milesius ε; summus aliqui vir, imò si
quosdam veterum audimus, nemini eâ in arte secundus ε, sanè Demosthenis
ipseus præceptor b. Fortasse tamen, quòd in Eubulide culpatur, nec ipse satis
videar effugisse. Quali iudicio non offendar; àn modo ne in eorum referar
numerum, qui, ut ait Symmachus i, affectant copiam pudore defectus:
ut qui plus balbutiunt, plus loquuntur. Nam profecto nunquam igno-

a Epist. 162
 b Magis esse
 impium
 futurati
 scripta mor-
 tuorum
 quam eorū
 vestimenta
 quod v. ar
 sepulchra
 chodere.
 c E pist. 6.
 d Ineptus
 etiam, h cū
 alios vidca
 mea pūru
 antes ipse
 totus iis
 adtinerem,
 que prius
 dixitēne
 e crambis
 repetita
 mors est.

f Laërtius.
 g Photius in
 bibliotheca
 cod. 254.
 h Idem ex
 Plutarcho
 in vitis x
 orac.
 i lib. 11. ep.
 6.

ravi, referre, non quantum scriberetur, sed quid scriberetur: molem operis quandoque industria esse argumentum; sed rerum pondus esse signum ingenii, ac doctrina: non quasi utrumque hoc me consecutum existimem: verum quia ubique id mihi cura fuit, ne paginas inanibus replem verbis; sed in hac operis magnitudine, pro tam vario argumento, brevis potius, quam longus essem. Postrema dictionis cura esse solet. In qua si curiosus non omnia eiusdem videantur coloris: cogitare oportet, quam diversis ea scripserim temporibus.

a qui prius corpora ad-
umbrant,
posteaque
altera de
tertia manu
addita, ea
accuratius
exprimunt,
de coloribus
sunt ab-
solvant.
Epist. 114.
ad Theodolum,
vel
Theodulo.
c. epist. 153.
d. linguam
mundari, &
frequentiam
reddi sua-
viorem.
e. occupari
considera-
tione rectum
divinarum.

Alia enim vetera sunt, quae adolescentia debentur: alia paullo post consecuta, quae propterea non ita multum a prioribus recedunt: alia, quae nunc do, plane sunt nova, et quasi de matre adhuc rubeni. Sed de verbis non multum laboro, dum rem ipsam satis probem. Cuius penè solius gratiam agricolae volui imitari; qui, ut plus frugum ager ferat, eum arare non contenti, etiam iterant, et tertiant. Item pictores, ut si quibusdam rebus utitur in re aliâ Nazianzenus ait. Sed de instituto nostro abunde. Deinceps, si Deus volet, denuo me conferam ad historiam universam: imprimis illam Ecclesiae veteris, distans a me, quam par erat, intermissam. Non quidem diffiteor, pulchrum esse (ut iterum Synesi verbis utar) τὴν ἡλικίαν καὶ τὴν γυναικίαν ἰδίω ἡσίοις: sed profecto pulchrius multo est μετὰ τὸν ἡλικίαν καὶ τὴν γυναικίαν ἰδίω ἡσίοις. Deus, spero, ad praeclearum hoc institutum mihi suggeret vires. In quo voto desino, teque, Lector candide, salvere etiam et etiam iubeo. Lugduni Bat. An. 1633. III Kal.

April.

GERARDI

GERARDI IOHANNIS VOSSI
COMMENTARIORVM RHETORICORVM,
SIVE

ORATORIARVM INSTITVTIONVM

LIBER I.

CAP. I.

DE NATVRA RHETORICES.



VM RHETORICES FINIS sit persuasio; Officium
eius sit bene dicere, siue dicere ad persuadendum accommo-
dato; Materia sit qualibet questio, ac præcipuè civi-
lis: rectè definitur Rhetorice, facultas de unaquaque re
bene dicendi ad persuadendum; siue, ut desunt & Aristoteles,
facultas perspicendi in unaquaque re, quod in eà est ad
persuadendum idoneum.

Ac quemadmodum quatuor sunt partes officij Oratorij; argumenta inve-
nire, inventa disponere, disposita exornare, & exornata pronuntiare: ita
eotidem sunt partes Rhetorices; Inventio, Dispositio, Elucutio, & Pro-
nunciatio siue Actio.

COMMENTARI IN CAP. I.

PARS I.

DE FINE RHETORICES.

QVEMADMODVM in scientijs contemplativis subie-
ctum, sic finis se habet in disciplinis activis, itemque in
artibus: quia, ut in illis * primò videndum est, cuius
rei doceantur principia & affectiones; ita in his ante omnia cog-
noscendum est, * cuius gratià instituatür tractatio. Quare cum
Rhetorica sit ars soxasimè seu Coniecturalis, quod Aristoteli Facul-
tatis nomen significat; non tam necesse est anquiramus Oratorijs
nostris commentationibus insigne aliquid antipragmentum, quam
ut in ipso Facultatis vestibulo genuinum monstremus artis scopum.

* Arist. in
post. Ana-
lyt.
* Arist. lib.
7. Meta-
phys. con-
text. 23.

A

Non

INSTITVTION. ORATOR.

2 Non quidem ignoro, cum vocabula sint signa rerum, prius agi potuisse de Rhetorices etymologia, vocabuli ambiguitate, alijsq; : sed ne Lectorem ad penetralia disciplinæ festinantem diu nimis detinea in vestibulo; satius iudico summa carpere rerum fastigia. Quæ iam prætereo, aut ieiunius tracto, plenè fufeque prosequor tractatu eo, quem seorsum scripsi, *De naturâ ac constitutione Rhetorices.*

Esse aliquem architectonicum Oratoris FINEM, nemo sanus ambigit. Quemadmodum enim necessariò aliquis in artibus finis est, quia in activis & effectivis, sublato fine, principium eius, actio nempe, tollitur : itidem iure censetur inter ea, quæ ante disciplinas sunt præcognoscenda, esse aliquem earum finem ultimum, quia appetitus noster ferri nequit in infinitum *. Sed quis ille scopus sit, ad quem perpetuò Oratori ccllimandum est, id verò variè à varijs ventilatur. Aristoteli, viro profectò extra omnem ingenij aleam constituto, finis est persuasio. Nec dubium mihi, quin subscripturi sint huic sententiæ, quotquot eam examinabunt ad Logicæ statèræ libramentum. Illud quippe finis ultimus est, propter quod omnia fiunt, ipsum verò nullius sit gratiâ. Atqui Orator omnia agit, ut persuadeat. Persuadere igitur est architectonicus Oratoris finis. Qui verò cum Quintilianò pertendunt, persuasionem non esse Oratoris scopum, quia non sit in potestate artificis, cum Orator non semper sit exorator: hi etsi tam altè opinionem eam imbiberunt, ut neque Suadam ijs aliud persuasuram putem : tamen, nisi me ratio fugit, aliquid remittent, si consideraverint, quæ natura sit Facultatum. Ea verò istiusmodi est, ut æquè respiciant utrumque contrarium, ac proinde non necessariò consequantur finem suum. Non igitur assentiendum ijs, cum in omnibus disciplinis finem esse asserunt determinatum, ac certum, etiam quod ad eventum. Bene dicere certè neutiquam est finis ultimus, quando id, quod alterius causâ fit, finis ultimus esse nequit. Ad hæc, ut consignantissimè dicit uno minor Aristotele Iul. Scaliger, * *Nontuo, sed indicis arbitrato, bene dicendum est; cni si non videre bene dicere, non solum nequicquam, sed etiam nequaquam bene dixeris. Igitur sine tuo frustratus abeas, etiam si srueris consecutus.*

* *Aristot. lib. 1. Eth. cap. 2.*

* *Lib. 1. de re pœt. cap. 1.*

Non tamen existimandum est, ex Aristotelis sententiâ, simpliciter Oratoris finem esse persuadere; sed persuadere iusta & bona. Nam etsi eodem modo affectus sit ad persuadendum sive iusta sive iniusta, si facultatem ipsam respiciamus: tamen dispar est ratio voluntatis; quia sibi tantummodo proponere debet iusta & utilia.

Tenendum præterea, ut omnem dimoveamus ambiguitatem,

ad *arsu* five persuadere Rhetoribus esse nihil aliud, quàm oratione probabili in cuiusvis animo aliquam gignere opinionem. Nam aliæ quidem artes persuadent; verum, ut restatur Aristot. cap. i. & ii. non apud omnes; sed tantum apud illos, qui artium istarum principia noverunt; neque simpliciter ex probabilibus, sed ex proprijs artis principijs.

II. RHETORICES DEFINITIO, DEQUE TRIPLICI HVIVS ARTIS MATERIA.

Cognito Oratoris scopo, facile erit definitionem Rhetorices extruere. Quippe artes à fine defini debent, ut scientiæ à subiectis. Nam ut alia admilcantur, finis tamen præcipuè formæ locum subit. Optime igitur Rhetorice ab Aristotele definitur, Facultas videndi in unoquoque, quod contingat ad persuadendum conducere. H' *Πρωτοεικη* inquit, *ἔστι δύναμις ἐκείνη ἐκαστοῦ τῶν θεωρητικῶν τῶ ἐνδεχόμενον πειθῆσαι*.

Porro hæc definitio præter finem, quem persuadere esse diximus, ad plenius explicandam Rhetorices naturam, aperit etiam tum **OFFICIUM** Oratoris, quod est videre, quicquid aptum est ad faciendam fidem; tum **MATERIAM**, quæ est res quælibet, quæ persuaderi potest.

Intellige autem **MATERIAM COMMUNE**M, quæ est quælibet questio, five ea sit *θεωρητικὴ*, & cognitionem respiciat, five *πρακτικὴ*. Siquidem interdum usu venit, ut ad conclusionem activam argumentum sit adferendum è scientiâ specularice: quomodo olim, æe eclipsi, tanquam diro monstro terris, pugnam detretaret exercitus; Agathocles a quidem Siculis, at Sulpitius Gallus b Romanis neceſſe habuerunt ostendere, id naturali ordine statis fieri temporibus, eoque in prodigium trahi non debere. Atque hoc quidem factum actionis gratiâ. Interdum verò, contrà quàm Zabarella c visum, solam sibi cognitionem propositam habet orator. Nam & de mundi huius architecto, & animarum immortalitate, & quibusvis naturæ mysterijs, populari, affectuoso, ornatoque tractabit dicendi genere, suamque in sententiam pertrahet multos, quorum fores frustra solidis solum rationibus pulſasset Philosophus. Quamobrem meritò Aristoteles materiam Rhetorices facit τῶ ἐκαστοῦ: ac fuit hæc quoque sententia Gorgiæ Leontini, eidemque subscribit Tullius in Part. Orat. & Topicis.

Sed **PROPRIA** Rhetorices materia est res *πρακτικὴ*, five ea sit

* *Contem-
plativa.*
* *Activa.*
a *Iustinus*
lib. 2. 2.
b *Livius*
lib. 44.
Val. Max.
lib. 8. cap.
11. Fab. l.
1. cap. 10.
Plinius
lib. 2. c. 12.
Plutarchus
in *Panilo*.
Frontinus
lib. 1.
cap. 12.
c lib. 2. de
natura
Leg. cap. 18
d res com-
nes.
e *activa.*

infinita ac generalis, quæ voce à Mathematicis petitâ *διεως* nuncupatur; siue finita ac specialis, quæ *ὑποδιεως* dicitur. Interdum enim Oratori à quæstione finita adscendendum est ad infinitam. Adde quod & quæstio infinita ab Oratore tū separatim, tum, in quo plurimi hallucinantur, cognitionis quoque causâ tractari queat. Nam & is quodam verborum flumine ediffertabit, num omnia possideat bona, quem penes est virtus: aut an virtutem ament, qui eam sectantur emolumentâ gratiâ; uti faciunt, qui res expetendas voluptate & indolentiâ metiuntur. Negari autem nequit, quin utrumque hoc genus, imprimis tamen id quod collimat ad actionem, magis proprium sit Oratoris, quàm quæ pertinent ad cœli motum, abditaque naturæ. Quare etsi de his quoque dicere possit Orator; Aristoteles tamen, postquam τὸ *εὐσεβὲς* subiecerat Oratori, postea universalitatem hanc expressim restringit ad ea, quæ in consultationem veniant. Hermagoras quoque in hac opinione fuit: quemadmodum & eam Cicero secundo de Oratore defendit sub personâ Antonij. In istiusmodi quoque materiâ tantummodo se antiqui exercebant. Nam circa Demetrii Phalerei * tempora primùm declamantes se excoluere in quæstionibus, quæ ad fori imitationem limitarentur personis, cæterisque circumstantijs.

* Fab. lib.
2. cap. 4.

Verùm MAXIME PROPRIA Oratoris materia est *ὑποδιεως* siue quæstio finita, quam antiquiores *Causam*, iuniores etiam *Controversiam* vocant *. Atque inde est, quòd Aristoteles libr. 1. cap. III. differtim dicat, esse τῆς *ὑποδιεως* τρία εἶδη τῶν *ἀειδιῶν* *: quod item Tullius, succinens Aristoteli, solam quæstionem finitam, consideratam nimirum quatenus persuaderi potest, subijciat Oratori primo Rhetoricorum. Horum sententiæ eo lubentius insistam, quia is animus est meus, ut commentationes hæ non solum facem alluceant Partitionibus nostris Oratorijs: sed etiam, & manu ductionis, & libri commentarij sint loco in Rhetoras antiquos, ac Aristotelem imprimis. Neque enim aut mihi, aut sapienti cuiquam, suum consilium probant, qui id agunt, ut, eiectionis veteribus, regnum obtineant soli. Quamobrem & ipse, veterum exemplo, maiori cum cura de hypothesi generatim membratimque tractabo: cætera fere non nisi strictim attingam. Neque est, quòd metuat quisquam, ne, id si fiat, Rhetorices imperfectio spem destituat utentium. Nam etsi Rhetores propriè & primò spectent hypothesein; non tamen ea solum scriptis consignant, quæ huic primò insunt; quod sanè si ab ijs factum esset, fidenter dico, nec hypothesein quidem perfectè explicassent.

* M. Seneca, siam vocant *.
* Tres numero Rhetorica formularias.

Siquidem

Siquidem nulla propemodum incidit causa, quin à quæstione definita recurrendum sit ad infinitam. Ita si in deliberativo genere disceptetur, an Sparta mœnibus sit cingenda, ventilanda quoque erit thesis, an ex re sit urbes cingi muris. Neque in demonstrativo laudabitur aut eloquentia Tulliana, aut iustitia Aristidis, quin descendatur in locum communem de laudibus eloquentiæ, ac iustitiæ. Neque in iuridicali quæretur, iurè Clodium occiderit Milo, quin definita hæc quæstio reuocetur ad infinitam, an quapiam de causâ homini hominem liceat interimere. Atque inde est, quod Tullius in Topicis dicat, propositum (ita *ἔσθι* vocat) partem esse causæ, sive *ὑπόθεσιν*: cui adfidet illud eiusdem in Partitionibus: *Cum, inquit, de causâ dixerò, in quâ est propositum, de utraque dixerò*. Neque fidei absonum videri debet, quod quæstionem infinitam dicat finitâ contineri. Nam quamvis genus potentiâ comprehendat speciem, quomodo animal continet potentiâ hominem, cum possit esse non homo: species tamen actu continet genus, quomodo omnis homo actu animal est. At actus magis est habenda ratio, quàm potestatis. Quamobrem cum Rhetores, quibus animus fuit plenè explicare quæ ad *ὑπόθεσιν* pertinent, non ea tantum sibi adferenda existimarent, quæ primò hypothesei infunt; verùm etiam, quæ ei conveniunt ratione quæstionis infinitæ, cui hypothesis potentiâ inest: profectò planum sit, paucis tantum ei præceptis opus fore, qui ea cognoverit, quæ de hypothesei generatim membratimque explicantur à dicendi magistris.

At alterum quoque scrupulum iniiciunt. Is de simplici est themate, absq; quo mancã ac mutilã fore Rhetoricen aiunt. Mihi verò ne hæc quidẽ pars à Rhetoribus insuperhabita videtur. Quippe qui sciat genus demonstrativum, is haut magnopere laborabit de simplici themate, quòtum illud ita pleraque habet communia, ut interim multò amplius oratorij artificij, quàm thema simplex requirat. Neg; nescius sum, futurum ut hoc ipsum in controversiam vocent multi: verùm ratio in mundo est, quâ planum id fiat. Nam simplex fuerit thema, si de homine, temperantiâ, aut regno agas; ac definitionem, partes, proprietates, cæteraque, quæ simplici themate considerari Logici iubent, cognitionis causâ pertractes. Verùm coniuncta fiat quæstio generis demonstrativi, si de his ipsis agatur sub formâ laudis aut vituperationis. Potissimum autem inter tractationem utramque discrimen erit, quòd perfecta quoque simplicis sit thematis tractatio, quæ in singulis partibus τὸ ὅτι tantummodo

* Cap. 6.
huiusce
libri.

modo dicit ac docet: at in genere demonstrativo insuper fit probationibus opus, quia, ut suo loco * commonstrabitur, hoc quoque in genere est aliquis orationis status. Magis etiam in demonstrativo, quam in simplici themate, locum habent τὰ πρὸς ἄλλους, amplificationes, illustria verborum sententiarumque lumina. Itaque quemadmodum qui arcum scit intendere, eundem nullo negotio remittet: ita qui imbiberit generis demonstrativi præcepta, haut detreabit simplex thema, quod ab illius perfectione haut modico distat intervallo. Et hæc de Rhetorices materiâ.

III. DE PARTIBVS RHETORICES.

PROXIMUM est, ut de rebus videamus ad persuadendum ordinatis. Ac primò eorum conspectum subijciemus, tum quia hæc res nobis viam munit ad partitionem Rhetorices, tum quia volupe est, armanentaria & οὐροποιίας huius disciplinæ uno quasi intuitu lastrasse. Ad persuadendum igitur necesse habet Orator auditorem docere, conciliare, & concitare. At illud fit oratione, tanquam instrumento; sive bene dicendo, qui instrumenti finis proximus est. Ad bene dicendum verò opus est Inventionem, Dispositionem, Elocutionem, & Pronunciationem. Nam Memoriam quæ iuvent, ad distinctam artem pertinet, quæ Μνημονευτική vocatur. Itaque, etsi memoriter dicat Orator, meritò tamen memoriam tum Aristoteles, tum alij antiqui præterierunt Rhetores.

Est autem inter ultimâ Rhetorices finem, & media ad eum designata, istiusmodi velut catena: Orator res invenit; inventas disponit; dispositas verborum sententiarumque luminibus exornat; exornatas memoriter apteque pronuntiat; idque ut bene dicat. Bene dicit autem, ut auditorem doceat, conciliet, concitet, * è quibus primum requirit acumen Oratoris, alterum lenitatem, tertium vim: primum est debitum, alterum honorarium, tertium necessarium. Conciliare verò, docere, & concitare nititur, ut persuadeat; quod primum est intentione, & ultimum consecutione.

Hinc liquet, Rhetorices rectè, pro quatuor officij Oratorij partibus, in quatuor distribui membra; Inventionem, Dispositionem, Elocutionem, & Pronunciationem; quæ Græcis, Εὐρεσις, Τάξις sive Οὐροποιία, Ἀέξις seu Ἐπιφανεία, & Τὶ ῥήματα.

Atque hæc quidem præcipua sunt capita eorum, quæ, ut dixi, ubertim exposui libro singulari de Rhetorices natura. Nunc in ipsa artis penetralia nos conferamus.

DE INVENTIONE.

INVENTIO est excogitatio argumentorum ad persuadendum idoneorum, quatenus sunt istiusmodi.

Argumentum, iuxta Ciceronem, est probabile inventum ad faciendam fidem.

Argumenta alia sunt artificialia, alia inartificialia: 'la Oratori & invenienda sunt & tractanda; hæc non inveniuntur ab Oratore, sed aliunde allata tantummodo ab eo tractantur.

Argumenta artificialia trium sunt generum, λόγος, ἦδν, πᾶδν*. Ex his λόγος* Rationes ad docendum faciunt; τὸ ἦδν ad conciliandam; τὸ πᾶδν ad concitan- sive argu- mentatio- nes, mores, affectum.

Argumentatio; materia vero magna ex parte sunt res contingentes.

Argumenta hæc pecuntur è locis; qui sunt capitæ ac sedes argumentorum.

Loci alij sunt generales, alij speciales.

Loci generales sunt domicilia propositionum omnibus causarum generibus communium.

Eiusmodi sunt duo. Prior est possibile, & impossibile. Nam sive instituitur suasio, vel dissuasio; sive laus, vel vituperatio; sive accusatio, vel defensio: semper probandum est, aliquid potuisse, aut non potuisse, posse, aut non posse fieri.

Alter est magnum aut parvum; quo pertinent comparatorum loci; ut cum ostenditur, aliud esse alio utilius, vel inutilius; honestius, vel inhonestius; æquius, vel iniquius.

Loci speciales sunt domicilia ac sedes argumentorum singulis causarum generibus propriorum. Itaque pro varietate eorundem variantur.

I. QUID SIT INVENTIO ORATORIA.

CUM primò & imprimis videndum sit, quid dicamus; inde quomodo dicamus: liquet rectè initium sumi ab Inventione.

Est igitur Inventio, excogitatio argumentorum ad persuadendum idoneorum, quatenus sunt istiusmodi; hoc est, argumentorum, quæ probentur vel omnibus vel multis. Nam hæc sola sunt ad faciendam fidem idonea; non item quæ probantur sapientibus vel omnibus vel multis, vel maximè probatis. Atque hæc ratione

I N S T I T U T I O N . O R A T O R .

ratione distinguitur Inventio Oratoria à Dialecticâ. Nam Inventio Dialectica (quemadmodum etiam scripsit Alexander Aphrodisiensis *) universalis est; ut quæ monstrer argumenta quævis probabilia: Oratoria est particularis, ut quæ suppeditet tantum argumenta *ἡδονα* *. Itaq; Rhetori identidem è promptuariâ Logicorum cellâ; at non itidem Logico è Rhetorum pharetris preferenda sunt argumenta.

Additur in definitione, quatenus argumenta sunt idonea ad persuadendum. Nam si *ἡδονα* * & *ἡδονα* non differunt, nisi ut genus & species; & Dialectica generatim considerat *ἡδονα*: necesse fuit, ut obiectū Rhetoricæ inventionis à Dialecticæ obiecto etiam formaliter distingueretur, siue considerandi modo.

Nonnullis Inventio Oratoria ita laxè definitur, ut etiam expositioni simplicis thematis conveniat. De quo quid sentiam, non obscurum est ex ijs, quæ de materia oratoris supericri capite dicebam.

I I . Q U I D , E T Q U O T V P L E X S I T A R G V M E N - T V M O R A T O R I V M .

AR G V M E N T V M quid sit, & vnde dicatur, ostendit Agrætius, grammaticus vetus: *Arguere, inquit, est ostendere, & patefacere. Virgile Degeneres animos timor arguit. Vnde argumenta dicuntur, quæ causam causæ ostendunt. Vbi causæ nomine priori quidem loco rationem intelligit, siue fundamentum, cui sententia nostra innititur: posteriori autem loco significat *ὑπόθεσις* siue controversiam.*

Rhetor verò non de quibusvis agit argumentis; sed de ijs, quæ conducunt ad faciendam fidem. Vnde ea Aristoteli *ἰσχυρα* vocantur. Sunt hæc vel *ἔντεχνα*, ac rei insita; vel *ἄτεχνα*, atque remota à re. Quintilianus tractavit artificialia, & inartificialia. *ἄτεχνα* aliunde allata ab Oratore duntaxat tractantur; ut sunt testes, syngraphæ, &c. Itaque eorum propriè non est inventio. *ἔντεχνα*, verò, quæ κατὰ ἔξοχὴν Probationes dicuntur, & invenienda sunt, & tractanda. Illa pertinent ad orationem continuam; testes, tabulæ, iuramentum, quæ *ἄτεχνα* sunt, reservantur altercationis artificio: ut adductis aliquot veterum locis probat Franc. Polletus lib. iv. Historiæ Fori Rom. c. xii.

Argumenta *ἑπτακτῶν* trium sunt generum: alia *τῷ ἡθῶς*, a ratione Oratoris; alia *τῷ πάθος*, b ratione auditoris; alia *τῷ λόγῳ* c, ratione causæ. Siquidem Oratori non tantum opus est sententijs *ἑποδεικτικαῖς* d, quibus causam probet; sed etiam *ἠθικαῖς* e, quod ostendat, se esse fide dignum; & *παθητικαῖς* *, ut ad vehementiorem quempiam affectum compellat auditorem. Eleganter hac de re Antonius apud Tullium in secundo de Oratore: *Mea totius orationis, & istius ipsius in dicendo facultatis, tres sunt rationes: una conciliandorum hominum, altera docendorum, tertia concitandorum. Harum trium partium prima lenitatem orationis, secunda acumen, tertia vim desiderat. Nam hoc necesse est, ut is, qui nobis causam adiudicaturus sit, aut inclinatione voluntatis propendat in nos, aut defensionis argumentis adducatur, aut animi peroratione cogatur.* Hinc liquet, eum, qui Orator est futurus, duabus imprimis disciplinis imbutum esse oportere, Logicis, ut arguendi sit peritus, & Ethicis, quo virtutes vitiaque norit, & perspectum habeat, quid homines ad spem, metum, iram, concitet.

III. DE ARGUMENTATIONE ORATORIA, ET VERISIMILIBVS AC SIGNIS, VñDE EA CONSTAT.

IN argumentis *ἑποδεικτικῶν* duo sunt consideranda; forma sive argumentatio, & materia.

ARGUMENTATIONES apud Oratores duæ sunt præcipuæ; Enthymema, & Exemplum. Quemadmodum enim Logicis vel ex medio universali concludit, ut in Syllogismo; vel ex singularibus, ut cum Inductione utitur: itidem & Oratoria argumentatio alia per universale fit; ut Enthymema, quod est Syllogismus imperfectus; alia per singulare, ut Exemplum, quod est Inductio imperfecta. Atque inde est, quod cum Aristoteles, tum Dionysius Halicarnassensis *, Enthymema appellent Syllogismum Rhetoricum, Exemplum autem Rhetoricam Inductionem.

Nam et si Orator Syllogismo quoque utitur, neque eo tantummodo tripartito, sed (si plerisque omnes audimus Rhetores, quorum sententiam alibi † expendemus) & quadripartito, & quinquepartito; cum nimirum adiungit Syllogismo Dialectico ratione vel alterius præmissarum, vel utriusque: id tamen rarum est præ Enthymematis & exemplis: quibus magnopere gaudet, tum ut occultet artificium, quod agnitum causæ magis odest, quam prodest;

* *Epist. ad Annianum.*† *Lib. 3. cap. 5.*

(atque hac propter etiam, cum Syllogismo utitur, partes eius ferè transponit) tum ne videatur diffidere iudicis auditorumque prudentiæ, quasi necesse sit, utramque Syllogismi partem exprimi, velut apud Ignaros etiam rei vulgaris. Sed de formâ argumentorum infra copiosius agendum erit. Sequitur MATERIA, de qua ubertim Aristotelis interpretes: nos de eâ præcisè, & quasi brevi trademus manu.

Enthymematum & Oratoriæ omni argumentationis materia magnâ ex parte est contingens. Siquidem ferè versatur circa humanas actiones, quæ pendent ab hominis arbitrio. Atque id in causâ est, cur Hermogenes solam materiam contingenter subijciat Oratori. Verùm rectius Arist. 1. Rhet. & Tullius 1. de Invent. statuunt, fieri nonnunquam, ut materia enthymematis quoque sit necessaria, quemadmodum & exemplorum. Appellat Aristoteles utrumque; hoc genus in suâ enthymematis definitione *ἐπιτόμα καὶ συμμεία* *.

* Verisimilia & signa

Quid verò his nominibus signet, varij variè fertam ducunt. Mihi verisimile fit, *ἐπιτόμα* vocari propositiones quasvis eo nomine probabiles, quod adferant quidpiam ut plurimum contingens. Ita simile vero est eam, quæ mater est, amare unicè liberos & adfectus suos: quamvis & hodie sint marres non matres: & Agave olim, attamen in furorem priùs acta à Baccho, quemadmodum poëtæ fabulantur,

† Eurip. Bacch. Pausan. Corinth. Ovid. 3. Met.

* Vide Didorum Sic.

† Eccl. 8.

Pentheum † discerpserit: ac Medeam etiam * *σεύειν ἀμωρ* docuerit *commaculare manus natorum sanguine*, ut canit Maro. † imò Aëdon quoque Ityn filium suum in frustra concisum, inque olla coctum, edendum apposuerit marito suo Polytechno: ut ex Bœi Ornithogonia refert in Metamorphosi Antonius Liberalis. *Συμμεία* verò ab Aristotele appellari censeo, propositiones aliquid demonstrantes ab ijs, quæ vel antecedunt rem, vel consequuntur. Ab antecedenti quidem, cum ex segnitie socordiaque colligimus, quempiam ad paupertatem redactum iri: aut cum ex lassitudine corporis spontaneâ morbum præflagimus. Par ratio in factis pueri ab Areopagitis damnati, quod coturnicibus effodisset oculos, ac vivos deinde emisisset. Nam ex eo coniecturam capere erat, futurum ut, nisi huic malo obviam iretur, multa aliquando sævè crudeliterque patraret in Remp. A consequenti verò est, cum arborem floruisse colligimus, quia habeat fractum. Quamquam id non quavis in arbore habeat locum, cum ficui loco floris sit *ὄσπρις* *, unde non florere, sed lactere dicitur; quemadmodum docent Macrobius lib. III. Sat. c. xx. & Turnebus lib. xviii. Adv. c. iv. Alterum quoque à consequenti exemplum da-

* Succus lactens.

plum dabo è Varronis † Andabatis : *Candidum lacte è papilla cum* † *Apud*
fluit, signum putant Partuis, quod hic sequatur mulierem à partu liquor. *Novum in*
 Hæc signa si certa sint & indubitabilia, uti sunt quæ convertuntur *Partuis &*
 cum re, Græcis *πικρία*, Ciceroni in Partitionibus *Propria rei nota*
 dicuntur. Eius exemplum Cic. lib. 11. de Invent. ponit ; *Si reperit,*
cum viro concubuit. Alia signa nota communes, & simplicitate *συμπετα*
 vocantur : suntque duum generum. Nam vel habent se ut singula-
 re ad universale ; vel ut universale ad singulare. Prioris generis si-
 gnum est : Sinon est Græcus, & Sinon est insidiator : ergo omnes
 Græci sunt insidiatores. Ita enim, è Donati sententia †, colligere
 iubet Æneas, cum apud Maronem* ait : *Accipe nunc Danaum insidias,*
 & crimine ab uno *Difce omnes.* Sed peccat hoc argumentandi genus
 adversus canonas tertiæ figuræ, ex Analyticis prioribus liquet. Al-
 terius generis exemplum est : Qui febricitat, crebro respirat : hic
 crebro respirat : ergo febricitat. Verùm hæc quoque argumentatio
 ἀσυνλόγιστος est, cum in secundâ figurâ non possint esse puræ putæ
 affirmantes. Itaque perspicuum est argumenta è notis communi-
 bus desumpta sæpenumero inducere in fraudem.

Frustra autem miratur Raphaël Regius †, signa non necessaria à
 Fabio *συμπετα* appellari. Nam cum Aristoteles 1. Rhet. *ἀνώριμα* fa-
 cit, proprio nomine carere indicat, eoque idem generis ac spe-
 ciei nomen esse sentit ; ut bene observavit Franc. Luisinus,
 quem vide lib. 1. *περί τῶν* cap. 1x. Ac compluria huius generis ad-
 feremus cap. 1v. ubi de duplici suasionis acceptione adversus Sea-
 ligerum differemus. De utroque signorum genere ita Fabius lib. v.
 cap. 1x ; *Signa sine indubitate sint, non sunt argumenta, quia ubi illa sunt,*
quæstio non est : argumento autem, nisi in re controversâ, locus esse non po-
test ; sive dubia, non sunt argumenta, sed ipsa argumentis egent. Quæ
 sententia Quintiliani iure à viris doctis reprehensa fuit. Etsi enim
 argumenta fuerint certa, atque indubitabilia ; quæstio tamen erit,
 quia latent argumeta istiusmodi in re, ex quâ sunt eruenda ab Ora-
 tore ; eruta autem atque oculis subiecta terminant ac decidunt con-
 troversiam, vnde & Græcis *πικρία* vocari scribit Aristoteles, qui
 τὸ τέμμαρ ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ ἐπιπέτῃ τῶν ἀρχαίων γλῶσσαι*. Et hoc nisi esset,
 corruerent scientiæ contemplativæ, quia demonstrationes non es-
 sent argumenta. Sin fuerint signa dubia, ut singula singulatim in-
 certa sint, & imbecillia : coniuncta tamen plurimum possunt, neque
 ipsa egent probatione. Vnumquodque enim iniecit suspicionem ;
 sed plura faciunt fidem. Atque hoc Fabius ipse fatetur lib. v. cap.

† In eius
 verbis qua-
 dam desunt
 in codd.

vulgatis,
 sed integri
 loci è vet.
 libb. appo-
 nit Pierius
 in 2. An.
 * 2. En.

† Comm. in
 Quintil.
 lib. 5. cap.
 9.

* *Ἰον σίκα*
μαρ, veru-
sta lingua
idem est,
quod τεμ-
μαρ.

XII. *Hæc imbecillia naturæ, inquit, mutuo auxilio sustententur. Itaque si non possunt valere, quia magna non sunt, valebunt, quia multa sunt, quæ ad eiusdem rei probationem omnia spectant. Ut, si quis hereditatis gratiâ occidisse hominem dicatur: Hereditatem sperabas, & magnam hereditatem, & pauper eras, & tum maxime à creditoribus appellaberis, & offenderas eum, cuius hæres eras, & mutaturum tabulas sciebas. Singula leuia sunt, & communia; uniuersa verò nocent, etiamsi non ut fulmine, tamen ut grandine. Hæc ille. Et iurat illud Publij Syri:*

Auxilia humilia firma consensu facit.

Quare valet in argumentis, quod de signis medicis verius, quàm elegantius, scribit, vetus Sorani interpretis, Cœlius Aurelianus lib. I. de morbis acutis cap. II. *Non ex uno, vel duobus; sed ex multis concurrentibus, significatio firmatur. Vnum enim quiddam ad aliud quiddam, commune est. At verò in unum conveniens multorum concursus discretionum facit intelligentiam prominere.*

Cum autem dicimus, Oratores, tum necessarijs, tum probabilibus uti argumentis, non tantum necessaria appellamus, quæ dicuntur *ἄναγκαῖοι* *, nedum κατ' ἀνάγκην †, vel κατὰ φύσιν ‡, de quibus Philosophus in priori *ἠθικῶν* § *ὑπέροχοι* †: verum illa etiam, quæ licet consent materiâ contingenti, tamen videntur aliter se habere non posse. Istitiusmodi est illud Tullij pro Quintio: *Etenim si veritate amicitia, fide societas, pietate propinquitus colitur: necesse est iste, qui amicum, socium, affinem, famâ ac fortunis spoliare conatus est, vanum se, & perfidiosum, & impium esse, fateatur.* Atque hæc uniuersè dicta sunt de argumentis *ἠθικῶν* §.

* de omni.
† per se.
‡ uniuersaliter primo.
† cap. 4.

* demonstrativis.

Sunt autem argumenta demonstrativa, siue rationes, duum generum. Nam vel conducunt ad quippiam uni alicui persuadendum, E. G. Socrati aut Zenoni; quorum utriq; multa persuaderi potuissent, quæ non probarentur in vulgus: vel istiusmodi sunt, ut omnibus, aut pluribus, fidem facere possint. Priora illa aspernatur Rhetor. Nam licet ars in agendo versetur circa singula; in præceptis tamen tantummodo spectat universalialia, eo quod singularialia sint infinita. Vnde est, quod Aristot. I. Eth. medicum ait sanitatem considerare huius vel illius, quia medetur singularialia: at II. Post. Analyt. & I. Rhet. dicat medicum non considerare singularialia: E. G. quid salubre sit Socrati, aut Calliæ; sed quid tali, aut talibus. Nam in Ethicis loquitur de medicinâ operante; in Analyticis, & Rhetoricis, de docente. Quare & Rhetorices docentis est, ea tantum tractare, quæ aut uniuersis, aut maiori conveniunt parti, h. e. quæ probabilialia

habilia sunt talibus, quales sunt, qui consultare ac deliberare, vel in iudicium venire solent. Neque obstat, quoddam singularibus sit disceptatio in foro, aut curiâ; quia rationes vim accipiunt à generalibus propositionibus: unde M. Antonius apud Tull. 11. de Orat. *Nulla deniq; est causa, in quâ id, quod in iudicium venit, ex reorum personâ, ac non generum ipsorum universâ disputatione, quaeratur.* Et aliquantidum: Ignari, inquit, omnes controversis ad universi generis vim & naturam referri.

IV. QUID LOCVS SIT, ET QUOTVPLEX.

ARGUMENTA petuntur è locis. Est verò locus, (prout Theophrastus definit apud Alexandrum in 1. Top. *) ἀρχὴ τις ἢ στήλην, ἀφ' ἧς λαμβάνομεν τὰς ἐπιπέδων ἀρχάς. principium quoddam vel elementum, ex quo principia rei cuiusque sumimus. Hoc est, loci sunt principia seu domicilia, ex quibus argumenta ad rei cuiusque probationem desumuntur. Vnde Ciceroni in Topicis locus definitur sedes argumenti. Imò, ut plerique tradidere, etiam Aphrodisiensis initio Topicorum. Sed decepit eos interpretes, qui τὴν τομὴν ἐπιπέδων, vertit de sedibus argumentorum. Locis hinc, velut signis admonemur, quæ instituto nostro inserviant. Neque enim fieri potest, quin abunde ei suppetat argumentorum, qui haut gravetur, animum per locos singulos circumferre, ac secum expendere, quæ sint de naturâ rei; quæ antecedant eam, aut consequantur; quæ affinia sint aut pugnancia, atque alia, quæ ad ἐπιπέδων * pertinent.

Locis alij sunt Dialectici, alij Rhetorici. Dialectici sunt universales, & ab Aristotele in Topicis explicantur: cuiusmodi sunt, Causa, Effectus, Definitio, Divisio, Opposita, alijque; quorum cognitione omnino Oratori opus est; quia non minus è locis Topicis, quàm Oratorijs, argumenta deponi solent; ut superius diximus. Atque inde est, quoddam nonnemo tractationem eorum Rhetoricis inserit; sed ignarus limitum Dialecticæ, ac Rhetoricæ. Illorum tamen studium non improbamus, qui è locis Topicis quædam tantummodo delibant. Nam cum aliud sit Logica communis, quæ Organo traditur; aliud, ut Averroës vocat, Logica appropriata, quæ Aristoteli * dicitur ἐπίπεδος τῶν ἐπιστήμων †: nihil certè prohibet, de eadem re in diversis agi disciplinis, si una tractet accuratè, altera pingui Minervâ, & pro ratione instituti.

E locis Rhetoricis, de quibus solis acturi sumus, alij communes

* pag. 5. cat. 111.

* ἀρχὴν τῶν ἐπιπέδων, si inventio-nem, sive propositionem copiam.

* lib. 2. Metaph. cap. 3. † Modus scientiæ.

* loci.

sunt tribus caussarum generibus, qui κατ' ἐξοχήν vocantur τόποι *, quia sunt generalia propositionum domicilia: alij sunt proprii cuique generi, qui εἶδη * dicuntur, quia sunt sedes propositionum in hac vel illâ dicendi formâ.

* forma si-
ue species.

V. DE LOCIS COMMVNIBVS.

LOCI communes sunt duo, Possibile & impossibile, Magnum & parvum. Nam reperiri hæc in genere Deliberativo, Demonstrativo, & Iuridiciali (de quibus dicendi generibus proximo capite dicturi sumus) liquet ex exemplis, quæ subtexam.

† ab impos-
sibili.* epist. 3.
lib. 7. ad
famul.† lib. 4. cap.
3.† Vtque a-
deo difficile
est homini
vi cogereea, qua di-
vino sunt
ordinata
consilio.* Deus non
miscetur ho-
mini.† de Deo
Socratis.

* in 3. Enn.

† Philo
Alexan-
drinus.

Ac primò argumenti *ὅτι τὸ ἀδύνατον* † in Deliberativo exemplū est, cum Cicero * disuadet Pompeianis post prælium, ne rursus tentarent belli aleam, eo quòd non videretur fieri posse, ut qui integrī fuerāt impares, hi fracti essent superiores. Item si quis hodie principi cogitanti de perfodiendo Isthmo Corinthiaco, neget successurum negotium, quod, ut Plinius † scribit, primus tentarit Demetrius Rex; deinde Iulius Cæsar; hinc Claudius Caligula; tandem etiam Domitius Nero; sed irritò omnes & infelici conatu. *Ὅτι οὐκ ἔστιν ἀδύνατον ἀνθρώπων τὰ θεῶν βιάσασθαι* †, ut in Corinthiacis inquit Paulianias.

In Demonstrativo exemplum erit, si quis inficias eat, Romulum esse Martis filium, quia fieri nequeat, ut mulier Deo miscetur, Sannè & Platonis est in Sympos. *Θεὸς δὲ ἀνθρώπων ἐμίγνυται* *: quod ipsum ex Platone refert Appuleius lib. de Deo Socratis. Huc addas licet, quòd Romulus neque morte obitâ potuerit Deus fieri animalis: falsumque esse, quòd ex Labeone prodidit Appuleius †, atque etiam Servius * scripsit, *Esse quadam sacra, quibus anima humana vertantur in Deos, qui appellantur animales, quòd de animalis fiant*. Simile exemplum foret, si quis eo, quòd Deus est immortalis & optimus, ostendisset populo Rom. Caium Cæsarem, hominem, imò monstrum hominis, Deum esse non posse, ideoque ridiculosissimam (ut ita cum Plauto dicam) esse assimilationem, cum, in cuiusdam orationis initio †, eo, se Deum esse demonstrare voluit, quòd ut, qui bubus aut gregi præsent, ipsi nec boves, nec de grege sint, sed his longè præstantiores: ita ipse, cum generi præsit humano, neutiquam homo credi debeat, sed hominum genere excellentior; nempe (cor hominis !) numen aliquod.

In Iuridiciali exemplum est, cum Clodius negat se incestu Romæ violasse

violasse pulvinaria Damia, seu Bonæ Deæ, eo quod tum temporis, quo id actum dicitur, fuerit Interamnæ *. Aut cum Roscius negat se occidisse patrem, quia, quo tempore hic interemtus sit, ipse vitus sit America †.

* Cic. pro

Mil.

† Cic. pro

Rosce Amer.

Eadem est magni ac parvi ratio †. Nam aliud alio vel utilius est, vel honestius, vel æquius. Ita in Deliberativo, qui suadet, id, cuius autor est, magna ait consequi emolumenta; detrimenta autem parva, aut nulla: contra qui dissuadet, parva esse vult emolumenta, detrimenta summa certaque.

Similiter in Demonstrativo tanta alicuius in Reimp. dicuntur fuisse merita, ut multis antiquitas pro istiusmodi beneficijs decreverit aras, festa, ludos, aliosque honores heroicis. Et si quis Helenen vituperet, negabit formam, quâ præstitit, rem tantam esse, ut singularem eâ laudem mereatur.

Itidem in Iuridicali, qui accusat, factum aggravat, eiusque magnitudinem & atrocitatem ante oculos ponit: contra reus aut inficiatur, aut imminuit.

Sed loci Communes intelligi non possunt, nisi prius actum sit de locis Proprijs. Hi autem variant pro varietate causarum, ac dicendi generum. Itaque Aristoteles pleniori Locorum communium declaratione in librum II. reiectâ, deinceps tractat de Generibus dicendi. At enim, inquit, in eo legem migrat à se præscriptam in titio *ουνοῦ; ἀνθ.* ubi ab universalibus occipere iubet: & meritò quidem, cum omne totum notius sit partibus suis; ut quod, iuxta Auerroem, essentialibus quidem partibus notius sit notitiâ confusâ, & quantum ad nos; subiectis verò h. e. speciebus, compertius sit notitiâ distinctâ, ratione nostri, & naturâ. Verùm non est, quod argumentum hoc pulverem nobis ob oculos spargat. Siquidem Aristoteles in Physicis ab ijs solùm universalibus principium capere iubet, sub quibus particularia continentur, tanquam partes subiectæ. Ita tractandum ait de corpore generatim accepto, priusquam descendatur ad corpus simplex aut mixtum; ac de his agendum, antequam considerentur meteora, plantæ, animalia; quæ corporis mixti species sunt. At hic res se multò fecus habet, quia loci particulares neutiquam comprehenduntur sub universalibus, sive potius communibus: uti liquido parebit ex ijs, quæ membratim de singulis generibus dicturi sumus.

CAP. III.

DE GENERIBVS CAUSSARVM.

CAUSSARVM seu questionum finitarum genera sunt tria; *Deliberativum, Demonstrativum, & Iuridicialis.*

Differunt hæc imprimis quatuor modis.

Primo partibus, sive officio. Nam Deliberativo suademus, vel dissuademus; Demonstrativo laudamus, vel vituperamus; Iuridiciali accusamus, vel defendimus.

Secundo fine, idque dupliciter; ratione rei, & auditoris. Ratione rei, quia Deliberativi finis est utilitas, Demonstrativi honestas, Iuridicialis equitas. Ratione auditoris, quia in Deliberativo Orator propositam habet spem ac metum, in Demonstrativo delectationem, in Iuridiciali clementiam, ac severitiam.

Tertio discrepant tempore. Nam Deliberativum versatur circa futurum; Demonstrativum maxime circa presens; Iuridicialis circa præteritum.

Quarto auditorum genere. Nam in Deliberativo auditor est senator, in Demonstrativo auscultator, in Iuridiciali iudex.

I. QUOT SINT CAUSSARVM GENERA, ET QUOMODO DIFFERANT.

CAUSSARVM sive controversiarum, quas Græcis *ὑποθέσεις* vocari cap. I. diximus, Aristoteles, Dionysius Halicarnassensis, & ac plurimi alij, tria faciunt genera, Deliberativum, Demonstrativum, & Iudiciale: Græcè *Συμβουλευτικόν, Επιδεικτικόν, & Δικαστικόν.* Deliberativum est, quo suademus vel dissuademus; Demonstrativum, quo laudamus vel vituperamus; Iudiciale, quo accusamus vel defendimus. Non plura esse dicendi genera, probatur in hunc modum. Auditor omnis, vel tantum auscultat, ut de facultate Oratoris iudicium ferat, qui Aristoteli *θεωρῶς* ^b, Ciceroni *c auscultator* dicitur ^c in *Parisi*: vel ideo audit, ut sit in re, de qua agitur, disceptator, moderatorque sententiæ: atque hic rursus vel præteritum considerat, ut iudex; vel futurum, ut senator. Ex primo genere resultat Demonstrativum; ex altero Iuridicialis; ex postremo Deliberativum.

Id ipsum & alia ratione evincitur. Siquidem Orator vel circa præteri-

præteritum versatur, ut de Iuridicali diximus; vel circa futurum, ut vidimus de Deliberativo; vel circa præsens, ut in Demonstrativo. Quamquam hoc nonnunquam assumat futurum; ut quando aliqua eventura conijcimus; itemq; præteritum, velut cum facta commemorantur, sive viventium, sive defunctorum; quomodo hos constat olim Athenis in Ceramico extra urbem laudari solitos, Suida * teste: Romæ autem, pro Rostris †: quod Acron * inibi factum scribit in memoriam sepulchri Romuli. Sed hi tum proponebantur ut præsentibus, quia cum reliqua fluxa ac fragilia sint, *virtus clara æternaq;* habetur, ut ait ille †. Rectè etiam, cum agitur de Demonstrativo, solum fit mentio temporis præsentis, quia hoc illi proprium est, cum futurum ei commune sit cum Deliberativo; præteritum cum Iuridicali; præsens cum nullo: tum etiam quia principaliter id tractat; præteritum verò ac futurum rariùs; atque adeo non nisi, ut de præsentibus iudicium fiat. Neque enim supersitites laudamus, quòd probi aliquando fuerint: quippe haut laudem merentur, qui à virtute desciverunt: neque eos extollimus, quòd probi olim sint futuri: nam

Prudens futuri temporis exitum,

Caliginosâ nocte premit Deus;

ut ait poeta Venusinus *: verum unum id unice spectamus, cuiusmodi impræsentiarum sit is, quem exornaturi sumus: eique rei firmamur, tum res præclare gestas commemoramus; tum è præteritis ac præsentibus de futuris facimus coniecturam: ut liquidò pateat, quamvis genus Demonstrativum in omnia diffundatur tempora, optimo tamen iure ei præsens duntaxat assignari. Atque ex his quidem duo utcumque cognoscere est, quot sint dicendi genera, & quomodo ea differant. Verum nequid, quod ex re & ad rem sit, neglexisse cuiquam meritò videamur, de utroque plenius dicemus. Ac primò alijs quoque modis ea distinguere ostendam: deinde respondebo argumentis, quibus alijs, plura pauciorave esse dicendi genera, adstruere sunt adnixa.

Sanè tria hæc genera non solum differunt auditoribus, partibus sive officio, & tempore circa quod versantur: de quibus abundè hæctenus egimus: verum illustre quoque discrimen petitur à scopo, idque geminum. Vnum est ratione auditorum. Nam Demonstrativum propositam habet delectationem auctuatoris; Deliberativum spem aut metum consultantis; spem, si suadeat Orator; metum, si dissuadeat; Iuridiciale clementiam aut savitiam Iudicis;

* in Repa-
perxi.

† Hierony-
mus in vit. 8

Nepotiani.

* In Epod.

Horat.

† Sallust.
Catal.

* lib. 3.
od. 29.

clementiam, in defensionibus; savitiam, in accusationibus. Quamquam id perpetuum non est. Nam interdum in defensionibus Orator ad savitiam accendit; cuius rei exemplum habemus Orat. pro Rosc. Amer. Alterum discrimen est ratione rerum. Nam quia nemo fatebitur, se suadere inutilia, aut laudare turpia, aut fecisse iniusta; Aristoteles principalem Deliberativi finem esse voluit utilitatem; Demonstrativi honestatem; Iuridicialis iustitiam & æquitatem. Hinc Arface apud Heliodorum lib. VIII. Æthiop. ait: *Ἦρὸς ταῦτα ἐν λόγῳ, καὶ δίκῃ, καὶ ἀρετῇ, καὶ συμφέρῳτα μὲν ἐπιζήμιον*: ad hæc *rhetoricare, & iusta, & decora, & utilia frustra definiens*. Nam singulorum dicendi generum fines ab eâ nominantur. Et plana est distinctio, si intelligatur ita evenire ut plurimum. Alioqui non crearet res controversiâ. Nam, si cum Stoicis volumus arguatur, quandoquidem nihil est honestum vel æquum, quin idem sit utile; nec quicquam utile, quin idem sit honestum (sanè etiam Socrates eos execrari solet, qui hæc seiunxisset *) iam tria hæc genera scopo distinguere non possunt. Quod si honestum & utile, ut Peripatetici sciscunt, & re, & ratione inter se differunt; ac honestum quidem est, quod propter se expetitur; utile autem, quod expetitur propter aliud: nemo inficias ire possit, cum Oratorem oporteat esse virum bonum, quoties, ut sæpe usu venit, honestum pugnat cum utili, nullius eum rei auctorem futurum esse, nisi hoc est, & equæ, etiamsi ea utilitati adversetur. Aristides † certè consilium, quod à Themistocle iussu Atheniensium solus acceperat, eo discussit, quod perutile quidem esset, at minimè honestum. Par fuerit ratio, siquem adhortemur, ut, M. Attilij Reguli exemplo, malit ad acerbissima reverti supplicia, quàm fidem hosti datam fallere. Item sicui suadeamus, ut potius in prælio fortiter occumbat, quàm turpissimas accipiat vitæ conditiones. Neq; elabimur, si dicamus, honestum ac utile, fines esse subordinatos. Nam in huiuscemodi non suadet, quod propter aliud expeti solet; sed, quod in se ac naturâ suâ bonum est. Neque igitur utilitas propriè finis erit, cum hæc eorum sit, quæ ad aliud referuntur; uti quoq; scripsit Alexander Aphrodisiensis lib. IV. natur. quæst. cap. I. Quare vel afferendum cum Quintiliano *, celeberrimam magis ac rotundam esse distributionem, quàm veram, quia omnia quodammodo stent mutuis auxilijs: in quâ etiam sententiâ (ne verbis velitaris & σικαμαχῶν † videamur) est illud naturæ miraculum Iul. Scaliger lib. I. de re poet. cap. I. vel dicendum; quoties suadet, ut honestum præferamus utili, honestum iudicare formam utilis,

* Cic. 3.
offic. & 1. de
Legg. &
Plutarch.
lib. 4. Sym-
pos.

† Plutar-
chus in
Aristide.

* lib. 3.
cap. 4.

† cum un-
bra depu-
guar.

utilis; quia cum vir bonus omnia honestate metiatur, honestum inutile conscientia ac nomini suo utilius iudicat, quam turpe utile: vel denique dicendum, ita statui, quia ut plurimum, licet non per se, utilitas sit generis Deliberativi finis: at adæquatam huiusce generis finem esse Bonum; quo comprehenditur, tum quod propter se expeti debet, cuiusmodi est honestum; tum quod propter commodum expeditur, quale est utile; tum quod expeditur voluptatis causa, quod iucundum appellatur. Sanè pro hac sententia facit, quod apud sapientes ac probos plus valent argumenta, quæ ab honesto ducuntur: at apud vulgus magis persuadent, quæ petuntur ab utili, aut iucundo. Quare qui Bonum fecerit huiusce generis finem, is universa fuerit complexus.

Verum de fine haut ultra procudo sermonem. Accedo ad discrimen, quod sumitur à ratione tractandi. Id verò geminum est. Neque enim in solâ consistit elocutione, quæ, uti suo loco † dicemus, minus exacta est in iuridiciali, accuratior in deliberativo, at planè exquisita in demonstrativo: verum etiam in inventione ipsâ; quandoquidem in iuridiciali maximè utimur enthymematibus, in deliberativo exemplis, in demonstrativo amplificationibus. Quamquam Demosthenica in deliberativo quoque magis abundant enthymematis; quam ob causam fortasse Pytheas ajebat †, τὰς ἀλύτους ἀμιλοδενικὸς ἀύχραντος ἐστίν *. Plus quidem olei, quam vini, consumpsisse Demosthenem, scribit & Hieronymus apologia in Ruffinum, & Diomedes Grammaticus: quod ipsum confirmat, tum Servius, qui eum, uti & Lycurgum, abstemium fuisse ait: tum Lucianus *, qui & ipse aquam eum bibisse refert; contra quam Æschines fecerit, quem tragœdias inter pocula scripsisse, narrat Callisthenes.

† initio libri sexti.

† Plurimum, Ælianus, Libaninus.

* orationes Demosthenicas lucernam olere. * in Encomio Demosth.

II. OCCURRITUR ARGUMENTIS, QUÆ MOVENTUR
ADVERSUS DOCTRINAM DE TRIBVS CAUS-
SARVM GENERIBVS.

ET hæc dicta sunt de modis, quibus tria dicendi genera distinguuntur. Proximum est, ut, quod me facturum receperam, ferram cum ijs reciprocem, qui plura pauciorave esse dicendi genera contendunt. Ac pauciora quidem fuerint genera, si audimus M. Antonium, qui apud Ciceronem lib. II. de Oratore remove videtur demonstrativum. Neque enim, quod laus, aut vituperatio etiam locum habeant extra deliberationem ac iudicium, id ei fati valida videtur ratio ad adstruendum hoc genus, quia & alia facit

Orator, quæ non constituent distinctum causæ genus. Verùm nobis, siue M. Antonius, siue Tullius, parum valido tibicine hanc videtur statumare sententiam. Nam quod ait, Oratorem quoque de alijs tractare, id sanè verùm est, sed, quod pace eius dixerim, ἀπογο-
 * nihil ad
 rem. *δύσσοι **. Neque enim, quam adduximus definitionem, ea ad-
 quati est Oratoriæ facultatis objecti, sed solius ἀπογο. Laudem
 verò ac vituperationem esse ἀπογο species, haut inficiabitur, qui
 sciat laudari quoq; ac vituperari singularia; ἀπογο autem esse quæ-
 stionem de singulari institutam.

Alium, ac fortasse validum magis arietem intorquent alij. Cum, inquit, honestum & iustum haut aliter differant, quàm genus & species: omnino genus iuridiciale comprehendere videtur sub demonstrativo. Sed facillè etiam hunc impetum eludimus. Neque enim finis solum considerari debet ratione rei, sed etiam auditoris. At huius ratione in Demonstrativo finis est delectatio, sub quâ cõprehendere nequeas clementiam ac sævitiam, quæ sibi in Iuridicali proponit Orator. Adde quod diversimodè iustum consideratur in hisce dicendi generibus. Nam in Iudicali iustum est prædicatum primariæ conclusionis: at in Demonstrativo est medius terminus. Qui enim Aristidem laudat, is commendat eum à iustitiâ, quæ illi Iusti peperit cognomentum. At qui reum defendit, is, in quo actor iniuste fecisse adserit, in hoc nec transuersum unguem ab æquitate recessisse contendit.

Sed ecce Aristoteli quoque litem intendit Iulius Cæsar Scaliger, cuius verba ascribam è libro primo capite primo de re Poet.

*Acuto, inquit, homini, ac primæ alumno Philosophiæ, videantur iudicialis partes, deliberativa & demonstrativa. Numquam enim agitur aut defenditur reus sine laudatione ac vituperatione, vel persona, vel rei, vel facti, vel dicti, vel consilij: quemadmodum ne sine deliberatione quidem. Deliberatur enim de supplicio rei, aut absolutione. Quamobrem neutiquam esse poterunt species aut genera causarum, propterea quod nulla species alterius pars esse quit. Ita subtiliter Scaliger: sed, nisi me ratio fugit, etsi in genere Iuridicali quispiam laudatur aut vituperatur, non ideo fit demonstratio pars Iuridicalis (eademq; Deliberativi ratio) quia possunt species diversæ materiâ convenire: sed formâ necessario differunt, quæ quia amplitudinem materiæ ad certam restringit speciem, iccirco Philosophis dicitur εἰδοπῆσι *. Quare aliud constituitur causæ genus, cum laus aut vituperatio adhibetur ad honestatem aut turpitudinem commonstrandam; aliud item cum
 ad sua*

* specificæ.

ad suadendum, dissuadendumve; aut ad accusandum vel defendendum: quandoquidem diversus in his est finis, qui in rebus istiusmodi formæ locum obtinet.

Nec meliori iure plura alij faciunt causarum genera. Videtur ijs præter tres istos fines, honestum, utile, & iustum, quartus etiam esse finis, iucundum. Id si est, manca inquirunt, mutilaque fuerit Oratoria, ni quartum tribus illis adiungas dicendi genus, cuius finis sit voluptas. Certè apud Maronem † Iuno à pulchritudinis vo-^{† t. En.}luptate Æolo suadet & persuadet, ut ventos emittat. Verba eius adpono:

*Sunt mihi bis septem præstanti corpore nymphae,
Quarum, qua formâ pulcherrima, Deiopeiana,
Connubio iungam stabili, propriamq; dicabo.*

Verùm ne ab hoc quidem turbine navi nostræ periculum est, ne frangat ratem. Et ratio in promptu est, quia cum utile vel presè accipiatur, pro bono, quod commodi causâ expetitur: vel latè, pro quovis bono, quod expetitur propter aliud: hoc loco sumitur posteriori modo, quo iucundum comprehenditur sub utili: cui rei firmandæ nonnulla adferam cap. proximo. Est & altera ratio, cur voluptas potis non sit quartum constituere dicendi genus. Nam Rhetorica ancillatur Politicæ: Politicæ finis est beatitudo civilis: beatitudo consistit in actione virtutis: virtus autem non proponit sibi voluptatem, cui qui manciantur, bestijs, quàm hominibus sunt propiores; sed honorem, ac publicam utilitatem. Quare etsi Rhetorica, si in se, h. e. naturâ suâ consideretur, etiam persuadeat à voluptate: non tamen voluptas primarius est finis; neq; quartam parit Rhetoricæ formam, quia eam consideramus cum Aristotele, quæ est Politicæ formula, h. e. quæ eius amplitudinem Oratores restrinxere ad usum civilem.

At inquit disertissimus Muretus*, tres primæ Ciceronis in *Catilinam orationes sub nullum ex illis tribus generibus includi queunt. Mirifica sanè censura, quamq; nihil tueatur præter consentis auctoritatè. Nos quidem persuasissimū habemus, esse eas omnes generis Deliberativi. At inquit idem, in primâ nulla deliberatio est: quin id tantum agebat Cicero, ut exiret Catilina, quò ipse postea cum Senatu deliberare posset. Secundâ autem, itemq; tertiâ, nihil aliud agit, quàm ut exponat populo ea, quæ gesta sunt, eumq; confirmet, ac bene sperare jubeat. Verùm † præstis- hæc profectò ^{† præstis-} *non dicit.* Omnes enim generis deliberativi proprietates his in orationibus concurrunt. Nam primâ hortatur Catilinam,*

tilinam, ut urbe exeat; cui rei firmandæ, quem potius in partes ad-
 vocem, quàm Tullium ipsum? Air is: *Sint tu, quod te iam dudum hor-*
tor, exieris, exhaurietur ex urbe tuorum comitum magna & perniciosâ
sentina Reip. In secundâ verò tertiâque populo narrat, quæ gesta
 erant, ut rebus suis prospiciant. Id indicant verba hæc Orat. 11.
Instruite nunc, Quirites, contra has tam præclaras Catiline copias vestra
præsidia, vestrosq; exercitus: & primum illi &c. Et aliquanto post:
Quæ cum ita sint, Quirites, vestra recta custodijs vigilijsque defendite, &c.
 Tertiam quoque orationem ita claudit obsignatque: *Vos Quirites,*
quoniam iam nox est, veneramini illum Iovem, custodem huius urbis ac
vestrum, atque in vestra tecta discedite, & ea, quamquam iam periculum
est depulsum, tamen aequè ac priori nocte fecistis, custodijs, vigilijsq;
defendite &c. Hinc verò eadem illud quoque evincimus, spectari
 in ijs tempus futurum; ac finem esse utilitatem. Denique etiam
 auditores conveniunt: quippe qui in primâ sint senatus, in secun-
 dâ tertiâque concio.

* omni-
 scium.

Alijs quoque armis idem Muretus inibi veteres impugnat. *Tu,*
 inquit, *qui Oratorem Hippiam quendam avroδᾶν * facis, quæro ex te, cum*
ille de corporum caelestium motibus, de fulguribus, de terremotibus dispu-
tabit: in quo istorum trium generum eum versari dices? neque enim tum
laudabit, neque vituperabit, neque suadebit, neque dissuadebit, neque
accusabit, neque defendet. At verò hic plumbeus, quod dicitur, pu-
 gio est. Nam de huiuscemodi rebus bifariam tractat Orator; in-
 definite, & finite. Si cognitionis causâ de ijs agat, indefinita e-
 rit quæstio, eoque res eæ non pertinebunt ad *κατάστασις*, quam solam
 veteres in tria isthæc dispertiunt genera. Secus se res habet, si de
 ijs tractet finite. Tum enim, si circa consultationem versetur, res
 huiuscemodi quoque censebuntur generis *συμβουλευτικῆς* †: sin is lau-
 dem sibi; aut vituperationem propositam habeat; referentur ad
 demonstrativum. Itaque suavorij generis fuit Periclis ‡ oratio,
 cum de ijs, quæ ad solis lunæque cursum pertinent, differuit apud
 Athenienses, quò vanum eorum animis metum abstergeret, qui So-
 lis obscuracione internecionem sibi portendi arbitrabantur. At de-
 monstrativi sit generis oratio, si quis, Cæsarem vituperaturus, na-
 turales exponat cometarum causas, quò hoc pacto appareat, na-
 turalem fuisse stellam cinitam, quæ, ut lib. 1. refert Tranquillus,
ludis, quos primò consecratos ei heres Augustus edebat, per septem dies con-
tinuos fulsit: unde & eam creditum est animam esse Cæsaris in cælum
recepti: quemadmodum & hæc de causâ simulachro eius (ac par num-
 orum

† delibera-
 tivo.

‡ Val. Max.
 l. 8. c. 11.
 Fab. l. 1. c.
 10. Plu-
 tarch. in
 Pericle:
 Plin. l. 2. c.
 12.

morum vet. ratio est,) in vertice additur stella: ut idem inibi scribit.

Verùm cum excetrà mihi negotium est. Nam, ut illa olim capitum semper augetur incremento : ita nobis difficultatem alia semper excipit atque alia. Quippe quidam * hic renidens & renidens hypothesès quoque multas ab Oratore tractari ait, quæ sub nullo horum trium generum comprehendi queant. Nam neque eo cõtineri orationes, quibus res gestas narramus, aut quibus aliquid subditis mandamus : neque hortativas, aut peritorias : neque consolationem aut commendationem : neque gratulationem, aut lamentationem : esse autem & alia huiuscemodi plura. At me quidem hic auster non percellet. Neque enim veteres quamlibet orationem subijciunt hypothesi, sed eam solùm in quâ quæstio est de re singulari. At nulla est quæstio in orationibus, quibus aut mandamus, aut narramus. Neque hoc, quæ quorundam calumnia est, imperfectionem arguit Rhetorices. Nam mandata, si ἀπλῶς instituantur, sunt artis expertia ; cùm in eorum tractatione non sit opus locis Inventionis sive Oratoriæ, sive Dialecticæ. Sin visum rationes addere, quibus ad hoc imperandum impulsus sumus, fit quæstio generis Deliberativi. Quippe his utimur, ut in quos fortasse haut plenum habemus imperium, ij animis id lubentibus agant, quod vel malignè detrectare quibant, vel præstare inuiti. Vide sis Catuli hac ipsâ de re sententiam apud Tull. lib. II. de Orat.

* Kecker-
mannus in
systemate
Rhetorico.

Narratio quoque, quatenus orationis pars est, ad dispositionem Oratoriam pertinet. At si separatim instituat, considereturque; non tam ad Oratoriam referri debet, quàm ad Historicam facultatem : de quâ peculiari commentario egi.

Neq; est, quodd vanâ quemquam stipulâ eludant, quæ de gratulatione, lamentatione, aut similibus occidunt. Nam, ut huiuscemodi ad unum plurâve affectuum genera referuntur, quatenus sunt *καθημεῖ* †; ita meritò subijciuntur generibus causarum, quatenus in ijs quæstio λόγους, sive probationibus tractari debet.

† affectuum
genera.

Hanc fuisse Aristotelis mentem, indicio est, quod cùm tria fecisset argumentorum genera, λόγους, ἥθη, καὶ δυνάμεις † : de causarum quidem generibus tractet in doctrinâ λόγων, quos variare docet pro causâ varietate : at de affectibus, ex quorum cognitione pendet affectuosarum orationum tractatio, distincto agat libro.

† probatio-
nes, mores,
et affectus.

Verùm exemplo quoque uno alteroq; rem illustremus. Sanè oratio funebris, quâ laudat defunctum, generis est demonstrativi, eoq; & argumenta ex huiusce generis locis deponit. At quâ est

καθημεῖ

παραδειγμα, pertinet ad doctrinam affectuum, atque ex ea argumenta petit, imprimis autem ex loco Doloris. Itidem gratulatio generis demonstrativi est, quæ bonum extollit, quo quis auctus est: at affectuosa est, quæ gaudium restatur. Hortativa generis est deliberativi, quæ argumenta petit ab honesto, utili, iucundo: at affectuosa est, tum quæ amore excitat rei, ad quam inflammat; tum quæ æmulationem gignit; tum quæ & spem parit præmiorum, si res suscipiatur, & metum gignit contrariorum, si ea negligatur. Vt itaque rem in pauca conferam, ita statuo: cum orationum aliæ magis respiciant intellectum, aliæ verò affectum: ac illæ quidem magis egeant argumentis *σποδενκτικοίς* †, hæ autem *παραδειγματικοίς* *: omnes quidem orationes, quæ λόγους egent, subijci tribus causarum generibus; at eisdem quæ sunt affectuosæ, ad *παραλογίας* pertinere; inde quæ depromi debere argumenta, quibus tractentur. Quod si qua oratio sit, quæ nullis indigeat argumentis *σποδενκτικοίς*, ea quidem non poterit referri ad aliquod è tribus causarum generibus: attamen quia quæstio non erit, eo neque isti hypothefios sive quæstionis definitæ distributioni in tria genera quicquam derogabit.

† *probantibus.*
* *affectum*
motuibus.

III. QVICVM TRIA CAUSSARVM GENERA CONFERANTVR: ATQVE VT IN ORATIONIBVS,
VBI PLVRA DICENDI GENERA CONCVRRVNT, VNVM TAMEN
DOMINETVR.

VERVM de hisce tandem aliquando pausam faciamus, ac sermonem convertamus ad alia. Ac primò occurrit illud, levè profectò, & de quo ambigam, magisne pigeat præterire, an referre: Nonnulli * tria hæc dicendi genera triplici Chimæræ formâ designari putarunt: quemadmodum & sunt, qui fabulam hanc interpretati sunt de tribus potissimis orationis partibus, Exordio, Contentione (sub quâ Propositionem comprehendunt) & Peroratione. Sed hæc de re disceptationem relinquam istius *μυθολογίας* † autoribus; cum mihi sanè non tantum longè arcessita, sed etiam *σοφικὰ* †, & insubida uideatur.

Illud magis operæ pretium fuerit monuisse, quamvis plura sæpe dicendi genera in unâ eademque concurrant oratione; semper tamen aliquod esse genus primarium, quod maximè attenditur. Ita oratio pro Marcello ratione primarij scopi, qui est Cæsari gratias agere

* *Hesiodi*
scholast. in
σποδενκτικῶν
ex eo Calim
Rhodigina.
lib. 13.
cap. 9.
† *fabule e-*
narrationis
† insulsa.

agere pro restitutione Marcelli, pertinet ad genus Demonstrativum. Nam qui gratias agit, beneficium laudat & extollit. At ubi in eadem defendit illos, à quibus suspicabatur Cæsar vitæ suæ insidias strui, generis est Iuridicialis. Quâ adhortatur eum, ut ob communem salutem suæ consulat saluti, ad Deliberativum referenda est. Et oratio Maniliana versatur in genere Deliberativo. Nam etsi multa dicuntur in laudem Pompeij: tamen præcipua quæstio est, an Pompeius sit eligendus ad persequendas reliquias belli Mithridatici.

Atque hinc liquet, Ecclesiasticas quoque conciones generis esse Deliberativi. Laudantur quidem in ijs, ac vituperantur plurima: verum non ad delectationem, uti in Demonstrativo fieri solet; sed quò auditores sanctis sanctorum exemplis inflammantur ^{et} sanctimoniam; eorundem peccatis humanæ admoneantur fragilitatis; impiorum pœnis deterreantur ab impiorum moribus. Tractantur quoque in ijs multa, quæ sub hypothefi non continentur; uti cùm Trinitatis, aut salutaris *εὐαγγελιστικῆς* * mysterium exponitur, vel * *incarnatio-*tionis. Verum etsi huiuscemodi propriè & primò pertinet ant ad quæstionem infinitam: tamen eo inducere videntur naturam generis Deliberativi, quod scientia eorum non expetatur propter se, sed ob ulteriorem finem: is est, tum commune bonum, h. e. Dei gloria; tum singulare in communi consistens, h. e. nostri glorificatio; quæ & à gloriâ Dei proficiscitur, & in gloriâ Dei perficitur, & ad Dei gloriam tendit.

IV. TRIA DICENDI GENERA VEL ABSOLVTE TRACTARI, VEL COMPARETE.

PROXIMUM est, ut quædam universè exponamus de ratione ac viâ tractandi tria hæc dicendi genera. Tractatio ea instituitur bifariam, absolutè & comparatè. Absolutè tractari dicitur, cùm *ἀπλῶς* † ostenditur, aliquid esse utile, honestum, iustum. Comparatio verò appellatur, cùm docemus, aliud alio esse utilius, honestius, iustius. Prioris generis fuerit, si nullâ comparatione factâ aut Homerum laudes, aut Tullium: item si iuventutem adhorteris ad studium eloquentiæ, aut philosophiæ: item si in ius voces furem, aut adulterum. At comparatio sit, si quærat, maioremne laudem mereatur Homerus, an Maro; Demosthenes, an Cicero: magisne viro principi eloquentiæ danda sit opera, an philosophiæ:

num atrocius puniendus sit fur, an adulter. De ratione instituentæ comparationis, non est quod multum laboremus. Siquidem, qui proprios norit, assumtosque locos, is ex Topicis comparatorum locis, ac ijs, quæ ab Aristotele in Rhetoricis traduntur de magno & parvo, nullo negotio perspicere poterit, quo pacto in unoquoque genere instituenda sit comparatio.

V. ALIIS E LOCIS TRACTARI THESIN, QVAM HYPOTHESIN, AC PRÆTER LOCORVM DOCTRINAM, ETIAM PROPOSITIONVM NOTIAM REQVIRI.

PORRO, sive absolutè, sive comparatè instituitur tractatio, aliquanto alia thesios, quàm hypothesios tractandæ ratio est. Interdum enim loci ita proprij sunt quæstionis finitæ, ut infinitæ accommodari non possint. Quomodo, Xenophontem laudaturus, patriam adferes, quod Atheniensis; item eruditionem & res gestas, quia idem philosophus ac dux fortis fuit, ac par ratio aliorum, quæ ad peculiare Rhetorum locos pertinent. At si hominem universè vales laudare, non speciales hi loci consuli debent, sed illi, qui Dialectico & Rhetori sunt communes: uti locus efficientis, quia Dei ipsius opus est: item formæ, quia rationis est particeps, & ita in alijs. Verumtan en & sæpe usu venit, ut iisdem ex locis generalis ac specialis quæstio tractetur: ut, An ducenda sit uxor: & illa, An ducenda sit Catoni. Quocirca ita de his quæstionis finitæ generibus inferiùs agam, ut ab ea subinde adscendam ad infinitam.

Observandum præterea, in tractatione trium generum exigi cognitionem principiorum, quibus veritas in singulis dignoscatur inventionis locis. Sanè, sicuti Aristoteles in Topicis non tantum locos tradidit ad inveniendum, sed etiam canonas ad iudicandum: ita de his tribus generibus, non solum assignat sedes argumentorum, sed & copiam adducit propositionum, quas in singulis generibus, velut in procinctu paratas habeamus. Sed quemadmodum in Logicis contigit, ut nonnulli, quos $\chi\theta\epsilon\iota\varsigma$ & $\epsilon\pi\alpha\iota\tau\epsilon\iota\omega$ † novitatis studiù infatuaverat, locos tantummodo docerent, regulis, quas Maximas vocant, insuperhabitis: itidem plerique omnes veterum ac recentiorum $\epsilon\upsilon\mu\epsilon\lambda\alpha\varsigma$ * hanc Rhetoricam mutilatè docuerunt, præteritâ illâ amplissimâ canonum ac propositionum doctrinâ. Si igitur in eo simus omnes, ut in disciplinarum exercitu solidæ potius, quàm umbrati-

† *hevi & nudius tertium.*

* *argumenti inventio.*

umbratilis gloriæ, stipendia mereamus, ac plenam veramque doctrinam anteponamus miscellæ, & quasi confusæ ac tumultuariæ exercitationi, (*συσχυματῶν ἀκρόασις*, qualem Gorgiæ, Protagoræ, ^{sim Isocras.} cæterisque de Sophistarum grege attribuit Halicarnassensis*; ac nos agnoscimus in ijs, qui *ἄνδρες ἄριστοι* †, profcindendo Aristotelem † ^{hodie atque heri.} convicijs, infelicem apud suos sunt gloriam aucupati) his quidem, quæ vulgò tradi solent, adiungemus, quæ ingeniosè nervoseque tradita sunt ab uno penè Aristotele.

Atque hæc generatim de tribus dicendi generibus dicta sunt. Nunc de singulis videamus singulatim.

CAP IV.

DE GENERE DELIBERATIVO.

IN genere deliberativo duo imprimis sunt cognoscenda: primò, de quibus; deinde, ex quibus instituitur deliberatio: illud Materiam vocamus, hoc Locos argumentorum.

Materia est, quicquid à nobis fieri potest, sive id publicum sit, sive privatum.

Res, de quâ publicè instituitur deliberatio, Aristoteli quintuplex est; nempe pecunie; pax & bellum; regionum præsidia; ea quæ exportantur, & importantur; ac postremo leges.

Loci Homogeni sunt sex: ex quibus proprius Deliberativi generis est utile. Sed assumit è genere Demonstrativo Honestum; ex Iuridicali Equum, & Legitimum: adhibet etiam è locis communibus Possibile: atque ex omnibus his colligit de Eventu.

I. CUR ARISTOTELES ORDIATUR A GENERE DELIBERATIVO.

Etribus dicendi generibus, utrum à Deliberativo, an Demonstrativo initium sumamus, non usque adeo refert. Si facilitatis habenda sit ratio, primum sibi locum vindicat Demonstrativum. Itaque ab eo ordimur in Partitionibus nostris. Hic Aristotelem potius sequemur, qui primo loco tractat de *συμβουλευτικῶ* sive Deliberativo: idque propter eius dignitatem. Nam bonum quoddamque commune, hoc notius est: at deliberatur publicitus de ijs, quæ ad statum Reip. pertinent: iudicia verò quamvis publica, sunt tamen de

men de rebus privatis; uti de pecuniarijs controversijs, pactionibus, alijsque id genus rebus. Quodque ad demonstrativum genus attinet, interdum quidem eo seorsum utitur orator, præsertim in orationibus funebribus: attamen rarò id facit, sed deliberationi fere, aut iudicio admiscet: unde est, quod M. Antonius apud Cic. in secundo de Oratore tertium hoc genus non videatur agnoscere. Et sanè in tot orationibus Tullij, duabus exceptis, unâ ad Quirites; altera, quam in Senatu habuit post reditum ab exilio, nullam, puto, reperias, quæ propriè sit generis Demonstrativi. Nam Maniliana magis est generis Deliberativi, ut superius vidimus. At Philippicâ secundâ defendit se Tullius, Antonium accusat: atque id sine eo, ut ille patriæ hostis judicetur. Quare omnino magis pertinet ad genus Deliberativum, ac Iuridiciale.

Addam etiam alterum argumentum. Nam Latini quoque Rhetores (qui in duplici versabantur materiâ; Suasorijs nempe, quæ ad genus Deliberativum pertinent, & Controversijs, quæ generis sunt Iuridicialis) à Deliberativo ordiri solent. Quippe ut ex Quintiliano †, Tacito *, alijsque † videre est, pueros quidem excolebant in Suasorijs, ut facilioribus & minoris usus: provectiores verò in Controversijs exercebant, tanquã operosioribus, & ad ipsum forum pertinentibus; ad quem veit scopum Rhetores penè solum collimabant. Verùm quòd genus Deliberativum putârunt facilius esse Iuridiciali, toto cælo errarunt; ut cap. 1x. ex Aristotele ostensuri sumus.

† lib. 2.

cap. 1.

* in dialogo
de causis
corruptæ
eloquentiæ,
quem alijs
Fabij vel
alterius pu-
erant.

† uti Seneca
lib. 6. cõ-
trov. ubi de
Severo Cas-
sio loquitur.

II. DE ALIIS APPELLATIONIBVS GENERIS ΣΤΜΒΟΛΑΕΤΤΙΚΟΤ.

DICITVR autem hoc genus alio quoque nomine *Διμυροειδὴν*, & *Ἐκκλησιαστικὴν*, five Concionale; quia apud Græcos in concione solet consultari; quod apud Romanos maximè in Senatu fieri consuevit. Nam hi iudicia exercebant in foro, consilia autem inibant in curiâ; quod discrimen ostendit iste Taciti locus lib. III. *Annal. Id solum Germanico super leges præstiterimus, quod in curiâ potius, quam in foro; apud Senatum, quam apud Iudices, de morte eius ageretur.* At Athenienses, ut dixi, deliberabant ἐν ἐκκλησίαις: quæ duplices erant, ut ex Aristophanis interprete in *Acharn.* cognoscimus: aliæ *κλειαί* dicebantur, quæ erant *νέμμοι*, & *ὀεισμέναι*; hoc est legitimæ ac statæ (statis enim temporibus fiebant) aliæ autem extra ordi-

tra ordinem cogebantur, urgentibus quibusdam negotijs: quas *συγκλήτης & προσηλήτης* vocabant. Vide & Pollucem, Arpocratonem, Ammonium, atque alios.

III. DE GENERIS HUIUS MATERIA, FINI, TEMPORE, AC PARTIBVS.

MATERIA generis Deliberativi sunt res in manu ac arbitrio nostro positæ: τὰ *ῥαῖνόμενα ἀμφοτέρως ἔχειν* *, ut Aristoteles scribitur in bit. Sensit idem Tullius, qui secundo de Oratore auctor est, includenti deliberationem omnem, si intelligatur, quidpiam fieri non posse, aut imponatur necessitas. *Neque enim quisquam*, ut idem in Partitionibus ait, *deliberat, quā ratione perpetuo victurus sit; quoniam intelligit, sibi moriendi necessitatem incumbere: neque quisquam deliberat, quomodo volare possit: scit enim sibi alas non adesse.* Vide Aristotelem lib. III. Eth. Nicom. cap. III.

FINIS generis Deliberativi Aristoteli & Ciceroni in Partit. est utilitas. Idem Tullius lib. II. de Oratore in personā Antonij disputat, finem eius esse dignitatem: *Ergo, inquit, in suadendo nihil est optabilius, quā dignitas. Nam qui utilitatem putat, non quid maxime velit suaseri, sed quid interdum magis sequatur, videt.* At lib. II. de Inventione honestatem & utilitatem finem facit: estque in eādem sententiā Fabius lib. III. cap. VIII. Trapezuntius quoque lib. IV. Rhet. id quod ex honesto ac utili, intellectu in unum conflatur, finem esse deliberationis affirmat. Quæ nostra fit in hac opinionum varietate sententia, superiori capite ostendimus. Nunc illud addo, multis in reip. administratione idem esse visum utile & iustum. Certè Lyfander Lacedæmonius, teste Plutarcho, utili utebatur tanquam honesto: ac Alcibiades quoque in eo, quod iustitiam publico inretiretur emolumento, eidem imitatus dicitur τὸς αἰεὶς Λακεδαιμονίων, οἷς ἔν κελῶν ἀπλῶς ἢ δίχαιον εἶναι τὸ τῆς πατρίδος συμφέρον †. Quid quod Aristides, qui & Iusti nomen reportavit, ex quorundam sententiā pariter animatus fuit? Sanè, quemadmodum idem scribit, Ὁ Θεόφραστος φησὶ τὰς ἀνδρῶν τύπας. εἰ τὰ εὐκτα ἢ τὸς πολιτὰς ἀρετὸς ἔντα δίχαιον, ἐκ τοῖς κοίροις πολλὰ πράξει πρὸς τὴν ἐπίδοσιν τῆς πατρίδος, εἰς συγκύβιν ἀδικίας δειομένην. Καὶ τὰ ῥηήματα φησὶν ἐν δήλῳ βυδαλομένῳ Ἀδύπαρις κομίσει πρὸς τὰς συνδικίας, ἢ Σαρμίων εἰσηγουμένων, εἰσὶν ἐκείνων, ὡς ἢ δικαιοῦ μὲν, συμφέρον ἢ τῷτ' ἐστὶ. h. e. Theophrastus ait, hinc vitium in rebus

† *proceres Lacedæmoniorū, quibus honestas iustitiamque simpliciter erat, iustitia com-*

privatis & erga cives summè iustum, in publicis verò multa fecisse ad tempora patriæ, quasi illi iniustitiâ crebrò opus esset. Etenim cum deliberaretur, num pecuniam ex Delo Athenas deportarent contra sœdus, & Samij eiusce rei auctores essent; dixisse eum, inquam id quidem, attamen utile esse. Verùm longè faniùs de huiuscemodi rebus sensit, & scripsit, Tullius in aureis officiorum libris.

* futurum,
aut infias.
† 2. de O-
rat.

TEMPVS, circa quod versatur genus Deliberativum, futurum esse, cap. antecedenti diximus. Nam quod Demosthenes pro Ctesiphonte versari dicit circa τὸ μέλλον, ἢ τὸ παρὸν*: quod item Tullius †, sub personâ M. Antonij, interdum instantis atque etiam facti dilceptionem esse scribit in Deliberativo: id certè verum non est, nisi quatenus & instans & factum ad futurum refertur. Interdum tamen deliberatio quoque in iudicio locum habet: quod cum sit, videri profectò queat circa præteritum versari. Exemplum eiusce rei dabo. L. Flaccus, cum in Asiâ prætor esset, communi civitatum impensâ classem ædificavit, quò tuta redderet maria, quæ à prædonibus infestabantur. Postilla in ius vocatus est, quòd, cum opus non esset, classem extruxisset. Hic quoniam deliberatio eius accusatur tanquam inutilis; iecirco, quibus rationibus rem suasisset infectam, iisdem defendit factam. Movit id Trapezuntium, ut in causâ hæc duplicem poneret statum; Negotialem & Iuridicialem. Atqui Negotialis semper est de futuro: Iuridicialis de præterito. Quare quisquis hæc expendet ad iudicij obruffam, is mecum, puto, persuasissimum habebit, causas huiuscemodi haut alius esse generis, quàm Iuridicialis. Sanè Deliberativi generis dici nequeunt, cum rei factæ nulla sit deliberatio.

PARTES generis Deliberativi, quod & antea monuimus, sunt suasio & dissuasio, προτροπή & δυτροπή: unde etiam orationes, quæ in hoc genere versantur, dicuntur Suasoriæ. Sed Iul. Scal. lib. I. cap. I. de re Poët. negat ita appellari posse. Haut rectè, inquit, Deliberativi generis orationes Suasoria à quibusdam sunt appellata. Est enim finis omnium suasio. Quid enim aliud oratio quam fidem facit? Hoc autem est persuadere. Verùm si ab heroë illo dissentire fas est, non existimo carere ratione, quod orationes istiusmodi Suasorias nuncuparint. Neque enim insolens est, ut una eademque vox, prout vel latius accipitur, vel pressius, nunc genus sit, nunc species. Ita Logici methodum in ordinem, & methodum dividunt; & ipse Philosophus v. ουσιαστικὴ ἀκροασις motum generatim acceptum, dividit in mutationem, & motum propriè dictum. Itidem in III. Polit. tres ο-

ληθείας formas facit; *μοναρχίαν, ἀριστοκρατίαν, & πολιτείαν*. Sed & primo
 Rhetoricorum, cum *σημείον*, five signum, primò generatim usurpaf-
 set, mox distribuit in *ναγκαίον*, h. e. signum necessarium, & *σημείον*,
 h. e. signum non necessarium, quemadmodum supra † vidimus. † cap. 2.
 Dicimus igitur, Rhetores, nunc latiùs suasionis voce uti, ut cum
 Rhetorices finem statuunt persuasionem; nunc pressiùs, ut cum
 Deliberativi generis proprium dicunt suadere, aut diffuadere. Imò
 ipse Scaliger lib. III. de re Poët. cap. cxxv. nominat *Genus*
Judiciale, Suasorium, & Demonstrativum. Et meritò. Quis enim
 non videt, propriè magis illum dici suadere, qui auctor est, ut bel-
 lum inferatur hosti, aut ut vectigalia augeantur: minùs autem pro-
 priè id ei convenire, qui laudat, aut accusat; quamquam is quoque,
 quicquid refert, persuasum esse cupiat auditoribus? Ac, ne cui mi-
 rum videatur, quod dixi de duplici eius vocis acceptione, addo et-
 iam tertiam esse significationem, quâ pressiùs, quam hoc loco ac-
 cipiatur. Si quidem non rarò distinguitur ab hortatione, quam sua-
 sioni cap. antecedenti subijciebamus. Nam propriè suademus uti-
 le, quod solùm expedit; at hortamur etiam ad utile necessarium.
 Ita hoste iam cervicibus imminente, nemo propriè pugnam sua-
 det, quam detrectare non licet; sed adhortabitur omnes ad for-
 titer pugandum, aut fortiter occumbendum. Est & alterum in-
 ter ea discrimen. Nam suasio propriè respicit intellectum, adhor-
 tatio verò affectum. Itaque suadet quoque vir prudens, cum solis
 utitur argumentis *ἀποδεικτικῶς* *; atq; ad eò cum nullas consilij sui
 rationes exponit. At horum alterum si contingat, impropriè quem-
 piam dixeris adhortari. Contrà adhortatur quoque, qui solis uti-
 tur argumentis *παθητικῶς* †, quòd ijs animo faces stimuloque subdat.
 At hunc impropriè dicas suadere. Cum autem in perfectâ Deli-
 berativi generis oratione, & id, de quo consultatio est, argumentis
 debeat probari, & auditorum animi ad rem gerendam debeant in-
 flammari: liquidò dilucet, tum suasionem pressè sumtam, tum ad-
 hortationem, partes esse orationis suasoriæ, quâ primum è tribus
 constituit causæ genus: ut superiori etiam capite dicebamus.

* *probandi-
bus.*

† *affectum
moveribus.*

Neque hortativæ solùm sub suasorijs comprehenduntur, verùm
 & orationes consolatorix, petitorix, ac similes. Nam et si consola-
 toria sit affectuosa; tum quâ in eâ benevolentiam testamur, & amo-
 rem; tum quâ nos ostendimus tangi & angì alieno damno; tum
 quâ spem boni concitamus, quod malo huic opponi queat; tum quâ
 pudorem ingerimus ob animum effeminatum, ac æmulationem
 excita-

excitamus eorum exemplis, qui Vulcanio quodam scuto exceperunt omnes calamitatum ictus: meritò nihilominus censetur generis Deliberativi ratione argumentorū *σποδευτικῶν*, quæ ex huiusce generis locis deprimuntur: ut *ab honesto*, quod, qui homo sit, non debeat humani aliquid à se alienum putare: quodque oporteat acquiescere divinæ voluntati, quæ infortunia non modo permittat, sed quoque immittat: ut *ab inutili*, quod dolore nostro rem reprehendere, in-
Psalm. 39. 9. fecerit: quæ reddere nequeamus: quodque mæror coquat ac maceret hominem &c. Petitoria quoque, etsi sit *παρατηρικῆ*, quatenus ad conciliandum auditorem argumenta petit è loco amoris; ubi item, ad captandam misericordiam, inopiam ac miseriam suam commemorat: est tamen Deliberativi generis, quæ utitur *λόγῳ* sive argumentis probantibus: ut cum quis ostendit id se rogare, quod alter nullo suo damno possit concedere, atque aded ex quo ad ipsum quoque fructus redire queat; aliaque istiusmodi.

IV. DE LOCIS GENERIS DELIBERATIVI.

† ἐν τέλει
77.

LOCI sive capita generis Deliberativi ἐν τῇ κατασκευῇ sive confirmatione à Dionysio Halicarnassensi † quatuor ponuntur; iustum, utile, honestum, & possibile: ἡ ζήτησις, inquit, ἐστὶν τέσσαρα τοῖς τῆς συμβουλῆς κεφαλαίοις, τὸ δίκαιον, τὸ συμφέροντι, τὸ καλῶν, τὸ δυνατόν. At Hermogeni sunt sex: τὸ νόμιμον, *legitimum*; τὸ δίκαιον, *iustum*; τὸ συμφέρον, *utile*; τὸ δυνατόν, *possibile*; τὸ ἐνδοξόν, *honestum ac gloriosum*; τὸ ἐπισημόμενον ἀγαθόν, *eventivum bonum*. Idem ἐν τῇ ἀνασκευῇ, sive in refutatione, loci huius generis sunt, τὸ ἀνομιον, τὸ ἀδίκον, τὸ βλαβερόν, τὸ ἀδυνάτον, τὸ ἀδοξόν, τὸ ἐνδεχόμενον κακόν. Ex his utile & inutile locus est Deliberativi generis proprius. Honestum assumptus locus est è genere Demonstrativo. Neque τὸ νόμιμον, *ius scriptum* (qui locus est ἀπικρυφόν) vel τὸ δίκαιον, *ius non scriptum*, è peculiaribus deprimat localis; sed è Iuridiciali. Δυνατόν, *possibile*, locus est communis, de quo supra pauca diximus. Sub eo autem comprehenditur facile & difficile. Nam quicquid fieri potest, id vel facile vel difficile fit, sive ἀπλοῶς †, sive institutâ comparatione. Possibili & impossibili addo ex Aristotele, ac quasi fuculenturio, magnum ac parvum. Nam etsi ab Hermogene prætereatur, non tamen minus in Deliberativo locus hic communis adhibetur, quàm possibile. Ex his omnibus colligimus τὸ ἐπισημόμενον; quòd nempe, quomodocumque res cadat, melius erit sic egisse. Quomodo autem

* artis ex-
pers.

† simpliciter.

Hermoge-

Hermogenici hi loci tractari debeant, ostendam cap. ix. in statu Negotiali, qui generis Deliberativi proprius est. Addunt & quidam iucundum & iniucundum, è quibus etiam locis argumentamur in hoc genere; velut cum ad studium disciplinæ alicuius adhortamur. Nam bene olim Varro Cato, siue de liberis educandis: *Remotissimum, inquit, ad discendum, formido, nimius timor, & omnis perturbatio animi: contra delectatio proterum ad discendum...* Alij verò iucundum & iniucundum comprehendendi putant sub utili & inutili, ut eius speciem: & rectè, cum iucundum ita dicatur, quia iuvat; teste Tullio in 11. de Finibus; ideoque per *u* potius scribendum; quam per *o*, quasi sit à ioco. Neque opus est, ut necessarium locis Hermogenis adjiciamus. Nam necessarium est, quod ita utile est, ut sine eo res *nec esse* possit: unde & nomen. Maximè autem è septem locis vulgò adhibentur argumenta è locis ab utili, ab honesto, à possibili. Exemplum habes in illis Hæctoris verbis, quibus Æneam compellat lib. 11. divini operis:

Hæu fuge, nate Deâ, teq; his, ait, eripe flammis:

Hospis habet muros: ruit alto à culmine Troia:

Sat Priamo, patriaq; datum, si Pergama destrâ

Defendi possent, etiam hæc defensa fuissent.

Quâ in oratione primò Hæctor siue Poëta proponit, cum fugiendum ait: inde confirmat. Confirmatio autem petitur, partim ab argumentis proprijs huic generi; partim à communibus. A proprijs bifariam; ab utili, & ab honesto. Ab utili, cum operam ait incassum infumi in tuenda Troia. Ab honesto, cum adiungit, abundè Æneam consuluisse, & regis, & patriæ honori. Cumq; argumenta communia sint possibile & impossibile; magnum & parvum: utitur Hæctor argumento petito, tum *ὁδὸν τῆς ἀδωδότης* *, tum à * *ab imposs.* comparatione; nempe à magis ad minùs. Nam sententia est, si *fibit*. nec Hæctor valuerit Troiam defendere, multò minùs id poterit Æneas. Item Cicero Philippica v 11. pacem cum Antonio dissuadet tribus istis, inhonesto, noxio, impossibili. Sic enim inter alia loquitur: *Ego ille pacis semper laudator, semper auctor, pacem cum M. Antonio esse nolo. Et mox: Cur igitur pacem nolo? quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest: qua tria dum explico, peto à vobis P. C. ut eadem benignitate, quâ soletis, verba mea audiat. Adjungam quoque exordium singularum partium. Prima sic incipit: Quid est inconstantia, mobilitate, levitate, cum singulis hominibus, tum verò universo senatui turpini? quid porro inconstantius, quam, quem modo*

hostem non verbo, sed re, multis decretis judicavistis, cum hoc subito pace velle coniungi? Alteram hunc in modum orditur: Dicam deinceps, ut proposui, de periculo: quod etsi minus est fugiendum, quam turpitudine: tamen offendit animos maioris partis hominum magis. Tertiam auspica- tur ab istis verbis: Dixi de periculo: docebo, ne coagmentari quidem posse pacem, de tribus enim, quæ proposui, hoc extremum est.

V. DE MATERIA CONSULTATIONIS PUBLICÆ.

EX his pauculis dubium non est, quin generatim natura, & tra- ctatio suasionis perspiciatur. Sed quota eorum pars sunt, quæ ab Aristotele traduntur? aut quotusquisque est, qui hæc solum in- structus notitiâ in publicâ huiusce generis causâ cum laude versari queat? Quare, ne eorum instar, qui contenti sunt circulatoriâ voluptate & applausu, in cognitione hæc obscurâ subsistamus: vi- sum quoque aliqua speciatim adiungere de consultationibus publi- cis. Primò autem de earum materiâ dicemus; deinde de fine.

Ac varia quidem sunt, de quibus publicitus institui potest deli- beratio. Quinque autem hæc principem locum obtinent: primò pecuniæ; deinde pax, & bellum; tertio regionum præsidia; hinc ea, quæ exportantur, & importantur; postremò leges. De pecu- nijs duo observanda: primò, redditus publici; deinde funtus civi- tatis. De bello & pace tenenda quatuor: primò vires militares civi- tatis; deinde bella eius, itemque finitimorum, & illorum, qui- buscum bellum gerere cogitamus; tertio, an vires nostræ pares sint hostilibus, nec ne; quarto, bella quævis externa, quò inde coniectu- ram capere liceat de belli nostri eventu. De custodiâ regionis ite- dem consideranda sunt quatuor: primò modus custodiendi; puta utrùm ea custodiri debeat copijs equestribus, an pedestribus, an trirēibus, an propugnaculis; deinde numerus custodum; tertio forma præsidiorum, quâ nempe formâ propugnacula, aut castra sint extruenda; (prout Aristotelis locum interpretatur Riccobonus) quarto loca præsidiorum, quando non omnibus par imminet pe- riculum. De ratione annonæ duo sunt scienda: primò, quantum civitati opus sit ad rem cibariam; deinde quid in agris nostris pro- veniat, & quid opus sit aliunde apportari. Denique de legibus, (in quibus civitatis salus posita est, ut fusè disputat Demosthenes oratione contra Aristogitonem) quatuor hæc cognoscenda sunt: primò, quot, & quæ sint formæ Reip. deinde, quæ unicuique profint; tertio,

tertid, quibus de causis everti, aut converti soleant Reip. formæ; quartò, quod genus Reip. civitati nostræ, quod item alijs sit utile; ad cuius rei cognitionem conducunt historia, & peregrinatio. Ac de his quidem omnibus agit Arist. cap. xv. iuxta vulgarem divisionem, sive xx. secundum partitionem Danielis Barbari; quam etiam secutus Maioragius; iteique is, qui Rhetorica Aristotelis edidit cum commentarijs Sturii ianici.

VI. DE FINE PUBLICÆ CONSULTATIONIS: SIVE DE BEATITVDINE CIVILI, ET PARTIBVS EIVS.

PERSPECTA huius generis materiâ, perpendemus, quæ Aristoteles tractat de FINE deliberantium: nempe de *ἡδαιμονία πολιτική*. i. felicitate; vel, prout mavult Victorius, beatitudine civili. Ea Aristoteli, cum alijs modis, tum etiam definitur *ἡ κατὰ φύσιν ἀρετή*, quod Muretus transtulit, *bonus verum successus cum virtute coniunctus*. Sed alibi definitur, *ἡ ἐνέργεια τοῦ λόγου κατὰ ἀρετὴν ἀριστήν ἢ πλεονεκτήσιον ἐν βίῳ πολιτικῇ*. h. e. *operatio, seu actio animæ rationalis, secundum virtutem optimam & perfectissimam in vitâ perfectâ*. Habes eam definitionem lib. i. Ethicorum Nicomachiorum; ubi de illa accuratè tractat auctor, qui profecto non est alius ab Aristotele, quantumvis Tullius in quinçto de Finibus, ab eius filio Nicomacho confecta esse, indeque Nicomachia dici, suspicetur. At omnium accuratissima erit definitio, si dicamus, beatitudinem esse bonum perfectum & optimum, pendens ab animæ rationalis actione, & virtute in vitâ perfectâ. Siquidem causa nequit esse genus*, quod in superiori sit definitio: neque genus cum specie suâ reciprocatur †, quod quidem fiat, si genus sit causa adequata. Quocirca causa accidentium propriorum sola minimè constituit definitionem: sed tantum coniuncta essentiali, quæ istiusmodi est apud Aristotelem; *ἡδαιμονία ἐστὶν ἀγαθὸν τέλειον ἢ ἀεὶ ὄν **. Iure autem in Rhetoricis Aristoteles, ut aliarum rerum multarum, ita beatitudinis quoque definitiones adfert minus accuratas; quia cum Rhetorica non sit scientia, sed facultas, si quis ubique *ἀνελεῖται* † illam exigat, tacite naturam destruat facultatis.

PARTES huius *ἡδαιμονίας* sunt bona omnia, tum interna, tum externa. Interna autem vel animi sunt, cuiusmodi est virtus, à cuius actione & usu pendet felicitas: vel corporis, ut sunt fami-

* Arist. 4. Top. cap. 2. cont. 3.

† Idem inibi context.

2. Et 9. Et lib. Categ. cap. de subst. cont. 17.

* Beatitudo est bonum perfectum & optimum. * accuratè diligenter.

tas, forma, robur, magnitudo, facultas certandi, (*δυναμὸς ἀγωνιστικῆ*) & *εὐγυνεῖα*, seu bona senectus: quæ tamen non corporis modò, sed & fortunæ munera requirit. Nam hanc esse Aristotelis sententiam, rectè in antexegematis ostendit Christophorus Rufus. At enim dicas, iam de internis sermonem esse. Non id inficias eo, sed cum nemini, quantumvis se portanti eleganter, atque adeo, ut cum Comico loquar, pancraticè valenti, levis in summâ esse inopiâ senectus queat: omnino, ut quis dicitur *εὐγυνεῖα* †, muneribus fortunæ ei opus est, licet non primò, sed per accidens. Et hæc de internis.

† *commo-
di a senectus
bis.*

Externa bona sunt sex. I. *εὐγένεια*, seu nobilitas, quæ est multorum maiorum splendor. Nam qui obscuris est ortus parentibus, principium esse nobilitatis potest, nobilis non potest: at contra nobilitas quoque est, qui à virtute maiorum descendit; et si non tam ei nobilitas proficit, quàm obfit; quippe quæ solis instar, & recta, & prava, omnibus reddat conspicua: unde Sallust. in Iugurtha; *Maiorum gloria posteris quasi lumen est. Neque bona, neque mala in occulto patitur.* Quod ipsum & Iuvenalis monet sat. v. 111. Adde quod non aliam ob causam in honore sit nobilitas, quàm quia, ut primò Politicorum scribit Philosophus, haut secus atq; ex homine homo, ex fera nascitur fera; ita, ex bonis quoque nasci bonos, sit verisimile. Oriuntur autem ex bonis, qui nascuntur è præditis virtute. Insuper verò è bonis quoque nasci vulgò existimantur, qui nascuntur divitibus: ac causa eiusce rei est, quòd divites ea iam habeant, quorum gratiâ alij alios damno maculare solent. Atque hinc nemini obscurum esse potest, cur Philosophus in iv. Polit. nobilitatem scribat esse virtutem, & antiquas divitias. Requiritur autem ad veram nobilitatem, tum ut quis claris sit ortus maioribus, tum etiam ut legitimè sit ortus: hoc est, ut & loco honesto, & honestè sit natus. Nam, quod & Græcum *εὐγενείας* nomen indicat, spurij verè proprieque nobiles esse non possunt, quia non sunt bene nati, ut loquitur Horatius. Nascuntur enim, contra quàm præscribit virtus, & iustitia civilis. Itaque Græcis dicuntur *κακῶς γεγενῆσθαι*: quod certè contrarium est voci *εὐγενῆσθαι*, sive *εὐγεγονῆσθαι*. Plutarchus in Lyfandro: *ἀλλὰ πολλὸν ἦσαν τῶν βασιλείων, ἢ τόδοι κακῶς γεγενῆσθαι βασιλευσίων Ἡρακλείδαις* *. Nimirum conceptio est generis fundamentum. At nothi & spurij non nascuntur nuptiis legitimis aut iustis, prout appellantur à Iurisconsultis veteribus. Et hæc de primo.

Secundum inter externa locum obtinet *εὐδοξία*, quâ non modò boni à bonis, sed ab universis iudicamur.

* *at elaudum esse regni, si nobili, & illegitimè nati imperè potestati Herculis. † bona facta.*

Tertium

Tertium est τιμή, seu honor, quæ εὐδοξίας signam est; unde Aristoteli definitur σημεῖον ἐνεργητικῆς δόξης †. Est verò id signum, non in honorato, uti quidam existimaverunt; sed in honorante, qui significat, se opinari eum, quem honorat, aut bene fecisse, aut bene facere posse.

† signum opinionis benefactricis.

Quartum est πλοῦτος seu divitiarum. Omnino autem τὸ πλοῦτον εἶναι ἐν τῷ χεῖρα μαῖλλον ἢ ἐν τῷ κτήσασθαι. h. e. divitem quempiam esse, in usu magis, quam in possessione positum est. Vnde & Menander:

Μανδραγό, ὅτι ἕσται ἢ γυνὴ ἔχει.

Χρήται γὰρ ἕτ' εἰς ἃ δὲ ταύτην ἀλάσθαι. †

Quem imitatus Horatius ad Tibullum:

---Di tibi mentem,

Di tibi divitias dederunt, artemq; fruendi.

Sanè avaris χεῖματα non sunt χεῖματα, ut ἐπιμον quoque indicat.

Inter divitias principem facile locum obtinent prædialia: quæ unde commendentur, inferius dicitur*.

Quintum est πολυφιλία ἢ χριστοφιλία, amicitia cum multis, bonisq;.

Sextum est πολυτεχνία ἢ ἐντεχνία, liberorum multitudo, & bonitas.

Sex isthæc Cicero lib. de orat. secundo appellat bona fortunæ: sed rectius idem lib. I I I. cum Aristotele externa vocat; quandoquidem & externa bona sunt, quæ fortunæ non sunt; & fortunæ sunt bona, quæ non sunt externa. Nam εὐζύγεια bonum est externum, fortunæ non est: ac contrà v. aetudo non à naturâ semper est, sed fortunæ etiam beneficio restituitur; quod Pheræo Iasoni contigit, refert Cicero; ut dicemus sub finem cap. I X.

Ac cur corporis externaque bona, licet multis affligant humo divinæ particulam auræ, ut Poëta * loquitur; requirantur nihilominus ad perfectam beatitudinem; gemina mihi esse ratio videtur. Sunt enim, tum instrumenta necessaria; cum nemo sine robore & sanitate fortis esse possit; aut sine opibus & amicis liberalis: tum ornamenta, cum eorum defectus felicitatis splendorem obscurat. Atque hinc est, quod (ut in Ethicis scripsit Aristoteles) nonnulli εὐτυχίας †, nonnulli etiam virtutem, idem ac εὐδαιμονίας ‡ esse existimant: εὐτυχίας nimirum, quia dictum est εὐδαιμονίας egere bonis fortunæ; virtutem verò, quia ea consistit in actione virtutis. Consultat Aristoteles lib. I. Rhetor. ad Theodectem (prout vulgò malè inscribuntur, cum in iisdem * fiat mentio Theodectiorum) à cap. XIX. usque ad caput XXV. tam etiam lib. I. Ethicor. Nicomachiorum; cum primis cap. V I I I. & I X.

* Horat. lib. 2. Sat. 2.

† bonam fortunam
‡ beatitudinem.

* lib. 2. cap. 18.

VII. DE MEDIIS AD FELICITATEM, SIVE DE BONO VNIVERSE.

QVANTVMCVNQVE autem necessaria sit Oratori finis notitia; magis tamen ei opus est, ut cognoscat ea, quæ ad *ευδαιμονίας* *πολιτικῆν* * ordinantur. Nam de fine nulla est deliberatio, cum non consultemus, an velimus esse felices; sed quomodo consequi possimus felicitatem. Itaque Aristoteles, postquam de *ευδαιμονίᾳ*, eiusq; partibus egit; de bono in genere, sub quo etiam media continentur, tractationem subiicit, ac utilissimas affert propositiones in unoquoque boni genere. Considerantur autem bona, tum simpliciter, tum comparatè. Quæ simpliciter considerantur, vel sunt *ἀμολογύματα*, quæ omnes bona esse confitentur; vel *ἀμφισβητήσιμα*, de quibus potest oriri controversia. De bonis confessis Aristoteles ex Dan. Barbari distinctione agit cap. xxv. de controversiis xxv i. Ad quæ loca satis fit digitum, velut ad fontem, intendisse. Fusiùs enim prosequitur illam propositionum sylvam, quam ut hic quoq; reponi debeant: neque etiam nobis otium exscribendi Aristoteles, neque is animus. At cap. xv i i. tractat de bonis comparatis. Fit autem relatio bonorum, vel *διωάμι*, vel *μεγέθη*, vel *ἀειδμή*, *virtute*, *magnitudine*, aut *numero*. Dicitur enim *ὑπερέχον ἢ ὑπερεχόμενον* † ratione *διωάμι* †: *μεζον* * autem, ἢ *ἴσαλλον* †, ratione *μεγέθους* *: at *πολύ* ἢ *μικρόν* † ratione *ἀειδμῆ* b.

† *praestantius & de-
terius.*

† *virtutis.*

† *maius.*

† *et minus.*

* *magnitudi-
nis.*

a *multum*

& *paucum.*

b *numeri.*

VIII. DE VARIIS REIPUBLICÆ FORMIS.

QVIA autem deliberatio accommodata est ad mores civitatis; † *propositi.* *περαιτέρω* †; *περαι-
ρίαις* verò variat pro varietate finium: iccirco Aristotel. cap. xxviii. agit de diversis Republicæ formis, ac singularum fine. Statuit autem quatuor Republicæ *καταστάσεις* * sive *ιδίαι* †: nempe *δημοκρατίαν*, si populus regat; *ὀλιγαρχίαν*, si pauci, ijque locupletiores; *ἀριστοκρατίαν*, cum pauci, ijque meliores; *μοναρχίαν*, si unus. *Δημοκρατίας* finis libertas; *ὀλιγαρχίας* divitiar; *ἀριστοκρατίας* legum disciplina; *μοναρχίας* custodia.

* *status.*

† *formas.*

Sed hæc pinguiori Minervâ ab Aristotele in Rhetoricis dicuntur, quia propriè hæc doctrina ad Ethica pertinet. Certè v i i i. Eth. cap. x. & lib. iv. Polit. cap. xi. accuratius *πολιτίας* status considerans

siderans, triplicem assignat formam rerum publicarum; uti & Æschines facit, cuius verba inferius † apponam. Ijs verò opponit totidem status depravatos. De singulis agemus paucis.

Μοναρχία dicitur, si unus regnet; unde *singularem potentiam* vocat Nepos*. Is, si iustitiâ sectetur, *βασιλεία* est, sive regnum: sin, quâ iure quâ iniuriâ, omnia agat, *τυραννίς*. Interdû tamen hæc confundunt veteres. Nam apud Homerû * teterrimus ille Echetus, de quo & quædam Apollonius in *iv. Ἀργοναυτικῶν*, vocatur *βασιλεύς*. Locuti quoq; hæc ratione alij, eosq; inter Polybius, cuius vestigijs, (ut in notis ad luculenti illius scriptoris *ἐλλογὰς περὶ ἑσθητῶν* accuratè ostendit Fulvius Ursinus) passim institit Livius, usque aded ut sæpe etiam verbum penè verbo interpretetur. Quod ad Polybij locum, apud eum legere est, *μετὰ ἑσθητῶν τὴν καὶ Ἰερωνύμου τὴν βασιλείαν*, pro quo Livius dixit, *coniunctatio in tyranni caput facta*. Contrâ *τυραννίς* (quam vocem, ut & *τυραννία*, Homerus, Heciodus, & antiquissimi quique ignorant*, ut quorum ætate necdum fuerit in usu) ab Æschine pro *μοναρχία* ponitur orat. contra Ctesiphontem. Itidem *τύραννος* in Nubibus, (ubi Iovem ipsûm vocat *Θεὸν τύραννον*) Platone in *ἑσθητῶν*, Sophocle cum tragediam inscribit Oedipum tyrannum: atque è Romanis etiam scriptoribus, cum à Marone *vixit*. Æn. vbi Latinus ita Æncam nominat, cui benignè omnia atque adeo filiam offert: tum Horatio, cui † Lamus est *latè tyrannus*. Sed & *μόναρχος συνδοχικός* † l. 3. ad. 7. pro tyranno usurpatur: unde Pausanias, in *ix. de Burijs* agens, eundem priùs *τύραννον*, mox *μόναρχον* nominat: & Lucianus in Phalaride secundo *μοναρχεῖν* dixit pro tyrannidem exercere. Verûm metuo, ne Grammaticum hæc magis pulverem oleant, quàm eius disciplinæ, cuius nunc latos & lætos calcamus campos.

Inter *βασιλείαν* & *τυραννίδα* medium locum obtrinet *δεσποτία* seu dominatus. Quippe cum rex omnia conferat ad salutem publicam, tyrannus autem ad suam: dominus mediam insistit viam, quia ante omnia attendit, quid sibi expediat; nec tamen negligit salutem civium, sed eam curat secundario. Vide Arist. lib. *ix. Polit. cap. xv*. Huiusmodi reges esse solent Persarum: quia subditi fere se habebant instar servorum. At dominus & servus sunt *τῶν αἰετῶν*.

Altera Reip. forma itidem duas potissimum formas continet. Nam si pauci regnent, ijque publico omnia bono metiantur; *ἄριστοκρατία* dicitur, sive optimatum imperium: sin ad propriam omnia dirigant utilitatem; *ὀλιγαρχία* vocatur, sive dominatus paucorum.

Ac det

Ac *ἀριστοκρατία* quidem siue optimatum imperium vocatur, quia, qui præliant, ita se gerunt, ut sua consilia optimo cuique probent: ut ait Tullius pro Sexto. *Ὀλιγαρχία* autem dicitur nomine generis. Sanè & Plato τῶν κατὰ τὴν ἀρίστην δυνατείαν dividit in *ἀριστοκρατίαν* ἢ *ὀλιγαρχίαν*: ac

* quando
nulla est le-
gum ratio.

ὀλιγαρχίαν vocari ait ὅτι τὰν τῶν νόμων μὴ φροντιστῶν *.
Quemadmodum autem inter regnum & tyrannidem status est medius, qui dominatus dicitur: ita & paucorum imperium est, quod nec aristocratix nomen mereatur, nec tamen tyrannica paucorum potestas dici possit. Huiusmodi imperium rectè vocabitur *ὀλιγαρχία δεσποτική*. Ut cum Reip. præfides primo quidem sui commodi, deinde autem civium salutis curam gerunt. Sed Aristoteles hoc quoque imperium *ὀλιγαρχίαν* nominat. Vide eum Polit. lib. IV. cap. V. & VI. & V. Polit. cap. VI. & VII.

Tertia Reip. forma est, cum potestas est penes multos, ut cum magistratus nihil potest sine tribuum voluntate. Sanè δῆμοσ opponitur τῶν βελῶν: ut apud Latinos populus Senatui; velut cum dicitur *Senatus populusque Romanus*. Per populi igitur potestatem ea intelligitur, quam habent tribus. Imò interdum & δῆμοσ exponitur *tribus*. Est autem hæc quoque potestas duplex: quia multi illi, penes quos imperium est, aut commune bonum respiciunt, aut pro libidine cuncta agunt. Prius Reip. genus Isocrati alijq; *κατὰ τὴν ἐξοχὴν πολιτείαν* vocatur: proprio autem nomine Xenophonti quidem nominatur *παιτοκρατία*; Aristoteli verò *τιμοκρατία* siue *τιμοκρατικὴ πολιτεία*, h. e. censuum potestas; quia nempe in ea *τιμὴ* h. e. census attenditur: unde fit, ut in hoc Reip. genere numerus eorum, qui imperant, nunc maior, nunc minor sit; quia quo grandior præscripta est rei familiaris mensura, hoc pauciores imperant; quo minor est census, hoc plures sunt Reip. participes. At *παρὶ βλαστίαν* seu labes Reip. finitima est *δημοκρατία*, siue populi potentia, ut nominat Cornelius Nepos † Sed & multitudinis dominatum, & popularem statum vocare licet: estq; nihil aliud, quam *πλεονεξία* multorum capitum. Non rarè tamen *δημοκρατίας* vox in bonam accipitur partem. *Æschines* †; *ἔν τῷ βίβλῳ, ἀ' Ἀθηναίων, ἐπι τῆς εἰς πολιτείας κατὰ τῶν ἀνδρῶν ποιοῦντος πλεονεξίας ἢ ὀλιγαρχίας, ἢ δημοκρατίας. Διακίετα δ' αἰ μὴν πλεονεξίας ἢ ὀλιγαρχίας τοῖς τῶν ποιοῦντων αἰ τῶν ἀλλοτρίων αἰ τῶν ἀλλοτρίων αἰ δημοκρατίας, τοῖς νόμοις τοῖς κειμένοις. h. e. Optimè enim nōstis, Athenienses, tria esse Reip. genera, unius imperium, paucorum potestatem, & populi libertatem. Ac unius quidem, & paucorum dominatus, reguntur pro eorum arbitrio, qui præsumunt: at libera civitate receptis reguntur legibus.*

† in Alcibiade.

† orat. contra Ctesiphontem.

In πολι-

In *πολιτία* est *ἐλευθερία* libertas, sed deest maiestas. In *μοναρχία* (non ubi appellatione solum, sed re ipsa sunt reges) adest maiestas, deest libertas. *Δεσποετία* minus maiestatis habet, quam *μοναρχία*, plus quam *δημοετία*: minus libertatis, quam *δημοετία*, plus quam *μοναρχία*. Sed si principatus sit, (est ea *δεσποετίας* species, in qua unus dignitate cæteris prior est) jam quodammodo maiestatem assequitur *μοναρχίας*; & retinet æquabilem libertatem, quantum satis est; quia cuius aditus per virtutem patet ad honorem ac imperij partem. Ac videri possit huiuscemodi status minus esse periculosus, quam vel *δημοετία*, quia plebs planè est imperita; vel *μοναρχία*, quia unus homo multis est obnoxius erroribus. Interim, ut præclarè Alcibiades, & Augustus dixere, boni est civis præsentem statum tueri, cumque mutatum nolle. Nam etsi alius fortasse melior; melius tamen non optimâ uti, quam receptam immutare. Cuius ratio est, quodd uti plantis, sic legibus, ad figendas radices longo opus est tempore, planèq; ut plantarum, si crebrò transferas, sic legum, si crebrò mutes, vis atque robur deperit. Adde, quodd non omni populo idem convenit imperium: eoque alia alijs forma rectius committatur. Asiaticis, sine dubio, regia rectius adhibetur. At plerique Septentrionales populi, quia libertatem magis spirant, suæ melius libertati committuntur. Ex quorundam etiam sententia, magna imperia melius regio, minima melius à populo reguntur: mediocribus autem, præsertim si sua norint fortiter tueri, & aliena non appetant, optimatum maximè convenit imperium.

Πολιτία hodie utuntur Helvetij, *δεσποετία* Veneti, *μοναρχία* Britannij & Galli. Singula autem hæc imperij genera videre olim fuit apud Romanos: *μοναρχίαν* quidem sub regibus; *δεσποετίαν* sub consulibus & Senatu, ante tribunitiam potestatem; *δημοετίαν* vero, cum tribuni maximè vigerent. Quod si Græcos consideremus, *πολιτίαν* usurparunt Athenienses, *δεσποετίαν* Lacedæmonij, *μοναρχίαν* Macedones. Apud Persas, interfectis Magis, *δημοετίαν* laudabat Otanes, (qui Iustino Ostantes) *δεσποετίαν* commendabat Megabyzus, *μοναρχίαν* patrociniū suscipiebat Darius. Vide de his orationes singulorum apud Herodotum. Atque hæc de genere Deliberativo. Quod si quid hic defiat, id in Negotiali statu † persequemur.

† Cap. 9.

DE GENERE DEMONSTRATIVO.

GENVS Demonstrativum est triplex: unum personarum, vel quasi personarum; alterum factorum; tertium rerum. In laude ac vituperatione personarum series adhibetur, vel naturalis, vel artificialis.

Artificialis est, cum non servato temporis ordine, omnia ad certa genera seu capita referimus; ut sunt bona animi, corporis, & fortuna. Naturalis vero series est, in qua historia servatur ordo.

Dividitur hac in tria tempora: id quod est ante hominem; id quo quis vixit; & illud, quod mortem consecutum est.

In primo tempore considerata sunt, cum auguria & oracula, siqua natalem antecesserint; tum genus & patria; a quibus bifariam laudamus. Nam si hac illustria contigerint, dicimus aliquem respondisse patrij soli, vel natalium splendori: at si ea sint ignobilia, quempiam patriam, aut generis obscuritatem, virtute sua illustrasse ostendimus.

In ipsa vita sunt quatuor. Primum est natura, tum corporis, ut sanitas, robor, agilitas, & pulchritudo; tum animi, ut ingenium, ac memoria. Alterum est fortuna, sive opes. Tertium educatio, ac institutio. Quartum actiones, earumque, tum circumstantia, tum premia.

In ultimo sunt, cum mortis genus, pompa funebris, & similia; tum imprimis iactura & luctus ob eam; quibus subijcitur consolatio. Atque huiusmodi est laus personae, uti Alexandri. Unde facile erit cognoscere modum laudandi quasi personam, ut Bucephalum.

In DEMONSTRATIONE FACTORVM eadem sunt probandi loca, quae in Deliberativo. Nam hic laudatur, quod illic suaderetur.

At amplificandi loca sunt octo. Nam ad factorum laudem pertinet, quod quis primus fecerit, vel solus, vel cum paucis, vel praecipue, vel tempore maxime necessario, vel saepe, vel rem maxime spectantem civitatis laudem, vel quod primus eo novos acquisiverit honores.

In DEMONSTRATIONE RERVM non una est ratio. Nam in laude regionum, urbium, ac similium, par fere ratio est, atque in demonstratione personarum. Quod enim in hominibus est genus, & patria, id in locis sunt conditores ac principes, qui in ijs gubernarunt: quod

quod in illis forma corporis, id in his situs : quod in illis animi virtutes, id hic fertilitas, & similia.

At in aliarum rerum, veluti in disciplinarum commendatione, idem sunt loci, qui in demonstratione factorum.

Honestas ostenditur à causis efficientibus, & antiquitate, Virilitas probatur ab effectibus, & sine.

I. CUR GENVS DEMONSTRATIVVM SVBICIATVR
DELIBERATIVO; DEQVE VARIIS EIVS NOMI-
NIVS, PRÆCIPVE ΕΠΙΔΕΙΚΤΙΚΟΤ
ET ΠΑΝΗΓΥΡΙΚΟΤ* APPEL-
LATIONE.

GENERI Deliberativo subjicit Aristoteles genus ἐπιδεικτικόν
seu Demonstrativum: cui primum vulgò tribuunt locum ob
facilitatem. Aristoteles verò, nobilitatis ratione habitâ, orsus est à
συμμετρίας*, ut supra † dicebamus. Verùm nonnemini eampse ob
causam videatur, de Iuridiciali agendum fuisse ante Demonstrati-
vum. Nam nihil præclarius est, quàm innocentium salutem ab im-
probis defendere, quod genere fit Iuridiciali. At Demonstrati-
vum magis ad ostentationem facit, cùm sibi propositam habeat de-
lectationem auditoris. Verùm iusto consilio Iuridiciali genus re-
iectum est in locum postremum; quia Demonstrativum maio-
rem affinitatem habet cum Deliberativo, quàm Iuridiciali. Nam
Deliberativi finis est beatitudo civilis: at laus personarum po-
tissimùm sumitur ab actione virtutis, in quâ beatitudo civilis con-
sistit.

Est autem genus Demonstrativum ita dictum, vel quòd eo de-
monstrentur virtutes vitiaque; vel quod Orator potissimùm in hoc
ostendat vim suam: quippe quod ostentationi comparetur. Itaque
Quintilianus lib. IIII. cap. XV. Ostentationem vocat; quemad-
modum & præter alios Raphaël Regius† meliùs Ostentativum vo-
cari ait, quàm Demonstrativum. Sed iure id reprehendit Iul. Sca-
liger lib. I. de re Poët. cap. I. Nihil, inquit, meliùs ἐπιδεικτικὸς vox à
Quintiliano accepta pro ostentatione. Quin fortasse hoc vocabulo carent
Græci ad ostentationem significandam. Sanè ab eâ tantùm abest, ut apud
philosophos pro simplicissimâ, atque exactissimâ ostensione receptum sit.

Negari tamen non debet, interdum ἐπιδεικτικὸν Græcis esse ostē-
tativum: uti cùm vocant ἀβυσ ἐπιδεικτικὸς, orationes, quæ ad ostē-
tationem

tationem scribuntur, cuiusmodi Isocrates vocat τὸς εἰς ἀπὸς ἐπιδείξιον λόγους.

Neque est, quod quisquam hoc genus aspernetur, quia plurimum ad ostentationem sit comparatum. Nam, ut Tullius in Partitionibus docet, non tantum ad bene dicendum valet; sed etiam ad bene vivendum: ut in quo sæpe de moribus ac vitijis disputet orator. Adde, quod alijs duobus permiscetur, tanquam sanguis corpori. Et sanè veteres, tum hisce de causis, tum ob facilitatem, ab eo auspiciari solent: unde Cicero illud incunabula oratoris vocat, & eloquentiæ nutricem.

Dicitur Ciceroni quoque laudatio, & Græcis ἐγκωμιστικὸν, nempe à potiori parte. Theon in progymnasmatibus: τῆς δὲ ἀποδείξεως εἰς δὲ τῆς ἐγκωμιστικῆς, ὅτις ἐκείνων ἐπιδεικτικὸν οἱ ἀπὸς ἀεισητῶν, δικαίων, συμ-
 * Sane enim
 tria causa.
 riu genera;
 encomiasti-
 cū seu lau-
 dativum,
 quod Peri-
 paterici de-
 monstrati-
 vum vocat;
 iudiciale, &
 deliberati-
 vum.
 † spectato-
 rem.
 * iudici, in
 concione
 stanti, &
 panegyricā
 orationem
 audienti
 populo.

Quamquam homini acuto videri queant panegyricæ non pertinuisse ad solam laudationem. Nam Isocrates panegyricā, quæ ex-
 statur, hortatur Græcos ad suscipiendam expeditionem ad versus bar-
 baros: unde & Tullius eam ad suasionem refert lib. de Oratore. Verum nullo negotio eximus hunc iectum, si Halicarnassensem au-
 dimus; qui suasionem negat esse primarium Isocratis finem. Nam ait, eum per speciem suasionis, laudes persequi Atheniensium.

At Plinius planè abusus panegyrici nomine: quippe, quod ora-
 tionem suam titulo redderet augustiorem, eam πανηγυρικῆς inscripsit,
 quā solum, convocatis patribus, Traiano pro consulatu gratias agit.
 Multò minùs panegyricæ dici merentur, quæ tantum recitatæ
 paucis, vel etiam nunquam recitatæ, nec scriptæ ut recitarentur,
 sed ut legerentur. Atque id nominis quoque origo indicat, cum
 παρηγοῖς † sit ab ἀγοῖς †, quod factum ex ἀγοῖς, Ἐλικῆ οἱ in v conver-
 so. Sanè Homerus non semel pro ἀγοῖς usurpat: ac Hesychius quo-
 que interpretatur εὐνοδῶ & συναγωγῆ.

† publica
 celebratas.
 †atus.

II. DE PARTIBVS GENERIS DEMONSTRATIVI:
AC IMPRIMIS DE DISCRIMINE LAVDIS,
ET ENCOMII.

PARTES generis Demonstrativi duas superiùs constituimus, ἑπαινος sive laudem, & ἕβρον sive vituperationem. Latiùs autem ἑπαινοῦ voce utor, quam vel posteriores Græci rerum à Romanis gestarum scriptores, quibus ἑπαινοῦ est τὸ ἐπαινεῖσθαι †: vel Aristoteles † ^{† fons} ipse, cui ἑπαινοῦ est virtutis, ἐγκώμιον factorum; uti ea distinguit, ^{† fons} cum lib. I. de moribus ad Nicomachum, & in secundo Eth. ad Eudemum, tum etiam I. Rhet. ubi & meritò ea separat ab εὐδαιμονισμῷ. Nam cum εὐδαιμονία seu beatitudo consistat in actione virtutis; sanè εὐδαιμονισμὸς & μακαρισμὸς, h. e. oratio, quâ aliquem felicem aut beatum prædicamus, comprehendit, tum ἑπαινον, quem virtutis esse dicebamus, tum ἐγκώμιον, quòd versatur circa actiones virtutis. Ipsius hæc de re Aristotelis verba adscribam è I. Rhetoric. Ἐστὶ δ' ἑπαινοῦ λόγος ἐμφανίζων μὲν εὐδαιμονίας. τὸ δ' ἐγκώμιον ἤ ἐβρον εὐδαιμονισμὸς ἢ ἐν εὐδαιμονισμῷ αὐτοῖς μὲν πάντα, τῆσι δ' ἑ ταῦτα, ἀλλ' ὁ ἑπαινοῦ δ' εὐδαιμονία πᾶσι ἀρετῶν ἢ εὐδαιμονισμὸς φερέσθαι ταῦτα. *Laudis est oratio indicans virtutis magnitudinem; Encomium autè operum est virtutis; Beatitudinè verò aliquem prædicare, & felicem dicere, ut inter se eadem sint, ab illis tamen duobus differunt, cum, ut felicitas virtutem complectitur, sic prædicatio felicitatis comineat hæc: virtutem nempe, & virtutis actionem.* Porro varias ἑπαινοῦ definitiones adfert Menander Rhetor; easque inter Aristotelicam quoque, sed præterito auctoris nomine, Adfert & eandem Iul. Scaliger lib. I I. de re Poët. cap. CX: verùm negat sibi satisfacere. Itaque eo distinguere mavult, quod ἑπαινοῦ sit pars ἐγκωμίου, ἐγκώμιον multi ἑπαινοί. Nam cum de re quapiam ἀνὴρ esset propositus; auditorum consensum oratione expressum, fuisse vocatum ἑπαινον; quasi prioris narrationis additamentum; indeque tractum, ut testimonium omne bonæ rei, aut bene facti, ἑπαινοῦ diceretur: cum autem εὐ ταῖς κόμισι †, audientibus tribulibus, laudes † in ^{† fons} alicuius ita recensebantur, ut longiusculè procederet oratio; ἐγκώμιον fuisse appellatum. Ita vir ille, hoc uno excepto, quod parem sibi filium genuit, cætera incomparabilis. Quod si mihi quoque, in imo subfello positò, liberè, & quasi ex tabellâ, sententiam dicere liceat, adferam ἑπαινον non magis esse partem ἐγκωμίου, quam ἐγκώμιον ἑπαινοῦ. Neque enim ἑπαινοῦ solùm est rei simplicis, neque simplici tantùm nudâque instituitur oratione; verùm locum quoque habet

in personis, quæ & multis ac varijs insigniuntur elogijs, & copiosa ornatâque extolluntur dictione. At in encomio se res secus habet; ut quod longiorem semper requirat orationem. Sensit id quoque Cornelius Fronto: *Laus*, inquit, *facti instrumentum est: laudatio verò est rerum gestarum relatio*. Itaque different *ἔπαινον* & *ἑγκώμιον*, ut genus & species. Ac hoc ipsum ipsius quoque Scaligeri verbis comprobari potest. Scribit enim is, omnem *ἑγκωμιάζοντα ἑπαινεῖν*, non è conuerso: quod sanè si est, *ἑπαινον* erit totum universale, *ἑγκώμιον* verò pars subiecta. Et hæc de partibus generis *ἐπιδεικτικῆς*.

II. DE MATERIA AC PARTIBVS GENERIS DEMONSTRATIVI.

MAteria, circa quam versatur genus Demonstrativum, a deo latè patet, ut nec universè huius naturæ limitibus circum-

* accuratè.

† laus.

* oratio, quæ

aliquem se-

licem aut

beatū præ-

dicamus.

† cap. 12.

* laudari.

† in Electr.

* hymnus

proprie car-

men in Dei

laudem.

† à Poëtis

simpliciter

carmen.

* lib. 4.

scribi queat. Quippe, convulsis quodammodo repagulis eius, ad divina se extendit. Nam quamvis, *ἀκέρως* * loquendo, eorum non *ἔπαινον* † fit, sed *ἐνδαιμονισμός*, & *μακαρισμός* *, uti scribit Philosophus primo Nicomachiorum †: tamen *ἑπαινον* quoque nomen latè accipi posse, ut divinis attribuat, ipse indicat Aristoteles, qui disertim Deum quoque *ἑπαινεῖται* * scribit 1. Rhetor. cap. 13. iuxta vulgar. distinct. & 1. Eth. Nicom. cap. 111. Porro ad divinorum laudationem refer hymnos Homeri, ac Callimachi. Sanè, ut notat Sophoclis Scholiastes †, *ὅμνον κωϊκὸς ἢ εἰς θεὸν ὁδὴ **, quamvis, ut idem inibi addit, *ὅδ᾽ ἀποιτῆις ἀπλῶς ἢ ὁδὴ* † ita appelletur; neq; Poëtis solùm, sed Athenæo * quoque, qui *ἐπιδαλῆμον* vocat *γαμικὸν ὕμνον*.

Proximum in laudationibus locum obtinent homines; quomodo Isocrates extollit Euagoram Cypriorum regem, aut Cicero pro Marcello laudat Cæsarem.

Tertij generis laus est animalis irrationabilis; quomodo Virgilius effert apem; muscam Lucianus.

Ad quartum genus pertinent res sensus expertes, sive hæ substantiæ sint, sive accidentia; quæ tamen *ἀκέρως* † admodum dicuntur carere sensu, cùm id propriè de substantijs intelligatur.

Porro ad quatuor hæc genera referri debent, tum quæ primò, per se, ac directè; tum quæ secundariò, ex accidenti, ac reductivè ad ea pertinent. Istiusmodi sunt partes; uti anima, aut manus: privationes; ut mors, aut cæcitas: concreta; ut mundus, qui est corpo-

corporum naturalium undecunque perfectum *συστημα* †: Philosophia, quæ est habitus animi, compositus è disciplinis, tum rerum necessariorum, tum contingentium; bellum, in quo multæ coacervantur actiones & passiones: respublica, quæ aggregatam est ex multis relationibus: atque ita in alijs, quæ omnia tractare ac laudare sciet, qui perfectum habebit; quomodo extolli queant partes, quibus constant. Pluribus hæc prosequi visum fuit propter eos, qui Aristotelicam distributionem non sequuntur, quia non adsequuntur. Ait Aristoteles, laudari *εἰ μόνον ἀνθρώπων, ἢ θεῶν, ἀλλὰ καὶ ἀψυχα, καὶ τῶν ἄλλων τὸ πᾶν*. Quem locum planè in animo habuit Fabius *, cum scripsit: *Materia præcipuè quidem in Deos & homines cadit: est tamen & aliorum animalium, & carentium animâ.* †

Hæc in distributione, si eos audimus, multa deficiant. Quamobrem nobis hunc eorum errorem denudare visum fuit; nequid porro sub ancipiti hæreat, ac imprimis pueris investibus, quos homines isti faciliè in suam pertrahunt sententiam. Sed enim occurrit: plantæ, inquirunt, nec ζῷα † sunt, nec ἀψυχα *. At hoc quoque eorum telum planè irritum est. Nam *μαχολῶς* † loquitur, cum Aristoteles, tum Fabius. Etsi enim, *ἀνελεῖς* loquendo, differant ζῷα καὶ ζῶντα, *animalia & animata*; vulgò tamen hæc confunduntur, ac inanimata censentur, quæcunque destituuntur sensu ac motu.

Nunc censuram quoque faciamus alius distributionis; quâ triplicem faciunt laudem & vituperationem: unam personarum; alteram factorum; tertiam rerum. Ac multi quidem, dum in salebrosâ hæc distributione versantur, vexanturque, nihil præter inscientiam habent, quod afferant. Ambigunt, ecquid in eâ defiat, aut excedat: verùm argumenta, quæ adducunt, planè ficulna sunt, & ex quibus nihil exprimi queat, præter plebeium vanæ opinionis fucum. Negant enim, muta animantia hæc sub definitione comprehendendi, quia neque personarum nomine continentur, neque factorum, neque rerum. Verùm nos quidem totum hoc ijs damus, nec tamen vel minimùm prævaricando, ipsorum causam agimus. Si quidem scimus, non fuisse eam veterum mentem, ut, quæcunque laudari queant, hæc distributione complecterentur; verùm ea tantum comprehendere voluisse, quorum Oratori usus esse possit in causis publicis. Nam subiiciunt Oratori quæstionem civilem: ad quam quæso quid facit laus simij, aut afini; psittaci, aut anseris? Quare definant veteres calumniari, qui, calido magis, quàm callido mendacio, adferunt, tantâ in caligine versatam antiquitatem, ut bestias

sub

† *comparates.*

* *lib. 3. cap.*

†

† *animalia.*

* *inanimata.*

†

† *pinguiori*

Nimero.

¶ *Horat.*

sub personis complecteretur : quod profectò *Credat Indeus Apella; Non ego* ¶. Certè aliud vel Empòrius eos docebit, qui non modò mutorum animantium, sed plantarum quoque, similiùmque tractationem, negat ad Oratorem pertinere. Verba eius adseribam. *In fontes, inquit, germina, & flumina, & arbores, & armenta dicere, incumda quidem, sed parum ampla materia est, & foro, cui preparamur, aliena. In quo ceteris semper nobis, aut reprehendenda, aut laudanda persona sit, id agere debemus, ut eius usus exercitatione capiamus.* Neque hinc rectè colligas, pari iure factorum rerumque laudem planè à Rhetoribus præteriri potuisse. Nam & personæ à factis laudantur, & multarum rerum laudes interdum ab Oratore afferuntur ad personarum vituperationem : quomodo in Verrinis laudantur Sicilia, ac Syracusæ. At dispar ratio est armentorum, germinum, aliorumque, quæ ab Emporio adducuntur. Nam neque de ijs separatim in publico cœtu dici solet: neque admiscuntur causis forensibus, aut publicis consultationibus.

Discussimus nebulas, quas quidam affundere conati veterum distributioni. Proximum est, ut, quòd ijs omnis præcidatur vitilitigandi ansa, ostendamus, ex hac ipsa distributione posse distributionem extrui, quâ ea quoque comprehendantur, quorum tractatio non tam ad Oratorem pertinet, quàm ad Poëtam, aut Sophistam. Quippe haut alio opus est, quàm ut primi generis laudem esse dicamus, tum eam, quæ propriè personarum est; cuiusmodi apud Isocratem est laus Euagoræ, Helenæ, Busiridis: tum illam, quæ est quasi personarum; velut equi, leonis, canis, psittaci, similiùmque. Hæc si placet divisio, secundi ordinis erunt facta, h. e. actiones, quæ à nobis profiscuntur: tertio verò ordini subijcientur substantiæ omnes, præter animatas; & accidentia, præter actiones: quæ duo genera rerum vocabulo signare licet: quamquam non ignorè, id tam latè apud Philosophos patere, ut non facta modò comprehendat, sed personas quoque, & quasi personas, h. e. muta animantia, aliaque, quæ personarum instar tractantur, uti infra commonstrabimus.

Verùm non deerunt fortassean, quibus truncam ac debilem veterum distributioni medicinam fecisse videamur: quippe hanc quoque divisionem esse mendosam, quòd factorum laudem statuat distincti à reliquis ordinis, contra quàm à sapiendi dicendique magistro factum in distributione, quam ex eo paullo antè apponebamus. Quamobrem, ut hos quoque ab erroris diverticulo in veritatis

tatis viam reducamus, duplicem ponimus rationem considerandi facta. Nam longè alia ratio est, cum ab ijs laudantur personæ; quod cum fit, simplici ac nudâ factorum commemoratione opus est: aliâ verò, cum ipsa laudantur facta; quam ad rem requiruntur argumenta *ἀνδραγαθία*. Si priori modo consideremus, ad primum pertinebunt divisionis membrum. Nam si princeps quispiam nihil pensi habeat, quin omnibus modis exorbeat subditorum sanguinè, ac provincias vectigalibus exenteret; id ipsum, utut facti sit, ad personæ tamen vituperationè pertinet; cum personæ à gestis bonis, malisque tollantur, aut vituperentur. Atque hæc causa est, cur Aristoteles in divisione sua præterierit demonstrationem factorum. At dispar ratio est, cum tota oratio in eo consumitur, ut ostendat, quàm præclarum atque utile sit factum. Nam in huiusmodi Orator propriè non personam sibi proponit, sed factum: quod & probum esse potest, licet ab improbo proficiscatur; & improbum, licet à probo fiat. Quippe, quemadmodum una hirundo non facit ver; ita neque una actio probum aut improbum facit. Quare, iuxta hanc considerationem, non tam personis, quàm rebus, facta subijci debent: aut, si angustius rei vocabulo uti visum, distincti ea faciemus ordinis; cui meritò, aut postremum assignabimus locum, aut inter personas ac res interiectum. Nam cum in factis semper persona concurrat cum re, quæ à personâ proficiscitur: est in ijs, ut Cicerone loqui Nonius voluit, amborum quasi cinnus. Et hæc de partibus generis Demonstrativi, tum pro Aristotele, ac Fabio; tum pro Tullio, atque alijs, dicta sunt.

IV. ARGUMENTVM DEMONSTRATIVI GENERIS
PROPRIVM ESSE AB HONESTO, ET QVOMO-
DO ILLVD TRACTETVR.

ARGVMENTA huius generis ducuntur ab honesto: ut quod finis sit generis *ἀνδραγαθία*, quemadmodum supra dicebamus. At, inquit Fabius lib. III. cap. IV. *an in laudando & vituperando non habemus utilitatis & æquitatis rationem?* Sanè habemus, Fabi: verum id cum fit, utilitas & æquitas assumuntur aliunde, quod referantur ad honestatem, ut finem primum. Alter quoque evellendus nobis hoc loco scrupulus, qui animos quorundam infidet. Non videntur ijs argumenta omnia peti ab honesto; quia agri, fontes, aliaque inanimata, ab honestate commendari nequeant; cum in ca

non cadat virtus. Verùm non ultrà, puto, pertendent homines isti, ubi cogitarint, in ijs quoque posse rectum spectari usum; quod ad honestatem pertinet. Atq; id magis elucebit ex illis, quæ subijciam. Siquidem honestum aliquid esse, probamus trifariam; vel quia fit virtus, vel quia virtutis causa, vel quia effectum. Quare, cum ingens sit propositio in hoc genere sylva; tres tamen hæ sunt *partes* virtutem efficit, id est in laudabilibus. Quod virtutis effectum est, id in rebus honestis numeratur. De virtute, eiusque speciebus, agit Aristot. cap. xxx. Causæ virtutum, vel virtutes efficiunt dianoëticas, vel ethicas. Quæ dianoëticas efficiunt, ea vel interna sunt, vel externa.

† genera
diffusa.

EXTERNÆ post Deum Opt. Max. sunt, primò exemplum, siue maiorum, si sint nobiles; siue aliorum virorum præstantium, si sint ignobiles: deinde bona educatio & institutio, quia verisimile est studia abire in mores: tertio divitiæ, quæ instrumenta sunt ad eruditionem consequendam.

INTERNÆ vel in animo sunt, vel in corpore.

In animo sunt ingenium, memoria, industria; ex quibus industria multum quoq; sine naturæ dotibus pollet; ut vel liquet exemplo Superiani Isauri; qui licet naturâ tardus, & trigessimus ætatis annum egressus foret, antequam animum ad disciplinas liberales adijceret, labore tamen improbo summam eruditionem, & insigne est nomen consecutus, teste Eunapio de vitis Sophistarum.

In corpore sunt robur, sanitas, agilitas, & pulchritudo. Et hæc de causis virtutum dianoëticarum.

Virtutem moralem efficiunt tria; natura, quæ incipit; doctrina, quæ dirigit; consuetudo, quæ perficit.

Effecta virtutum sunt præclaræ gestæ; item virtutum signa; velut coronæ, trophæa, cicatrices.

V. DE MODO AMPLIFICANDI IN GENERE DEMONSTRATIVO.

PRÆCIPVVM generis *dianoëtici* instrumentum est amplificatio; uti in Deliberativo exemplum, in Iuridicali enthymema; quemadmodum supra quoque diximus. Modi autem amplificandi Aristoreli sunt octo. Quos exponam inferiùs, cum de factorum demonstratione agetur. Nunc principem eorum adferre suffice-

* cap. 8.

† lib. 1. cap.

9. inueni

vulg. dist.

suffecerit. Est ille, si qua laus unius sit propria. Ut quod apud Græcos, uti Plinius scribit lib. V I I. una *feminarum in omni ævo Lampedo Lacedæmonia reperitur, quæ regis filia, regis uxor, regis mater fuit.* Apud Romanos simile contigit in Agrippina: *quam imperatore genitam, sororem eius, qui verum potitus sit, & conjugem, & matrem fuisse,* scribit Tacitus in XII. Annal. qui & unicum id exemplum inibi appellat.

Porro ad amplificandum licet in hoc genere *ἐκτενῶν*, sive digressionibus uti. Fit hoc transeundo à thesi ad hypothesin, & ab hypothesi ad thesin: ut, si eloquentia laudanda sit, extolli poterit Tullius; & si Aristides est commendandus, licet commemorare laudes iustitiæ. Ita Isocrates in Helenes encomio plura habet *ἀράρηται* †, † *qua rei accedant.* quàm *ἔργα* †. Nam quòd argumentum naturà suà sterile foret; magnam orationis partem consumit in reprehensione Sophistarum, laudatione Thesei, excusatione Paridis, ac laude pulchritudinis. * *admira-* Item in laudatione Bufiridis (quod argumentum est *μυῖς δ' ὄϊον* *, † *bile.* unde Bufiridem illaudatum appellat Virgilius †;) multus est in celebratione Ægypti, quam regni fedem delegerat. Gorgias quoque, si Achilles ei laudandus esset, primò laudabat Pelea patrem, inde Æacum avum, hinc Iovem proavum; ideoque dicebat, nunquam sibi deesse orationem, ut ait Aristot. lib. III. cap. XXV I I I.

VI. DE RATIONE LAUDANDI, VEL GENTIUM DEOS, VEL VERVM DEVM ISRAELIS.

ATQUE hæc dicta sint generatim de naturâ causæ Demonstrativæ. Verùm operæpretium me facturum puto, si quoque descendam ad tractationem specialem partium eius; quandoquidem non uno tractantur modo personæ, facta, res. Ac primò occurrunt loci peculiare laudi personarum; quos non abs re fuerit exemplis aliquot illustrare, quò succurratur *ἰεῖων* & aridæ eorum meditationi, qui se primùm in tractatione huius generis apud Rhetores ac Scholasticos exercent.

Personarum appellatione comprehenduntur Deus, angelus, homo.

Rationem laudandi DEOS, iuxta impiam nationum pietatem, paucis describunt Halicarnassensis tractatu *ἐπὶ θεῶν*. & Fabius lib. III. cap. IX. Fufius verò Menander lib. I. de gen. demonstr. cap. IX. & septem sequentib. ...m cap. XVI I I. Quamquam id

non à Menandro conscriptum, sed ab alio puto adiectum. Nam cum de Dijs dixisset, atque inde ad regionum, urbium, aliorumque locorum laudationem transisset; eamque non ubertim minus tractasset; cur postea ad laudationem Deorum rediret, causæ nihil erat. Atque hi veteres: è junioribus autem adi Scaligerum de re poetica lib. III. cap. CXII, & tribus seqq.

Exemplo verò erunt, tum poetarum hymni, ut Homeri, Orphei, Callimachi, Procli, aliorum: tum Aristidis hymnus in Iovem; item orationes eiusdem in Mineruam, Neptunum, Bacchum, Herculem, & Serapim. Exstat & insignis Maximi Tyrij oratio de Deo. Etiã vide Dionis Chrysofomi orationem XXXVI, quæ inscribitur Borysthenitica: ubi multa scite differit de mundi opifice; item eam, quam Olympica, sive de prima Dei cognitione inscripsit. In quâ multa præclare dicuntur de Deo, & intelligentijs. Exordium tamen & longius, & pius est, quam gravi adeo argumento conveniat. Sed subinde in eo peccare hunc scriptorem, etiam Photius, vir acris iudicij, observavit, quo loco de Dionis Corinthiacâ iudicium promit.

At qui verè volet verum laudare Deum, is contentis despretisque nugalis gentium de Dijs commentationibus, Scripturam, tanquam Theseium filium, sequatur: quâ duce argumenta divinæ laudis petat, partim ab adiunctis Dei, partim ab effectis. Est enim Deus *ὁ ὢν ὁ φῶς* *. In hac prædicetur maiestas, in maiestate æternitas, in æternitate beatitudo. Præterea laudetur eius in creando sapientia, in gubernando providentia, in defendendis bonis probitas, in ferendis malis lenitas, in ipsdem frangendis fortitudo, in puniendis iustitia, atque ita in cæteris.

Horum omnium tam illustria habemus testimonia in Scripturis, præsertim in Davidis, & aliorum hymnis, ut nullum aded infelicis esse ingenij putem, cui in hoc argumento deesse possit oratio. Præsertim, si vel leviter delibare etiam voler, quæ apud Philonem, Dionysium, Nazianzenum, Basilium, aliosque, luculentè aded de eodem perscripta sunt argumento.

VII. QUOMODO ANGELI LAUDENTVR.

** ab uno, sive ad unam naturam.* **E**TIAM angeli pertinent ad divina, cum vox ea sit ex illis, quæ vocantur *ὁ ὢν ὁ φῶς, ἢ ὁ φῶς ὢν ὁ φῶς* †. Laudantur hi à quatuor præcipuè rebus.

Primum

Primum ab *εσζη*, sive natura incorporea, ac materia experte: unde *spiritus* dicuntur, cum ad Hebr. cap. i. tum Psal. civ. ubi B. Augustinus: *Quæris, inquit, nomen huius natura? spiritus est.* Eaple de causa à Philosophis vocantur *intelligentia*, & *forma*, vel *substantia abstracta*. Neque obstat, quod corporea formâ visi fuerunt. Nam corpora illa non erant unita *συνδεδεσς*, sed ea pro tempore gestarunt. Atq; ab hac formâ assumptâ dicti videntur *Cherubini*. Nam *capb* similitudinis est particula, & *rabza* adolescentem Chaldaicè significat, teste R. David. Sunt igitur angeli media natura, inter spiritum increatum atq; infinitum, qui Deus dicitur, & animas humanas, quæ non sunt aliquid omnimodis perfectum, contra quam in angelis fit. Nam hæc per se subsistunt, unde & *persona* vocantur ab Augustino Enchiridio ad Laurentium cap. xviii.

Deinde laudantur ab naturâ adjunctis. Nam, sive intellectum respicias, est in ijs adumbrata quædam omniscientiæ divinæ similitudo, quâ verum à falso, bonum à malo discernunt. Seu spectes voluntatem & affectum, iustissimi sunt & sanctissimi, atque qui bonum semper amplectantur. Seu consideres potentiam atque agilitatem, arguunt eam primogeniti in Ægypto occisi, & tot millia interfecta in exercitu Senacheribi. De potentia quoque testis Paulus in priori ad Thessal. i. 7. De agilitate autem Esa. vi. 6.

Tertio loco eorum laus petitur ab officio, unde dicuntur *αγγελοι* *λοιπερ κηκοι*, item *αγγελοι*, atq; Hebræis *malachim*. Est verò officium hoc triplex: nempe, partim erga Deum: quod est, tum celebratio munis, tum executio mandatorum eius: ut docet Psaltes Pl. cxi. vers. 20. & 21. partim erga pios: ut qui non solum poenitentia eorû gaudeant; sed etiam custodiant eos, & post vitam hanc in cœlos transferunt: ut constat è Psal. xc i. 1. & ad Heb. i. 14. partim etiam adversus malos: erga quos Deus judicia sua per angelos exercet, ut discimus ex Plal. xxxv. 5. 6. & 2. Reg. xix. 35. & Esa. xxxv i. 36. Ab hoc ardore in iudicijs Dei exequentis *Seraphim*, h. e. ardentis, vocantur Esa. vi. ubi Deus inducitur, ut iudex iratus. Ut minus verisimilis sit eorum sententia, qui ita putant nuncupari à flagrante amore erga Deum.

IV. Deniq; laudantur à felicitate ac gloria: quæ in summa cû Deo *κοινωνία* consistit: ut qui intellectum ac voluntatē in Deo semper defigant, inque eo acquiescant: unde dicuntur *semper videre faciem patris cœlestis* †. Gloria verò planè est spiritualis ac cœlestis: sic tamen, ut aliqua eius sit distinctio: unde alij *σφηροι*, alij *κνεβηται*, alij *αγγελαι*, vel



† Mandat. 18. 10.

vel à *Æuſtlo* vocantur ab Apoſtolo ad Coloffenſ. I. 16.

VIII. QVOMODO HOMO VNIVERSE LAVDETVR.

DE angelo ſatis. Homo vel univèrſè ſpectatur, vel ſingulatim; quam perſonam dicimus. Homo univèrſè laudatur ſecundum capita Logicæ descriptionis. Sed præcipuè in conſiderationem veniunt hæc tria.

I. Anima immortalis ac perennis, eiufque tres principes facultates, intellectus, voluntas, memoria; in quo multi veterum ſimilitudinem cum trinuno Deo ſtatuèrunt.

II. Corporis elegantia, ac præſtantia; in quo illud peculiare homini, quòd natura ſive Deus, prona

† Ovid. 1.
Met.

---cum † ſpectent animalia cætera terram.

Os homini ſublime dedit, cælumq; tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

III. Harmonia illa, quæ ſubſtantix diſpares, una ſpiritualis, corporalis altera, in unam conſociantur & conſpirant formam ſive ſpeciem.

Hæc de homine *γυναικός*. Plenius verò hoc argumentum tractarunt Lactantius, Nemeſius, alij.

IX. DE DVPLICI SERIE IN LAVDATIONE PERSONÆ.

IN laudatione perſonæ duplex ſervatur ordo; naturalis, vel artificialis.

Series **ARTIFICIALIS** eſt, (ut de hoc primò dicamus) cùm, non ſervato temporis ordine, omnia ad certa genera ſeu capita referimus. Huiusmodi ſeries ſit, ſi quis laudes Catonis Prisci ſive Maioris, qui ab optimâ cenſuræ adminiſtratione Cenſorij cognomen adeptus eſt, ad tria referat capita; quòd optimus fuerit Senator, optimus Orator, optimus Imperator; teſte Plinio lib. VII. cap. XXVI. aut ſi laudes P. Crassi Muciani referat ad hæc quinque elogia; quòd eſſet ditiffimus, quòd nobiliſſimus, quòd eloquentiſſimus, quòd Iuriſconſultiſſimus, quòd Pontifex Max. quæ quinque eum habuiſſe, rerum bonarum maxima, plerique hiftoriæ Romanæ ſcriptores tradiderunt; ut auctor eſt Agellius lib. I. cap. XIII. Simili ratione ea, à quibus bonum Imperatorem allaudamus, rectè à Cicerone in Maniliana, ut Pompeium laudet, referuntur

runtur ad scientiam rei militaris, ad virtutem, ad auctoritatem, & ad felicitatem; quam & ipsam quanti veteres fecerint, ostendit illud Q. Curtij Rufi elogium de Alexandro Magno: *Fatendum, inquit, est, cum plurimum virtuti debuerit, plus debuisse fortuna; quam solus omnium mortalium in potestatem habuit.* Idem denique ordo sit, si laudes alicuius referamus ad bona animi, corporis, externaque, quæ parum aptè appellantur fortunæ bona, ut cap. antecedenti ostendimus. Meritò autem adiunguntur quoque bona corporis, & externa: nam, ut inibi dicebamus, ad beatitudinem non sufficit solus animi cultus: unde sapientissimo Thaleti mortalium ille felicissimus dicebatur, *ὁ τὰ μὲν σῶμα ὑγιὲς, τὸ δὲ τὴν ψυχὴν εὐμαρτὸν, τὸ δὲ τὴν δούλην εὐπαίδευτον*. Autor Laërtius in Thalete. Non tamen par hoc lance cuncta corporis externaque ponantur bona, in alterâ autem virtus; illa, quâ virtus continetur, tantum propendebit, ut maria terrasque deprimat. Ita Cicero lib. v. *Tusc. Quæst.* Nempe animi bona sola sunt solida, &c, ut Satiricus ꝑ ait,

Propter quæ fas sit genna incertare Deorum.

Vnde Socrates apud Xenophontem dicit, eos, qui à Dijs uxorem, opes, aut potentiam rogant, perinde facere, ac si peterent, ut sibi aleam ludere, aut prælium committere liceat, quarum rerum exitus sunt incerti. Adiungenda tamen sunt bona corporis, & externa, quia in eorum usu prudentia elucet.

NATURALIS verò series est, in quâ historiæ ac temporis servatur ordo: atque hunc Isocrates sequitur in laudatione Enagoræ. Distribuitur autem in quinque partes, ante nativitatem, in nativitate, in vita, in morte, & post mortem. Nisi, brevitate causâ, dividere malis in tria tempora; id quod vitam antecessit; illud quo quis vixit: & si naturæ concesserit, quod mortem hominis est consecutum.

Virgilius triplex hoc tempus in vivente etiam adhibet; sed ordine inverfo. Ait enim in oratione Æneæ ad Didonem, primò ratione medijs temporis;

O sola infandos Troia miserata labores.

Inde ratione primi;

— Quæ te tam læta tulerunt.

Secula? qui tanti talem genere parentis?

Denique ratione ultimis;

In freta dum fluvij current, dum montibus umbra

† Qui cor-
pore sanus,
fortuna lo-
cuples, ani-
mo verò be-
ne institu-
tus est.
† Iuv. lib.
4. Sat. 2.

*Lustrabunt convexa, polus dum sidera pasceat :
Semper honos, nomenq; tuum, laudesque manebunt.*

X. DE LAUDATIONE AB AVGVRIIS ANTE NATI-
VITATEM, ET PRÆCIPVE A PATRIA.

IN primo tempore consideranda sunt patria, familia, & augu-
ria oraculaque, si qua nativitatem antecesserint. Ita cum Astya-
ges in somnio vidisset, ex filia naturalibus vitem enatam, quæ
palmitibus totam Asiam obumbraret; arioli responderunt, nasci-
turi nepotis Cyri magnitudinem portendi. Auctores huiusce rei
Herodotus lib. i. Iustinus lib. i. Tertullianus lib. de anima, at-
que alij. Apollinis Pythij de Pythagora necdum nato oraculum,
vide apud Iamblichum lib. i. cap. xi.

Patria verò & parentes cur commemorentur, indicat B. Ambro-
sius libro de Virginibus primo: *In laudationibus soles patria prædi-
cari, & parentes, ut in commemoratione auctoris, successoris dignitas ex-
aggeverur.*

Patriæ autem nomine intelligo, tum natale solùm, tum unde
oriundi sumus; ac fortasse etiam, ubi diu commodè vixerimus.
Ab ijs autem laudamus bifariam. Si ea illustris fuerit, hoc ipsum
† 4. *En.* in laude ponitur. Non ignoravit id divinus Poëta, cum ait †:

*Multi viri virtus animo, multusq; recensat
Gentis honos.*

† *Nepos in Iphicr. Sed in quibusdã lib. pro Coti est Cotyis: ut cã, quam H. Steph. expressit. * in Mys- nis vita.*

Et certè, esse aliquid splendorè patriæ, docet nos Menestheus †, filius Iphicratis, Imperatoris Atheniensis, & Tarfæ, Coti Thracum Regis filia; qui, cum interrogatus esset, utrum parentem maioris faceret, matrem respondit; ac, cæteris admirantibus, rationem hanc assignavit, quòd pater, ducendo Threissam, quantum in se fuit, Thracem genuisset; mater, nubendo Atheniensi, Atheniensem.

Diogenes quoque Laërtius * ex Aristoxeni variâ historiâ re-
fert, Mysonem illum, quem ab Apolline hominum omnium sapien-
tissimum fuisse iudicatum, scripsit Hipponax, eo nomine habitum
ignobilem, quòd ex vico obscuro natus esset: atque inde etiam
provenisset, ut, quæ eius essent, Pisistrato tyranno à plerisque at-
tribuerentur.

Idem confirmatur eleganti Themistoclis dicto, quod à Platone
commemoratur in primo de Rep. & exinde ab Origene libro i.
contra

contra Celsum †, his verbis: Ο' μὲν ἐν παρῶ τῶ Πλάτωνι Σεισίθε' ὀρεῖται † frag. 23.
 ζῶν τῶ Θεμιστοκλέϊ, διαβοήτῳ γαληνέῳ ἐπὶ τῇ στρατηγίᾳ, ὡς ἐκ οὗ τῷ ἰδίῳ ἦδες
 τὸ ἔρδοξον ἀνεληρόν, ἀλλ' ἐν τῷ εὐτυχηκίᾳ παρσιδῶ † ἐν ἄλλῃ Ἑλλάδι ἐπι-
 σιμοτάτης, ἀκικῶν ἀπὸ εὐγλωσσῶν Θεμιστοκλέους, καὶ ὀρεῖται †, ὅτι εὐρεθεί-
 λελο ἄνω ὡς τὸ ἔρδοξον καὶ ἡ πατεῖς, ὅτι οὐκ ἂν ἐγὼ Σεισίθε' ἂν, ὅπως
 ἔρδοξ' ἐγέρονται ἔτι σὺ Ἀθηναῖ' ὀπυχότατος γαληνέου, ἐγένετο ἂν Θεμιστοκλῆς.
 Quæ sic transtulit Hœschelius: *Apud Platonem Seriphius quidam
 Themistocli, celeberrimo imperatori, claritatem exprobrans, quasi non
 suapte virtute partam; sed quòd patria illi contigisset urbs totius Græcia
 nobilissima; audiit à non ingrato Themistocle, & agnoscente patriam,
 quoque sibi contulisse aliquid ad gloriam: Nec ego, si Seriphius fuisset,
 tam celebris evasissem: nec, si tibi Athene patria contigisset, fuisses The-
 mistocles.* Idem refert Plutarchus in Apophthegmatis. Ex his liquet,
 patriæ etiam nobilitatem ad gloriam conferre. Nempe duplex est
 nobilitas; una publica, altera privata. Illa est loci, ubi nati sumus,
 puta civitatis, aut regionis: hæc verò familiæ est, ac maiorum.

**XI. QUÆ INEVNDA SIT RATIO IN LAUDANDO,
 SI GENVS SIT VEL OBSCVRVM, VEL
 ETIAM INFAME.**

AT si quis patriâ natus fuerit ignobili, dicemus, eum, cum Vlyse
 Homericò, loci natalis obscuritatem, virtutis suæ radijs il-
 lustrâsse. Ovid. VII. Met. fab. I.

--- *Non illa loco, nec origine gentis*

Clara, sed arte fuit.

Et lib. IX. fab. XII:

Proxima Gnossiacò nam quondam Phæstia regno

Progeniit tellus ignotum nomine Ligdam,

Ingenuâ de plebe virum: nec census in illo

Nobilitate suâ maior; sed vita, fidesq;

Inculcata fuit.

Claudianus lib. II. de laud. Stilic.

--- *Meritum, nunquam cunabula queris,*

Et qualis, non unde satius.

Huc facit, quòd Agefilau*, cum ei puero choragus in ludis gy-
 mnis locum tribuisset minùs honoratù, paruerit quidem; at dixe-
 rit, Bene equidem se rem habere: ostensurum enim se, non loca
 viris, sed viros locis honorem conciliare. Et Aristoteles † cuidam
 glorian-

* Plutar-
 chus in La-
 con.

† Lærtius
 lib. 5.

glorianti, quod magnæ urbis civis esset, respondisse dicitur, *ἢ τῆτο σκοπεῖν, ἀλλὰ ὅς τις μεγάλου πατρίδος ἀξίος εἴη. Noli hoc considerare; sed utrum præclarâ patriâ dignus sis.*

Quod si patriâ sit infamis, negabimus referre, ubi quis natus sit. Id in Septimio Severo Pertinace (quem Lepti, Africæ civitate, fuisse oriundum, ex Spartiano & Eutropio discimus) fecit Aufonius, cum scripsit:

*Punica origo illi; sed qui virtute probaret,
Non ob stare locum, cum valet ingenium.*

Alterum quoque Septimium Severum, itidem Pœnum, sed anti-
† *Baronius* quorem hoc, ac fortasse † huius proavum, laudaturus Statius Papi-
in annal. nius in I v. Sylv. ait:

*Tene in remotis Syrtibus avia
Leptis creavit?*

Et aliquanto post:

*Non sermo Pœnus, non habitus tibi,
Externa non mens: Italus, Italus &c.*

Et certè Abderitis nihil stupidius: unde Martialis lib. x.
epigr. xxv.

Abderitana pectora plebis habes.

Et Tatianus ἀξυρολόγος vocat hominē tantum nugas blaterantem. Et tamen Democritus, Phycus acutissimus, Abderita fuit, teste inter alios, Pomponio Mela, Quare de eo rectè Iuvenalis lib. iv. sat. x.

-----*Cuius prudentia monstrat,*

Summos posse viros, & magna exempla daturos,

Vervecum in patria, crassoq; sub aère nasci.

Illustris quoque hac de re locus apud Appuleium in Apologîâ, ubi inter alia inquit: *Apud fœcundissimos Scythas, Anacharsis sapiens natus est: apud Athenenses cætos, Melitides fatuus.* Omnino vide, quæ pluribus inibi de patriâ idem differit, adversus eos, à quibus Seminimida, & Semigætulus vocabatur.

XII. QUOMODO LAUDEM VRA SPLENDORE NATALIVM,

** Auream,*
ac Pindarus
ait funda-
mentum.
S *EQVITVR* GENVS, per quod intelligo parentes, avos, affines. Ab his itidem commendamus bifariam. Nam si genus fuerit luculentum atq; illustre: laudabimus à splendore natalium, ac maiorum gestis: quæ verè sunt *ἄριστα κρυπτεῖ, καὶ Πύδαρος **, Rectè Philo-
sophus

Sophus Stagiritēs †, *Εἰς: βελτίους ἢ, τὸς ἐκ βελτίονας. Verisimile est, † Arist. 3. Polat.*
 praestantiores ac meliores esse eos, qui ex melioribus. Ac vates Vennus-
 nus †, *† lib. 4. Od. 4. * Vir. De- mosf.*
 Fortes creantur fortibus & bonis. Et, si verum est, quod Simo-
 nides sensit, eum, qui beatè vult vivere, natum esse debere patriâ
 gloriosâ, (quod & ipsum ab Euripide scriptum fuisse, testatur Plu-
 tarchus *,) multò equidem magis parentum requiratur claritudo,
 ut quis undecunque beatus videri possit. Nam communibus præ-
 stant incommunia, ut cum Tertulliano loquar: patria autem, sive
 Athenæ, sive Roma, cum multis communis est: at his illisve pa-
 rentibus natum esse, cum multis commune non est. Illud quoque
 natalium claritudinem commendat, quòd ex donis externis solum
 hoc eripi non possit. Hinc Mithridates oratione generosè supplicè
 ita Eunonem affatur apud Tacitum in XII. Annal. *Mithridates, terrâ marique Romanis per tot annos quaesitus, sponte adsum. Vere, ut voles, prole magni Achemenis: quod mihi solum hostes non abstulerunt.*
 Adde, quòd plurimum ad benevolentiam facit maiorum virtus. Ita-
 que Proclus, ut in vitâ eius scribit Marinus, potissimum amabat
 Archiadam, eiusque cognatos, quòd à Plutarcho Philosopho ge-
 nus ducerent.

XIII. RATIO LAUDANDI EOS, QUIBUS GE-
 NUS OBTIGIT OBSCURVM.

QVOD si quis obscuro omnino genere natus sit, locum habet
 illud Minutij Felicis †: *† in Osa- vio.*
 Omnes pari sorte nascimur, sola virtute dis-
 tinguimur. Et certè, num feminae principes mundiùs eniti partum
 solent, quàm egestate pressæ? Num minùs in palatij regum par-
 tus abluì debet, quàm paupere in tugurio? Quare non ab ortu no-
 bilitas accessenda: sed, ut Velleius ait †, *† lib. 2.*
 Optimus quisque nobilissimus. Quod etiam agnoscit Phalaris, sive alius sub eius nomine, epist. cxx:
Εγὼ δὲ μίαν ἐγγύνηαν ἀρετῆς διδοῦν τὰ δ' ἄλλα παρὰ τὴν φύσιν. Καὶ γένοιτ' ἂν ὁ μὲν ἐκ φαύλων ἀγαθὸς, καὶ βασιλεὺς καὶ πάντων ἐυγενέστατος. ὁ δὲ ἐξ ἀγαθῶν φαύλος, αὐτὸς τῆς αἰσῆς καὶ τῆς ταπεινοτάτης δυσγενέστατος. Ego verò
 unam novi nobilitatem, virtutem; alia verò omnia, fortuna dona. Ac fieri
 possit, ut ex malis nascatur bonus, imò regibus, atque adèò omnibus homi-
 nibus generosior: atque ut ex bonis gignatur malus, & se ipso, & ab-
 jectissimo quoque ignobilior. Nimirum nostra non sunt genus, pecu-
 nia, & † *† ἐν λόγῳ, ὅτι ἐχθρὸς ἐστὶν ἔργα,* ut Epictetus * ait. Quæ etiam
 L. Senecæ mens fuit. ipsum audiamus epist. XLIV: *Non facit no- bilitem,*

bilem, atrium plenum fumosis imaginibus. nemo in nostram gloriam vixit: nec, quod ante nos fuit, nostrum est. Animus facit nobilem: cui, ex quacunque conditione, supra fortunam licet surgere. Idem, vel alius, Hercule Fur.

-----Qui genus laudat summum,

Alicena laudat.

† Ovid.
Met. 13.

Nihil etiam pervulgatius illo Vlyffis, in certamine cum Aiace †:
Et genus, & proavos, & qua non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco.

† Sat. 8.

Cui gerainum illud Iuvenalis †:

-----miserum est aliena incumbere fama,

Ne collapsaruant subductis tecta columnis.

Quare, si generis laus magis aliena est, solaque virtus nostra duci debet; quis ambigat, quin verissimum fit illud Solonis ef-
fatum * :

* apud An-
son.

Pulchrius multo parari, quam creari nobilem.

† pro Deio-
taro.

Dicere quoque liceat, aliquem (Ciceronis † utor verbis) fami-
liam abiectam, & obscuram, & tenebris in lucem vocasse: five, virtute
eum praluxisse maioribus, ut auctor Ψαυδεμπερς in Sallustium oratio-
nis (quam Budæus † etiam Ciceroni tribuit) ipsam de se loquen-
tem inducit Ciceronem; sed parùm Ciceroniano loquendi genere,
cùm pralucere sit, ante aliquem lucere; eoque posteri maioribus
pralucere, non nisi durissimâ vocis abusione dici possint.

† in sine
prior. anno-
ta: in Pan-
dect.

Quin maioris est virtutis argumentum, si quis, obscuro loco na-
tus, ad summam nominis claritatem pervenerit. Qua de re sic Ori-
genes differit libro 1. † contra Celsum: Ἀνθρώποις μὲν ὁ συμβάλλεται

† Tit. 22.
C. 23.

† sic corrigo,
ubi vulgò
αὐτῶν.

αὐτῶν τὸ γενέσθαι πνεύματι καὶ δόξῃ καὶ ἐνδοξῶν, καὶ τὸ ὄνομα αὐτῶν διαδοῖται
γενέσθαι ὅταν οἱ γονεῖς ἐν ἐσφοχῇ καὶ ἀπειροπαθῇ τυγχάνωσι, καὶ πλεῖστοι ᾗ ἀναδρε-
ψόμενοι, καὶ συνηθέτων ἀναλαῶσαι εἰς παιδείαν ἢ εἰς ἄλλο καὶ παρὰ τὴν ἐπι-
δοξίαν, καὶ ἐπισημῶν. Ὅταν ὅμως πάντα τὰ τέτοις ἐναντία ἔχων τις, συνιδῇ ἐσφο-
κίαν καὶ ἐπισημῶν αὐτὸν γινώσκων, καὶ σέσωκε τὴν περὶ αὐτῶν ἀκρίβειαν, καὶ
γενέσθαι ἐμφανὲς καὶ δὴ ὀκνητῶν ὅλην, τὴν ἀνάμοια λεγέσθαι περὶ αὐτῶν ὡς ἰ-
δαυμασίον τῶν τοιαύτων φύσιν, αὐτῶν μὲν ὡς ἀγαθοῦν, καὶ μεγάλοις ἐπι-
βαλόντων ἐσφοκίαν, καὶ ἔχοντων παρρησίαν ἐν ἐπισημῶν. Quae sic transtu-
lit Hœschelius: *Hominiibus enim multum confert genus ad illustrem fa-
mam, & claritatem nominis; quando parentes eorum potentes & praece-
lentes fuerint, & amplis facultatibus praediti; ad excollendum ingenium
filij. tum patria magna, & nobilitas. Quando vero aliquis omnia habens
his contraria, potest e tot obstaculis ad claritatem emergere, & commo-
vera*

vere sui famam multitudinis animos, ac per totum orbem diversis rumoribus de sese repentem celebris fieri: an non merito demeritis naturam humani modi, ut generosam & magnificam, tantaque confidentiam versantem in negotiis arduis? Propterea Hannibalem sic loquentem inducit Lucianus in mortuorum dialogis: *Φημι ἢ τὸς μάλιστα ἐπαίνω ἀξίους ἔστι, οὗτοι τὸ μὴ εἶναι ἐξ ἀρχῆς ὄντες, ὅμως δὲ πάλαι πεπεραχόθενται, δι' αὐτῶν δυνάμει τῶν περὶ βαλλόμενοι, καὶ ἀξίως δὲξάντες ἀρχῆς.* Eos vero maxime laude dignos aio, qui, cum prius nullo fuerint loco, magni tamen evaserunt, & per se potentiam consecuti, & imperio digni sunt iudicati.

Hanc commendandi ratione agendum esset in laudatione Iphicratis, qui, cum futuro creditur filius †, ob virtutem, & rei militaris peritiam, factus est Atheniensium Imperator: unde, Harmodio ei ob generis ignobilitatem convicia ingerente; *Μεμνῆ, inquit, genus ἀ me incipit, tuum in te desinit* †. Erat verò Harmodius hic prisci illius Harmodij abnepos, qui cum Aristogitone Hipparchi (quamquam aliter tota hæc de re Thucydides *) tyrannidem convellit: unde & honori eius, in conviviis scolium †, quod Harmodij dicebatur melos, canebatur, quod integrum refertur in quinctodecimo Athenæi, ac lucem accipit ab Leopardo lib. XII. cap. VIII. Idem ille Iphicrates dicebat, ut virtute quisque præstaret, ita nobilissimum esse. Nam ne Harmodium quidem, & Aristogitonem, nobiles prius fuisse, quam quid præclari designarant. Eiusdem illud erat, se eo maiorem cum Harmodio, atque Aristogitone, habere cognationem, quam ipsum illum, quicum contenderet, quò sua, quam illius facta, propius ad eorum gloriam accederent.

Agathocles, Siciliæ rex, figulo est patre natus: teste Iustino lib. XXI. & Plutarcho in Apophth. Notum de eo Aufonij epigramma †.

Ptolemæus etiam, ὁ ἐστὶ καθ' ἐπιπέδον ἐν δαμνοῦσαί & βασιλεύς *, ut de eo Lucianus † scribit, ac à quo successores omnes dicti sunt Ptolemæi, natus est è milite gregario, nomine Lago: unde Lagæam iuventutem, pro Ægyptia posuit Lucanus in x. Sanè Lagi filium fuisse, Strabo in v. i. ac Græcorum alij, prodidere, uno Pausania excepto, qui in Atticis refert, matrem eius, priusquam Lago nuberet, gravidam fuisse è rege Philippo, Amyntæ filio: indeque natum Ptolemæum.

De Arface etiam, quem Georgius monachus, Tarasij patriarchæ Syncellus, scripsit, ἕλασεν ἢ τὸ γένος ἀπὸ τοῦ Περσῶν Ἀρταξέρξου; magis verisimile fit, obscuris fuisse parentibus natum: ut, de quo ne illud quidem

† Suidas, & alij.

† Plutarch. in Imper.

Apophth.

* lib. 6. Vi-

de, quæ ad-

versus cum

differis Io.

Meursius in

Pissirato

suo.

† Aristoph.

interpres in

Acham. &

Vest.

† epigr. 8.

* propria

fortuna in-

ter reges se-

lucissimus.

† in Ma-

crobijs.

† genus tra-

here ab Ar-

taxarce,

Perfürma

rege.

quidem fuerit compertum, Scythane foret, an Bactrianus; ut Strabo indicat libro XI. Imò à Iustino quoque, cum incertæ eum originis fuisse scribit, tum patriam, tum parentes signari, dubium non est. Est verò hic Arfacies ille, à quo itidem Arfacidæ dicti sunt, quicunque ad regni fastigium in Parthia sunt evecti: ut docent Strabo lib. XV. Iustinus lib. XLII, Marcellinus lib. XXXI. Servius in VI. ÆN. Isidorus lib. IX. cap. III. & glossæ Græcolat. Philoxeni.

Etiam Augustus Cæsar, qui & ipse Augusti nomen successoribus transmisit, patre avoque natus est argentario, ut nonnulli voluere; proavum autem habuit libertinum, eumque funariam exercentem, sive restionem: avus maternus pisttor fuit Aricia: quæ & illi experbare solitus Antonius. Ita Suetonius in vitâ eius, & autor Epistolæ ad Octavium, Ciceroni ascriptæ.

Iustinus quoque patre armentario natus in Thracia, senatus & militum consensu factus est Romanorum imperator. Notum etiam de humili genere Maximini, Pupieni, Aureliani, Valentis, aliorum.

Et minùs mirandum de origine multorum doctrinâ præstantium. Vti de Socrate, qui, ut ipse apud Platonem agnoscit, ac discretim scribunt Laërtius, Valerius Maximus *b*, & Theon *c*, natus est Sophronisco patre marmorario, & Phænarete matre obstetricæ. Euripidis matrem vendidisse olera, cum Theopompus apud Agellium *d*, Valerius *e*, & Suidas testantur; tum ex Aristophane ostendit Turnebus lib. Advers. XV. cap. IIII. Philochorus tamen, apud Moschopulum in vitâ Euripidis, eam nobilem fuisse adserit. Æschinis mater tympanistria fuit, ut scribit Lucianus in somnio. Demosthenes Orat. *περὶ τερπάρου*, ignobilitatem ei objiciens, inter alia ait: *ὡς ἄριστον δ' ὄν, γῆν περὶ σὺν ἕξ ἡττῶν εἰπέειν, ἄριστὸν τὸ ἀριστὸν μινεῖν* † & c. quo de loco vide Petrum Victorium lib. XX. Var. Lect. cap. XVI. Demosthenis verò patrem cultellos vendidisse, ait Valerius Max. †. Certò *μαχευροπιδὸς* vocatur ab Æschine*. Hinc Juvenalis †:

*Dis ille adversis genitus, fatorq; sinistro,
Quem pater, ardentis massa fuligine lippus,
A carbone, & forcipibus, gladiosq; parante
Incude, & luteo Vulcano, ad Rhetora misit.*

Non tamen ita appellatus est, quòd ipse artem hanc exerceat, ut insinuare videtur Satiricus; (nam uti Theopompus † memorie prodidit, erat is *καλῶν καραθῶν ἀνδρῶν* *) sed quia, ut Plutarchus ait, *ἐργασίειον εἶχε μέγα, ἃ δέλοις τεχνίτας τὸς τῶτο πρῶτοντας* †; nempe *οργεῶν ἰσ*

δο †;

a in Thea-
teto, item-
que in Al-
cibiade 1.
bl. 3. c. 4.
c in prog-
nastm. c.
αρι ἰγνα-
μῆς.
d lib. 1.
Nact. Att.
cap. 20.
cl. 3. c. 4.
† cum non
dubitem, ut
mibi de te
actis dicē-
dum sit, du-
bito tamen
cuius primò
meminisse
oporteat.
† l. 3. c. 4.
* Orat. vi.
εἰ πατρ-
περὶ τέρ-
πάρου.
† sat. 10.
† apud Pla-
tarchum.
* ex opi-
matibus.
† officinam
ναγνῆ ἡ-
βουί, & ser-
vos id opi-
ficiam exer-
centes.

Sub*; ut scribit Demosthenes ipse orat. *nat' Actu*. Eademque ratione etiam Ciceronis patet, quia ex familijs fulloniam exercentibus quæstum faceret, fullo audivit: quemadmodum & hoc nomen convicij loco Tullio objicit Q. Fufius, vel potius Fufius Calenus in illâ maledicâ oratione, quæ est apud Dionem lib. XLVI. Huiusmodi exemplorum ampla se offeret leges in omni penè historia. Vnde hæc pauca decerpimus, partim quidem, ut ne exempla eos deficient, qui necdum diffudère animum per omne scriptorum genus: partim verò, ut obscuris orti natalibus inde intelligant, ad honores ac nominis decus, viam esse præclusam nemini. Imprimis autem hæc in oratione locum habent, quando metus est, nequid humilitas generis de laudibus deterat. Ac tum ridere etiam liceat Rhetorum disciplinam, quâ jubent, (ut B. Hieronymi † verbis potissimum utar) *ab avis, & atavis, & omni retro nobilitate, ornate, quem laudant, ut ramorum sterilitatem radix fecunda compenset, & quod in fructu non teneas, mireris in trunco.*

† *epistola ad Demetrium de servanda virginitate.*

XIV. DE LAUDE EORVM, QUORVM
GENVS EST INFAME.

Nec solum laudari merentur, quibus obscuri sunt natales; sed etiam, quibus genus est infame. Nam, non semper è malis nasci malos, ostendunt Ezechias †, & Iosias *, optimi reges: quorum parentes, Achaz, & Amon, reges fuere deterrimi. Quare dispiciendum, quomodo in laudationibus tractare eorum genus conveniat. Gemina autem eius ratio occurrit. Nam si vulgo ignotum sit, parentes majoresque improbos fuisse: satius arbitror, rem hanc præterire, nullâ injectâ mentione. Sin id notius fuerit in vulgus, quàm ut sine tacito auditorum convicio omitti queat: commodè tum divina extolletur benignitas, quæ neque à se spernit segetegatque improborum liberos, nisi ut in patrimonia, sic in parentum quoque vitia succedant. Etiam dicetur, eâ re vel maximè ostendi alicuius virtutem, quodd nec improbum parentum exemplum de flatu eum suo labefecerit. Ita Chrysostomus serm. de Iacob & Esau †: *Parentes Abrahæ impij erant, & idololatra, & barbaris magis barbari. Scio & ego; & propterea laudo justum, quodd tales parentes habens, talis ipse factus sit. Etenim valde rarum & admirabile est, ex agresti radice dulcem fructum produci. At non accusandi sunt ob parentum malitiam filij pie viventes; sed ut admirabiles habendi, eò quodd, cum pietatem à parentibus non acceperint, nec tulerint, qui manu dirigere quasi*

† *lib. 4. Reg. c. 18. * lib. 4. Reg. c. 21. & 22.*

† *Tom. 1. pag. 217. edit. Beller.*

quasi in eremo & inuio euntes, viam, qua in cælum fert, inuenire poterint. Non igitur crimen est, habere patrem impium; sed imitari patris impietatem: & crimen est maximum, non quòd habemus parentes improbos; sed quòd illorum non agimus curam, & non offerimus omnia, qua ab eis habemus, ut ab impietate suâ eos eruamus. Hac autem dixi, ne turberis, dilecte, cum audis, quòd Abraham impium patrem habuerit. Nam & Timotheus impium patrem sortitus fuit: filius enim Iudæ mulieris erat, fidelis matris; patris autem gentilis. Quòd enim pater eius manserit in impietate, & non fuerit conuersus; manifestum est, ex hoc. Laudans quippe
 ,, Timothei fidem Paulus sic dicit: *Quæ habitavit in avia tua Loide, &*
 ,, *matre tua Eunice: confido autem quòd & in te. Nusquam hic patris*
nomen legitur. Et quare? Quia in impietate perseverans, non erat dignus,
qui cum filio numeraretur. Et Apostolos malos habuisse parentes, ma-
 ,, *nifestabit Christus, cum dixit: Si ego in Beelzebub eicio demonia, filij*
 ,, *uestri in quo eiciunt? propter hoc ipsi erunt iudices uestri. Sed nec tur-*
bet hoc, neque offendant. Nam ex hoc discimus, quòd non natura, sed vo-
luntatis est vitium, & virtus. Enimvero si natura esset, omnino mali ma-
los parerent, & boni bonos. Sed quia electionis & voluntatis est probum,
vel improbum esse, iccirco saepe malis patribus boni filij, & ignavis filijs pro-
bi patres sunt, ut non natura, sed voluntati semper illa imputemus. Hac-
tenus Chrylостomus, quem ed, quòd locus esset longior, Latinè so-
lùm loquentem induximus. Exemplis verò ab eo allatis possis etiam
*addere, quòd Iephthe meretricis erat * filius. Historia quoque*
 * Iud. c. xi.
 que profanæ suggerent nobis multos virtute præstantes; sed infami genere ortos; seu parentes, vel maiores, id aliquo turparint facinore, seu vitæ conditione. Prioris generis exemplum est in maioribus Demosthenis, si Gytonem spectemus, avum Demosthenis maternum: quippe qui Ponti oppidum, quod Atheniensium erat, hostibus tradiderit, & postilla, inimicis hanc rem objectantibus, in Scythiam profectus sit, &, ductâ inibi uxore barbarâ, ex eâ genuerit Cleobulam, Demosthenis Pæaniensis conjugem, Demosthenis oratoris matrem: uti pluribus commemorat Suidas. Quin & Dinarchus, unus de decem oratoribus Græciæ, oratione de Harpalicis pecunijs, quæ etiamnum exstat, Demosthenem iccirco vocat impurum Scytham; & Æschines hanc rem ei orat. *καὶ ἐξ-
 ερωσθένος* exprobat: ut & orat. contra Ctesiphontem, quâ eadem; quæ Suidas, refert, ut ostendat Demosthenem ab avo materno hostem Reip. exstitisse.

At alterius generis, quod vitæ conditione infame sit, exemplum est

est Critheis, quæ furtivo amore gravida facta, Homerum, peperit apud amnem Mellam; unde eum Mellæ filium Arnobius nominat: vel, iuxta alios †, Melerem, unde & primò Melesigenes appellatus † *Plutarch. lib. de Homero.* fuit. Porrò quia incerto patre natus erat, iccirco, ut ab Aristotele scriptum fuisse, auctor est Plutarchus, creditum est, eum fuisse filium dæmonis cuiusdam, ex eorum numero, qui cum Musis versari solent. Eadem ratio fuerit Herculis, de cuius natalibus vel è Plauti Amphitryone res nota est. Imò (ut fabulosa est antiquitas) Charon Lampſacenus, Athenæo teste, prodidit, poculum apud Lacedæmonios ostendi, quod Iupiter, in Amphitryonem commutatus, donarat Alcmenæ. Sed de Iove factum ad tegendos natales. Credo, intelligendus aliquis magni nominis mœchus: quales hodieque multi in aulis supersunt humani Ioves, aut Vejoves potius. Cæterùm, quia Hercules spurius fuisset, inde est, quòd, ut scribit Athenæus †, parasiti five epulones Athenis in Herculano templo, cui nomen Cynosargis, ex lege quotannis unum è spurijs, spuriorumve libe- † *lib. 6.* is, in ordinem suum cooptarent; qui si iure vocatus non obtemperaret, sacerdotes de eo ad iudicium concilium referrebat. Ab eadem causâ est, quòd omnes probro lecti, sacris gentilitijs à cæteris segreges, Cynosargis rem divinam faciebant; ut discimus è Plutarchi Themistocle, & ἑρωτησῶ, itemque Demosthene contra Aristocratem. Par quoque ratio Themistoclis, quem Thresâ fuisse ne-retriculâ natum, autores sunt Athenæus, & Suidas. Alij tamen eam è Caria fuisse, dicunt: uti Phantias, teste Plutarcho. Imò Halicarnassi, quæ præcipua Cariæ erat civitas, natum fuisse, à Neanthe traditum est: ut idem Plutarchus refert. Atque hanc etiam sententiam sequitur Nepos in Themistoclis vita. Nempe eo notus habitus est, ut idem Plutarchus censet, quia matre natus esset peregrinâ, ac, Solonis scito, nothi omnes vocarentur, qui è matre peregrinâ, non cive Atticâ, essent suscepti. Dispar verò ratio Timothei, Atheniensium imperatoris, quem Vlpianus rhetor malè Cononis patrem facit; quandoquidem, ut cæteri docent scriptores, Cononis, sed ex muliere quæstuariâ, filius fuit: quod cum ei quidam probro vertisset, dixisse aiunt; maximam quidem se matri habere gratiam, per quam Cononis audiret filius; ut Athenæus, & Suidas testantur. Etiam Alexander Magnus spurius fuit; cuius ignominie velandæ gratiâ, Iovis se Hammonis filium dicebat; qui fortasse fuit magus serpentis imagine Olympiadem deludens: quemadmodum Iosephus Gorionides refert, qui & antiquis se au-
I
ctoribus

etoribus tuetur. Sanè ex dracone genitum esse Alexandrum, mul-
 torum opinio fuit; ut constat ex Livio lib. xxxvi. Curtio lib. xv.
 vi, viii, & x. Pliutarcho in Alexandro, Gellio lib. vii, cap. i.
 Luciano dialogo Diogenis & Alexandri, Iustino lib. xi. Solino cap.
 xv. Victore in Galerio Arment. Sidonio carm. ii, vers. cxxi, &c.
 Sed, etsi non ignoro, quod proditur de admirabili draconis amo-
 re erga puellam Idumæam, tempore Herodis: tamen de drace-
 ne genitum esse Alexandrum, non magis verum est, quam Amphif-
 sum fuisse natum ex serpente, in quem se converterit Apollo, quò
 cum Dryope rem haberet, ut ex primo Nicandri refert Antonius
 Liberalis fab. xxxii. aut Scipionem esse ex dracone natum: quod à
 compluribus traditum olim; uti docet Agellius lib. vii, cap. vii,
 aut Augustum, de quo idem vulgò creditum esse, ait Sidonius carm.
 ii. quemadmodù & hoc ipsum de eo Asclepiadem in Θεολογικῶν *
 scripsisse, auctor est Tranquillus †. Itidem ad occultandam ignomi-
 niam natalium Æneæ, dixere, Venerem venisse ad Anchisen, amore
 eius captum; quæ se Otrei, regis Phrygum, filiam esse diceret: ut est
 in hymno Homærico. Romulus etiam, ut Aufonius quoque innuit
 epigr. xxi, non sine probro lectus fuit: unde ad Martem genus re-
 ferebat; qui credo, personatus miles, aut sacerdos Martis, erat.
 Quare haut mirum, quòd neque eius, neq; fratris Remi, cognomen
 sciatur: ut spissus sit error Varronis, qui simplici horum nomine
 adductus, ut Valerius Probus scriptum reliquit, putavit, veteres
 Romanos unicum duntaxat nomen habuisse: quem multi fuere eà
 in re secuti. Adulterio quoque natus Arturius Rex Britannæ ve-
 rissimus, ac fortissimus: ne quis fictum putet à Galfredo Monæ-
 muthensi; licet multa fabulosa historiæ eius irreperint: quod &
 fatetur Ioannes Lelandus assertione adversus, non modò Polydo-
 rum Virgilium, sed etiam Guiljelmum Parvum, sive Neubrigen-
 sem: cui sanè hoc minis habendum fidei, quòd & ipse fabulas non
 paucas historiæ suæ Anglicæ interfert. Et quis nescit Guiljelmum
 Conquæstorem, unde Angliæ reges, illegitimo fuisse thoro natum?
 aut quem fugit, Hispaniæ, ac Lusitanæ reges, ab nothis descen-
 dere? Quid quòd, teste Didymo †, olim neququam fuerit ignomi-
 niosum nothi cognomen? Certè Agamemnon Teucrum laudans ait:
 ἵδ' σε νόθον ἀπὲρ ἰθὺτα κομώσατο β' ἐπὶ δίκῃ: Teque, nothum quamvis, propriâ
 suscepit in æde. De quo nonnihil, & alijs huius generis, vide apud
 Alciatum lib. x. Παιτρῶν. Iuris cap. viii.

* *re: am di-*
vinatum
comm: m: a-
tionibus.
 † *August.*
cap. 24.

† *in Hom.*
ii. 0.

XV. QUOMODO A GENERE VITUPEREMVS.

SIN vituperationem instituamus, plurimum momenti habet, quo quis genere ortus dicatur. Notum illud Theognidis, quod in proverbium abiit:

Οὐτὸν δ' ἐκ σκίδης ῥόδα φέταται, ἢ δ' ὕακινθου. †

Cui adfidet illud Venufini vatis *:

-----Neque imbellem feroces

Progenerant aquila columbam.

Poetæ etiam, quia ferè mores parentum sequantur liberi, dicere solent, homines immites ac sevos, natos esse è mari, aut faxis, aut esse eos lænæ partum. Vnde sic Patroclus ad Achillem, Iliad. Π.

Νηλεΐε· ἐκ ἄεθ' οὐ γὰρ πατὴρ ἢ ἱππότηα Πηλεΐδης †;

Οὐδ' ὅστις μήτιρ· γλαυκὴ δὲ σ' ἔτικτε θάλασσα,

Πέτρας ἢ ἠλίβατος, ὅτι τοι νόθ' ἔστι ἀπηνής.

Ariadna itidem hoc pacto Thesea compellat, apud Catullum †;

Quenam te genuit solâ sub rupe leana?

Quod mare conceptum spumantibus exspuit undis?

Que Syrtis, que Scylla vorax, que vasta Charybdis?

De amore similiter Theocritus idyll. Γ, & Maro in Pharmaceutria: uti & apud eundem Dido de Æneâ. Ac Tibullus * quoque, ut dominam ab immiti animo abducatur, sic eam affatur:

Nam te nec vasti genuerunt aquora ponti,

Nec flammam volvens ore Chimæra fero,

Nec canis anguinæ redimitus terga catervâ,

Cui tres sunt lingua, tergeminumq; caput,

Scyllaq; virgineam canibus submitta figuram,

Nec te conceptam saua leana tulit.

Idem † etiam hunc in modum minitatur ijs, qui tegere nesciunt furta sua Venerea:

Nam fuerit quicumque loquax, is sanguine natam,

Is Venerem è rabido sentiet esse mari.

XVI. DE LAVDE SEXVS, AC PARTICVLATIVM DE IIS,

VNDE LAVS MVLIERV M PETITVR.

HACTENVS de illis vidimus, quæ vitam antecedunt. At in vitâ ipsâ primò considerandus est sexus. Nam satis convenit, longè feliciorẽ esse viri conditionem: unde & gratior is sexus

† hanc nã
que è scilla
rosa nasci-
tur, aut
hyacinthus.
* od. 4. lib.

‡ O immi-
tis, non uti-
quæti: erat
pater eques
Pelcus, Ne-
que Theis
mater: sed
glaucomete
peperit ma-
re, Petraque
parupte,
quia ani-
mus tibi est
immis.

† Carm. de
nuptiis Pe-
li & The-
tidos.
* lib. 3.
eleg. 4.
† lib. 1.
eleg. 2.

parenti esse solet. Quamquam subinde illud non tam ob præstantiam eius fiat : quàm alià de causâ , quam indicat nobis Ligdus apud Ovid. IX. Met. fab. XII :

*Quæ uocem duo sunt : minimo ut releuere dolore,
Utque marem parias. Onerosior altera fors est,
Et vires fortuna negat.*

Onerosiores vocat, non ob educationem ; sed ob dotem parandam.

Aliæ autem virtutes commendantur in viro, aliæ in muliere. Ac hæ quidem laudantur à formâ, proceritate, pudicitia, modestia, liberali nec fordido operandi studio, rei familiaris peritia, amore mariti, prudentia in liberis educandis. Imprimis verò commemorari & exaggerari debent, si qua fuerint, quibus sexum superavit ; siue ea ad virtutes pertineant dianoëticas, ut linguarum peritia, ac egregia eruditio : siue ad morales, uti prudentia vicilis, magnanimitas, aliæque virtutes heroicæ. Sunt & alia in feminis confideranda, quorum tractatio cognoscitur ex ijs, quæ universè de utroque sexu deinceps dicturi sumus.

XVII. DE LAVDATIONE AB NATIUITATIS, VEL
INFANTIAE OMNIBVS, ITEM A NOMINE,
QVOD IMPOSITVM EST.

POST sexum commemoramus, partim nomen, quod non rarò nos rei alicuius singularis admonet : partim omina, atque auguria, non illa, quæ fuere ante nativitatem, de quibus superius vidimus : sed si qua nativitatem, vel etiam infantiam illustrarint. De omnibus, ut de his priùs videamus, argumento sit, quòd parvuli Midæ cunabulis formicæ grana tritici congerebant ; ut apud Ælianum legimus lib. XII. Var. Hist. cap. XLV. nempe eo ditissimum fore, significabatur ; ut etiam est apud Saresberiensem Policratici lib. I. cap. XIIII. Ibidem refert Ælianus, Pindarum infantem, expositum, melle pro lacte esse nutritum : & labijs Platonis, cum in cunis esset, apes meli affudisse. Notum etiam Socratis somnium de eodem Platone, sed adolescentulo, quod Laërtius refert. De apibus verò similia suppetunt exempla. Nam ab apibus ipsis nutritus dicitur Iovis & Othreidis filius, cui ex re Melitæo nomen fuit : ut est apud Antonium Liberalem in Metamorphosi fab. XIIII. Ac, ne gentilium nugis insitam, B. etiam Ambrosio os dicitur * ingressum apum exam-

* Paulinus
in vita
Ambrosij,
apud Suetonij
Tom. 2.

men, atque exiens in altum se sustulisse, paternos & aliorum, qui fortè aderant, visus eludens. Paullinus * id præfagium interpreta- * *ibidem.*
 tus est de eius sermonis ac scriptorum favis; quibus animos hominum pavit, atque ad cælestia erexit. Nascente † Ioanne Pico, Miran- † *Franciscus Pico in vita patrum.*
 dulæ principe, visa orbicularis flamma adstare supra caput parientis; sed mox evanescebat. Per figuram perfectissimam multi intellexere intellectus perfectionem: per flammam, igneam animi vim, ac cælestem facundiam: quod citò evanuerit, breviter vitam protendisse, haut ab vero abludit. Etiam in Ludovico, Pannoniæ rege, Ladislai filio ex Maria Maximiliani nepte, omen futurorum visum fuit, quod cum in lucem ederetur, nulla corporis pars tegeretur cute, quæ tamen medicamentorum ope postea accessit. Unde coniecturam fecere, nudationem corporis notare nudationem imperij. Simile omen traxere ex nomine. Nam cum eum pater Iulium vocare statuisset: mater, quæ è terra Gallia erat, obtinuit, ut suæ gentis nomine vocaretur. Ergo neglectus eius nominis, quo usus is fuerat, qui prima eiusce imperij fundamenta jecerat, visa est multis portendere imminutionem regni. Cui opinioni eventus respondit. Nam prælio à Solymano victus, dum fugâ sibi consulit, amne submergitur: hostis verò, fortunâ usum prosperâ, etiam Budam occupavit. Sed hic nomen tristis omen eventus fuit. Addam aliud, sed lætius. Galleacius, Matthæi Magni filius, cum fortè puer in multo gallorum cantu apertis oculis altè vagijisset, à matre Burrâ ioco appellatus fuit Galleacius: quod nomen, cum ab ancillis sæpius repeteretur, neque pater abnueret, tanquam ab ave Martiâ, militari augurio accepto; & nomen retinuit, & primus familiæ intulit; ut scribit P. Iovius. Et sanè vetus illud est, ut nomen bonæ, vel adversæ fortunæ præfagium existimetur. Rectene, an secus, differit Brodæus lib. v i i. Miscell. cap. v. Vide etiam Heraldum in Martialis lib. iv. epigr. xi.

XVIII. DE CORPORIS LAUDIBVS, AC IMPRIMIS DE FORMA.

HINC spectandæ corporis dotes: ut sunt sanitas, robur, agilitas. Nam, ut ait poëta Satiricus †: *Orandum est, ut sit sana mens sana in corpore sano.* Nec formæ levis est gratia. Quid mirum? quando, ut Lucianus docet *de re Æmilia*, alliciendi ea

vin in mutis etiam animantibus habet, ac rebus inanimis: quanto magis in hominibus? Et sanè Tertulliano lib. de culta feminarum cap. 11. decor vocatur *felicitas corporis, diuina plastica accessio, & anima aliqua vestis urbana*. Præcipue autem commendabilis est in fequiori sexu. Afranius in Fratriis:

Formosa virgo est. Dotis dimidium vocant.

Isti, qui dotes negligunt uxorias.

† lib. 1.
epist. 14.

Neque ea in iuvene contemnenda. Cuius rationem Plinius in epistolis † scite adfert, *Debet, inquit, hoc castitati puellarum quasi præmium dari.*

† 5. En.

Et sanè nihil præclarior est, quàm formosa anima in formoso corpore. Optimè Maro †: *Gratior est pulchro veniens è corpore virtus: quem verum immeritò censoria virgula notavit Seneca Epist. LXVI. Certè, ut apud Heliodorum lib. 1V. ΑΙΘΙΟΠ. ait Calasiris. ἰμακτικὸν τι ἢ πρὸς ἡδὴ ὀφειλτοῦς ἔνοια τὸ κάλλος, quandam ad conciliandam adspicientium benevolentiam vim habet pulchritudo.* Ac propterea Carneades formam nominabat ἀδορυφόντων βασιλείας, regnum absque satellitio: nempe quia, quod vult, persuadet citra violentiam. Neque formæ venustatem insuper habuit Plato, cuius illud 11. de leg. λέγει ἢ ἀεὶ ἀειστον ὑπάρχον, ἰσχυρὸν ἢ κάλλος, τρίτον ἢ πλεον. *Aiunt enim, potissimum esse valetudinem, proximum formam, tertium diuitias: quo loco Philosophus respicit ad consuetudinem veterum, quâ Scholio cani solebat, teste ipso Platone in Gorgia; Ἰμακτικὸν μὲν ἀειστον, τὸ ἢ ἰσχυρὸν καλὸν γυναικός, τρίτον ἢ πλεον αἰδώς.* Quomodo verò quis ab hisce commendari possit, ostendit Marius Neapolitanus libro, quo Procli, præceptoris sui, vitam conscripsit. Ac in viro quidem dignitatem oris, ut Agrætius etiam observat; in femina autem venustatem commendamus. Cic. 1. Offic. *Pulchritudinis genera duo: unum virile, quam dignitatem dicimus; alterum muliebri, quam venustatem appellamus.* Itaque in Oratore perfecto utrumque coniunxit: *Vultus verò, inquit, qui secundum vocem plurimum potest, quantam affert, tum dignitatem, tum venustatem.*!

* optimum quidem sanum esse; secundum verò, esse pulchrum; tertium autem, absque deo esse auitem.

XIX. DE LAVDATIONE STATURÆ, VEL PROCERÆ, VEL EXIGUÆ, ET QUOMODO AB EADEM ALIQVIS VITUPERETVR.

AD formam quoque pertinet statura, quæ vel exigua est, vel grandis, vel media. Exigua, quæ & brevis, vel exilis dicitur, erat

erat in Tydeo, & Conone. Grandis, quam Livius eximiam, Suetonius eminentem nominat, fuit in Aiace. Media Plauto vocatur commoda, Livio militaris: ac Romanâ æstimatione fensim erat pedum: vel certè quinûm, & denarum unciarum: ut constat ex Vegetij lib. I. cap. v. Vnde liquet, staturam Augusti, non multum abfuisse à media, si verè tradiderat libertus eius Marathus, habuisse quinos pedes & dodrantem. Sed breviorẽ fuisse, non obscurè innuit Tranquillus †. Qui cum alibi † Tiberium ait, staturâ fuisse, quæ iustam excederet, satis indicat, fuisse plusquam fenum pedum. Sanè septipes Sidonio quasi giganteæ staturæ videtur: ut ostendit Casaubonus in Sueton. lib. III. cap. LXVIII: ubi plura hæc de re differit.

De staturâ ita Aristot. lib. IV. Nicom. cap. III. *Εν μεγέθει ὁ μεγαλοφυχία, ὁ σπῆρ ἔχῃ τὸ κέλλοι ἐν μεγάλῳ σώματι. Οἱ μικροὶ δ' ἀσπίου ἔχουσι σύμμετροι, καλοὶ δ' ἑ. h. e. Magnanimitas enim in magnitudine, sicut & pulchritudo corpore in magno est. Parvi verò, urbani quidem sunt, & membris commensuratum habentibus, sed non pulchri.* Idem * tradit, in quâdam Æthiopiæ parte, regna deferri ad eos, qui magnitudine cæteris præstant: à quo more non abludit, quoddam Strabo † scribit, in Mæroë insulâ reges designari, qui aut robore, aut formâ, aut opibus, aut virtute alendi pecora, reliquis antistant. Sulpicius Severus lib. I. sacræ historiæ ait de Saulo: *Hic ex tribu Benjamin, Cis patre ortus, modestus animi, formâ excellenti erat: ut merito dignitas corporis dignitati regni conveniret.* Itidem Florus de Pseudophilippo: *Regiam formam, & regium nomen animo regio implevit.* Et Nepos in Iphicrate, ac Capitolinus in Pertinace, staturam proceram vocant imperatoriam. Qui loquendi modus à vulgo originem traxit: ut Tacitus etiam indicat lib. I. Histor. *Ipsa atas Galbæ, & irrisui, & fastidio erat, assuetis juvenæ Neronis, & imperatores formâ ac decore corporis (ut mos est vulgi) comparantibus.*

At ijs, qui exiguæ sunt staturæ, favet dictum Capheziæ tibicinis; qui, cum discipulum reprehendisset tibias intentiâs inflantem, addidit præclarè, *ἢ καὶ τὸ μέγαλον τὸ εὐκείμωνον, ἀλλ' ἐν τῷ εὐ τὸ μέγα.* † Auctor Athenæus lib. XIV. philosophantium in convivijis. Vsurpavit id apophthegma Demosthenes, qui, ut apud Stobæum † legimus, *ἑσασάμενος τὴν ἀμαρτανὴν ἀφ' οὗ μέγα βοῶντα, ἐφ' ἃλλ' ἢ τὸ μέγα εὐ ἔστι τὸ εὐ μέγα †;* Eodemque usum Zenonem, scribit Laërtius. Sed & Hylas, cum Agamemnonē repræsentaturus, in primores se pedum digitos sustulisset; reprehensus est à Pylade præceptore, eo, quo auctore inprimis

† in Aug.
cap. 79.
† in Tib.
cap. 68.

* lib. 4. Po-
lit. c. 3.
† lib. 17.

† non in
magnitu-
dine sua rei
bonitas, sed
in bonitate
magnitudo.
† serm. 4.
† cum vi-
disse in pui
quendam
Oratorem
magna vo-
ce concio-
nantem, di-
xit, non
quicquid
magnum id
bonum, sed
quicquid
bonum id
magnum.

* Zonaras
lib. 1.

† longum,
non magnū
te officis.

imprimis pantomimorum ars cœpit * ;) οὐ, inquebat, μακρὸν, ὃ μέγαν ποιεῖς † : ipse verò à populo iussus idem saltare canticum, expressit meditabundum; nihil magis ratus magno duci convenire, quam pro omnibus cogitare. Autor Macrobi, lib. II. Saturnal. cap. III. Hippomachus quoque, nobilis alypta, cùm videret, maximū quemque imprimis commendari, ut pugilem à naturâ factum: Κεῖδὲ, inquit, sentiretis, si corona ex alto quodam loco auferenda esset: nec enim parum iste idoneus foret. Refert inter alios Arsenius, Monembasæ archiepiscopus, in Apophth.

Quin exigua statura facit interdum ad admirationem. Notum illud Homericum Iliad. E: Τυδεύς τοι μακρὸς μὲν ἔην δ' ἄμα, ἀλλὰ μαχητὴς. Hinc Fabius lib. III. cap. IX. Interim confert admirationi multum etiam infirmitas; ut cum idem Tydea parvum, sed bellatorem dicit fuisse. Et poëta Ithyphallicus:

*Utilior Tydens, qui, siquid credis Homero,
Ingemio pugnax, corpore parvus erat.*

Item Menander Byzantius, qui Agathij historiæ suam subtexit, Sapiram militem ait, corpore fuisse Tydea; animo plusquam Tydea, quippe Herculi parem. Eunapius etiam, in vita Iamblichij, retulit, Alypium, exercitatisimum Dialecticum, fuisse corpusculo aded exiguo, ut paullò tantum maius foret, quàm cubitale, aut Pygmæi; potuisseque, siquis intueretur, videri animam, aut spiritum. Atq; ἐπιφάνημα pulcrum addit, quod apponâ, non prout legitur vulgo; sed ut cenfeo corrigi oportere: Οὕτω τὸ φθερόμενον ἐκ ἐπέδωκεν † εἰς μέγαντος, δ' ἀπαρτὴν εἰς τὸ θεοειδέστερον: usq; aded, quod obnoxium erat corruptioni, non mole creverat, sed in divinam abierat naturam. Atque hoc ipsum illustrat eo, quòd dixerat Plato, corpora divina esse diversa ab ijs, quæ sunt animis circumfusa: unde colligit Eunapius, videri posse, Alypium in animam immigrâsse, à quâ, tanquam à Deo, detineretur possidereturque. Quamobrem verum non viderat, quod Aristoteles in Nicomachijs scripsit, τὸ † καὶ ὅτι ἐκ μεγάλου εἶναι. Sanè in antiqui lapidis epigrammate legas:

Corpore in exiguo res numerosâ sui.

Egregiè quoque Papinius:

Maior in exiguo regnabat corpore virtus.

Etdivinus poëta idem dixerat de apibus:

Ingentes animos angusto in pectore versant.

Idem hominibus aptare liceat. Vti & formæ hominum accom-
modare

† In Plataniana & Comelianiana est ἰδιώκειν, ut & max δεπαιηθέν.

‡ pulchritudinem in magnitudine esse possitam.

modare possumus, quod Libanius ait de aula Senatus, ἢ μεγαλὸν μέγεθος καλὸν δέ. non magna quidem, sed pulchra.

Vituperare etiam ab utraq; licet staturâ; imprimis, si ludicra sit materies. Nam si quis fuerit longus, stultorum eam staturam dicemus. Sanè Aristophani μέγας, Catullo longus, accipiuntur pro homine bardo ac bliteo: qua de re etiam quarto agam libro. Sin aliquis sit exiguus, hinc malitiei arguere poterimus. Certè aureo seculo, quo probitas vigeat, eminens ac proluxa erat hominum statura; quæ cum virtute paullatim decrevit. Hinc Iuvenalis sat. xv.

Incipiunt torquere domestica seditione

Tela, nec hanc lapidem, quales & Turnus, & Ajax,

Vel quo Tydides percussit pondere coxam.

Aenea: sed quam valeant emittere dextra

Illis dissimiles, & nostro tempore nate.

Nam genus hos vivo jam decrescebat Homero.

Terra malos homines nunc educat, atque pusillas.

Atque hanc sententiam firmant, quæ de heroicorum cadaverum magnitudine adducit Phlegon Trallianus libro de Mirabilibus: itè è junioribus Hieronymus Magius in Miscellaneis, ut mittam cæteros.

XX. QUAM INIRE IN LAUDANDO VIAM POSSIMUS, SI QVIS FVERIT DEFORMIS.

QUOD siquid vitij manifestarij offuscârit corporis honorem: vel id præteribimus, vel dicemus, naturam vitium habitudinis dotibus animi compensâsse. Ita, inquit Aristoteles apud Athenæum lib. xv. Τὸς τῶν ὄψιν ἀμύρῃς ἀναπληροῖ ἢ τὸ λέγειν οὐδ' ἀγαθὸς. Inijs, qui ad spectu sibi deformes, vitium hoc supplet facultas dicendi ad persuadendum accommodatè. Et Sappho apud Ovid. epist. ad Phaonem:

Si mihi difficiis formam natura negavit;

Ingenio forme damna rependo mea.

Quod Sapphus iudicium de se confirmant Maximi Tyrji verba; qui cum Sappho vocâisset pulchram, subiungit: οὐτα δὲ ἀπὸ τῶν ἐρομῶζων χαίρει Πλάτων, διὰ τῶν ὄψεσιν καλῶν, καὶ τοὺς κικεῖν ἔσται ἡ κέλαινα. Sic enim vocare ea amat Plato obtentivorum astutiam compositionem, quantumvis exigua foret, ac nigra. Lyfander etiam erat exiguus, & claudens altero pede: ut in vita eius ait Nepos. Hac pertinent quoque Eo-
K de ver-

dæ versus sub persona Epicteti: quo deceptus, eos Epicteti ipsius esse, putavit Gellius †:

† lib. 2.
cap. 18.

Δύλ. Ὁ Ἐπίκτου ὁ γνόμενος, ἔσθματι πηξές.

Καὶ πάλιν Ἰπ. ὁ, ἔφιλ. ὁ ἀδαράτοις.

*Servus Epictetus mutilato corpore, & Iruis
Pauperie vixi; ac charus eram superis.*

Ac par propemodum fors seculo nostro fuit M. Antonij Boncarii: quo de vide summum virum, veterem condiscipulum nostrum, Erricum Puteanum, in consolatione Cæcitatibus.

Illud quoque argumento est, quàm neque ad laudem, neque vituperationem, forma pertineat, quòd Iuno apud Homerum, blandiens Vulcano, cum *καλοπιδόματα* sive claudum appellat. Quòd item Hector, Paridi convicians, pulcritudinem eius referre non veretur. Vide de his differentem Muretum und. cimo Var. Lect. libro cap. x. Quin, ut inquit Arbiter, *Rarum facit mixturam cum sapientia forma.* Dicere quoque liceat, Deum sapientissimè noluisse in unum conferre omnia, ne homo nimio esset typho inflatus: interrim grande esse scelus, ob vitia, quibus Deus hominem insignivit, quempiam ridere, ac ludum facere: atque adeò id facinus in clerico anathemate vindicari LVII. canone eorum, qui Apostolici dicuntur. Vel dicemus, corporis *πλεονεκτήματα* † citò deflorescere; unde Socrates formam appellabat exigui temporis tyrannidem: nec ea periculi esse expertia, cum multi formam conspicui tandem cogantur dicere, *εὐθ' ἄφελος τὸ κάλλ. ὅμο δὲ ἀλάστοι, κακῶς ἀλέω. †* *Vitam malè perisset forma, que me malè perdidit.* Quicum convenit illud Helenæ apud Euripidem *, *καλὸν τὸ δευχέος †.* Unde & Theocritus, non Syracusius ille, sed Chius, formam vocabat eburneum detrimentum, quia ad spectu quidem iucunda sit; sed multis multorum fiat malorum causa. Atque id egregiè etiam Juvenalis nos docet sat, x.

† pr. arga-
tibus.

† Galenus
ὅτι τὸ κάλλ.
στρατηγία.
* in prológ.
Hel.

† Quid
pulchrum,
idem est in-
felix

*Sed vetus optari faciem Lucretia, qualem
Ipsa habuit. cuperet Rutila Virgine gibbum
Accipere, atque suam Rutila dare, filius autem
Corporis egregij, miseros trepidolq, parentes
Semper habet. Rara est adeò concordia forma,
Atque pudicitia.* Quibus similia ibidem legas. Tertullianus

quoque, libro de cultu feminarum, ait, decorè naturæ esse invitato-
rem libidinis. Nec vanè vanissimus miles apud Plautum †. *Nivissa*
act. 1. j. 1. *est miseria, pulcrum esse hominem nimis,*

XXI. IN VITIO CORPORIS AD LAUDEM, VEL SOLATIUM, PERTINERE, QVOD ALIQVI MAGNI NOMINIS SIMILITER EVERE AFFECTI: QVOD PARTICVLATIM OSTENDITVR DE CÆCIS, VNOCVLIS, EVNYCHIS, ET CLAVDIS.

DICERE etiam possumus, aliquem partem malè affectam cum Dijs, aut viris clarissimis, habuisse communem. Non hoc neglexit doctor ille, nequitiarum. Vt cuius sit in secundo de arte:

Si pæta est, Veneri similis; si flava, Minervæ.

Eadem igitur instituenda ratio, si quis facie improbâ, vel si quis cæcus, aut unoculus, aut eunuchus, aut claudus, aut aliâ quavis corporis labe insignitus. Illustris de cæcitate locus est apud Tullium in v. Tuscul. quæst. ubi in eâ nihil mali esse, ac sine oculorum sensu beatum quempiam esse posse, ostendit exemplo Antipatri Cyrenæici, Appij, C. Drusi, Cn. Aufidij, Diodori Stoici, Asclepiadis Eretriaci Philosophi, Democriti, Homeri, & Tiresiæ auguris. De Democrito vide sis Gellium lib. x. cap. xvii. Homerum verò cæcum fuisse, scribit & Herodotus, ac Plutarchus in Homeri vita, & Christodorus Thebanus lib. v. *Αρτολογία*. Quin ipse de se Homerus id testatur hymno in Apollinem. Scio, Athenæum † addubitare de hynorum auctore. Sed Pausaniam huic opponimus, qui tres versus, tanquam Homericos, citat ex hymno in Cererem, qui hodie non exstat. Imò ipsum, quem dixi, hymnum in Apollinem Homero quoque adiudicat gravissimus auctor Thucydides lib. ii. ne cum Fulvio Ursino †, & alijs nonnullis, interpretis Pindari † auctoritate movearè, qui cum tribuit Cynatho Chio rapsodo; de cuius cæcitate nihil à quoquam scripturum invenimus. Est verò is versus, qui auctor nobis fundusque huius rei est;

*Τυφλὸς ἀνὴρ, ναὶς ἢ Χίρ' ἐστὶ σωματιόεσσ' **

Nec dubium, quin octavo quoque Vlyssæ sese depingat sub personâ Demodoci cytharædi, cui ait bonum cum malo datum divinitus: nam orbatum fuisse visu, at insignem fuisse arte musicâ. Quare audiendus non est Artemidorus, qui lib. i. *δνειροκριτικῶν* vult, Homerum cæcum tradi, quòd, qui poemata scribunt, multa egeant quiete: ideoque & bonum significare, si Poëta somniet, se cæcum esse. Falsus quoque Hesychius Illustr. qui cæcum ait dictum, quòd non sint oculi eius ullis victi cupiditatibus; quod & apud Suidam

† lib. i.

* in Virgilio cum alijs collato ad Georg. 2. † in Nem. ad. 2.

* Cæcus vir, habitus autem in Chio factus.

est. Non tamen à nativitate luminibus captus fuit, (hoc qui puter, eum omnibus sensibus orbatum esse, ait Velleius lib. II.) sed iam ætate grandis, five morbo. five senio, in hoc incidit infortunium; ut ostendit Brodæus lib. v. cap. IX. Miscel. At B. Hieronymus in Chronico scribit, virum doctissimum, Didymum Alexandrinum, præceptorem suum, etiam à quincto nativitatis anno fuisse cæcum. Vide eundem epist. ad Pammach. & Oceanum, quæ incipit, *Schedula*: item catalogo illustrium scriptorum. De nostri etiam seculi homine ita Genebrardus in Chronico ad an. cD Io LV. *Robertus Mancop, Scotus, à puero cæcus usque eò in literis profecit, ut Theologia doctor Romæ creatus, Archiepiscopus Armacanus, deinde legatus à latere in Hiberniâ fieret*. Plura cæcorum illustrium exempla suggeret Claudianus Mamertus lib. III. de statu animæ. Vide & orationem, qua se iam cæcum solatus Passeratius: item libellum elegantem & disertum Errici Puteani, quo consolatus cæcum Gripium, Gellidriæ cancellarium.

A cæcis venio ad *μοροσθαλμους*, quos non unoculos modò Latini dicunt; sed etiam lufcos, aut cochlites. Ita Horatium in prælio alterum amisisse oculum, atque ex eo Coclitem dictum, ex quincto Dionysij Halic. discere est. Etiam Philippus Amyntæ, pater Alexandri M. & Antigonus, Hannibal, ac Sertorius, unoculi fuere: ut testatur Plutarchus initio vitæ Sertorij. Hinc de Hannibale Iuvenal. sat. x.

Cum Gatula ducem portaret bellua lufcum.

Frigore in Alpibus alterum perdiderat oculum, ut post Livium, & alios, prodit vetus Iuvenalis schollastes. Quod verò mox subijcit idè, fulminis icu visum perdidisse, id ostendit, quàm multa à malâ manu huic interpreti sint adfuta. Philippum, quòd lufcus foret, præ studio laudis & honoris, fuscque deque tulisse, ait Demosthenes. Atque id eorum firmat sententiam, qui pugnando aiunt oculum perdidisse, cum Methonam, Magnesiæ oppidum, obsideret; uti scribit Solinus cap. XIV. & Iustinus lib. VII. At Plutarchus oculo privatum ait, cum per rimam conspiceret Deum cum Olympiade concumbentem. Sertorium etiam isto corporis quasi dehonestamento lætatum fuisse, tradit Sallustius: quod tamen ultra naturæ modum humanæ esse, existimabat T. Castrutius, ut est apud Agellium lib. I. cap. x x v I I. Candace quoque (id Æthiopum reginæ nomen esse, antè diximus) planè virilis animi femina, alterò erat oculo orбата; ut auctor est Strabo lib. VI I. E philosophis itidem unoculus fuit

Timon:

Timon : uti & discipulus eius, Dioscorides Cyprius : quemadmodum Laërtius testatur in vita Timonis.

Neque eunuchum celebraturo deficient argumenta : siue prima Semiramis viros exciderit, ut est apud Ammianum Marcellinum : siue id Perfarum inventum est, ut Petronius in Satirico ait, & Stephanus in *Σπῆδα*. Vtramque verò opinionem junxit Claudianus primo in Eutropium libro †. De his ita Tacitus lib. vi. Annal. *Et † vers. 310. proximus his Abdus, adempta virilitatis. Non despectum id apud barbaros, ulroque potentiam habet.* Vbi potissimum respicit Perfas. Nam, apud eos, ut auctor est Plinius lib. xi. cap. iv. regnare aliquando spadones : quos bagoas, vel bagoos vocabant. Vide Diodorum Sic. lib. xv. & Plutarchum in posteriori de fortuna Alexandri. Atque idem confirmant * Theophrastus, Ovidius, Alianus. ** Vide Her- molaum Barb. Castigat. in Plin. lib. 13. cap. 4. & Paulum Levardum lib. 4. cap. 24. † corporis custodes.* Cyrum etiam spadones habuisse *σωματοφύλακας* †, auctor est Xenophon libro septimo *Κύρου παίδ.* qui & sub libri finem multa de eorum fidelitate & utilitate refert. Philetæros, qui Pergamenum condidit principatum, eunuchus fuit : ut, præter alios, tradit Lucianus in Marcobijis, Narles quoque, qui Francos devicit, ac indomitos Gothos, & invictum Totilam omnibus ferè prelijs, & universo tandem bello superavit ; non gracilis modò, ac pusillus erat ; sed, quòd maxime miserum probrosùmque hostibus videbatur, eunuchus.

Sacerdotes itidem varijs in locis non alij, quàm enuuchi : ut Ægyptij, quemadmodum ex Anaxandride Athenæus refert lib. vii. item Dianæ Erhesiæ, ut est apud Strabonem lib. xiv. Atque idem de Atheniensium Hierophantis prodit Hieronymus lib. i. adversus Iovinianum. Pluraq; huius generis congescit Ioannes Filescus Selectorum lib. i. cap. xi. ubi etiam exponit, quàm mente Noë Eunuchus vocetur à Theophilo lib. i. ad Autolycum. Nempè, quòd post diluuium opere abstinerit maritali, ut est apud Chrysostrum homil. xxxix. in Genesin. Quamquam Hebræi id non tam continentiae amore factum prodant, quàm Chami carmine magico. Alij utrumque inficientur : sed à diluvio etiam liberos genuisse, existiment * ut *πρωτογενῆς* ille Annij Berofus lib. xiv, Naclerus in Chronicorum prologo, item generat. xi. & xvi, Caietanus commentario in cap. ix. Genes. Augustinus Tornielus in Annalibus suis. Ac plerique horum arbitrantur, unum è filijs istis Mosi præteritis fuisse Tuifonem, Germanorum parentem. Sed repugnant hisce omnibus verba Mosaica * : *Tres isti filij sunt Noë, & AB HIS diffim- # cap. 9. natura est omne genus hominum.* Vnde clarè evincitur, siue Noachus, Genes.

opere abstinuerit maritali, indeque eunuchus dictus sit; siue etiam liberos genuerit: saltem ab tribus Noachi liberis, Mosi memoratis, homines omnes originem ducere. Fuere & eunuchi eruditione illustres: de quibus Savaro ad Sidonij lib. I. epist. VIII.

Ad claudos nunc accedamus. Plutarchus scribit, Agesilaum, Spartanorum regem, claudum fuisse. Nam Lacedæmonij (inquit Orosius lib. III. cap. II.) in difficillimo rerum statu maluerunt sibi regem claudicare, quam regnum. Notum etiam, Tyrtaum fuisse claudum; qui & ipse Lacedæmoniorum dux fuit, & Poëta præclarus: ut testantur Strabo lib. VII. Diodorus Siculus lib. XI. & xv. Iustinus lib. III. A peritiâ eius bellica proverbium ortum, *Τυρταίω* & *πολεμικώτης*: quo utitur Plato lib. II. de Legibus. Ob poësin verò idem Plato *θειότατος* † vocat: & Horatius * Homero subdere non dubitavit. Vide Gyraldum syntagm. de poët. Hadr. Jun. Cent. IX, proverb. xv. Floridum Sabinum lib. III. Subsec. Lect. cap. XXXIX. Cœlius quoque Rhodiginus lib. III. XIV. cap. v. Antiq. Lect. alia refert claudorum virtute præstantium exempla: quibus superfedeo, ne lectorem fatias teneat exemplorum.

† *Τυρταίο*
bellicosior.
† *plane di-*
οτιμον.
* *in Arte*
Poët.

XXI. RATIO VITUPERANDI DEFORMES.

AT si vituperamus, dicemus, monstrosam corporis faciem, monstrosi ac pravi esse animi indicem. Huc refer illud Palladæ

lib. II. *ἐπιβολογίας* tit. *ἡς χαλκός,*
Χαλδὲ ἔχεις † πῦρ, ὡς † ἀδάα' ἢ δ' ἀληθάς
Εἰκόνα ἔστ' ἐπ' ἰδὸς σὴ εὐσεύς ἐκ' ἰδὸς ἔχ'.

Transtulit Th. Morus:

Clauda tibi mens est, ut pes: natura nota est
Exterior certas interioris habes.

Iceirco infausti omnis ducebant, si claudus quispiam obviam fieret: ut indicat Plinius lib. XXVIII. cap. IV. Vide & Heraldum in Martial. epigr. I XXXVI. libri VII. ubi etiam docet, non potuisse sacerdotes eligi mutilatos. Atque ut claudorum, ita eunuchorum quoque occurfus erat infelix: de quo libro quarto dicemus. Multaque adversus eunuchos ex antiquis differit Fillefacus, loco, quem paullo antè indicavimus. Est quoque in deformes, ac vitiosi corporis homines, Martialis illud lib. XXI. epigr. CIV.

Crura ruber, niger ore, brevis pede, lumine laesum.
Rem magnam praestas, Zoile, si bonus es.

Victori-

Victorini etiam est, *In distorta membra virtus cadere non potest.*
 Callius Iatrophiista probl. LXI. Διάτι τρεχέλιμοσσοι υἱ; ἀσφορες; ὅτι
 τοῖσ συμπατοῖσ τὰ ψυχρὰ συμτάζει, ὅσσοι τοῖσ ψυχρῶσ τὰ συμπατοῖσ. Quia
 propter homines monstruosi, etiam desipiunt? Quod; quæ anima sunt,
 concinant cum ijs, quæ sunt corporis; hant secus atque ea, quæ sunt cor-
 poris, conspirant cum illis, quæ ad animam pertinent. Erato Terpsi-
 theæ apud Theophyl. Simocat. τῆσ εὐστωσ τῶσ σοφῶσ τὴν αὐτῶσ κακίῃσ
 ψυχῆσ σφῶσ. ὁ δὲ πρῶτος μὴ πνεύσασσ. *Natura sum admirata sapientiam,*
quæ pessima anima non concedidit venustatem corporis. Ita quidem
 iudicant multi. Hinc Medea apud Ovid. vii. Met. fab. i.

---Sed non is vultus in illo,

*Non ea nobilitas animo est, ea gratia forma,
 Et timeam fraudem, meritiq; obliviam nostri.*

Et Scylla in Ciri Maroniana:

*Non equidem ex isto speravi corpore posse
 Tale malum nasci: formâ vel sidere fallor.*

Et sanè non rarò è corporis signis conjectare est de animi mori-
 bus. Vnde est, quod Pythagoras discipulorum ingenia explorabat
 ex corporis constitutione: ut auctor est, præter alios, Iamblichus
 in vita eius cap. xvii. Ac sapientes Indorum idem fecere in deli-
 gendis uxoribus: ut Nicolstratus testatur apud Stobæum ferm.
 cLxxxix. Sæpe tamen imponit forma. Hinc Theseus de Hip-
 polyto apud Senecam †:

O vita fallax! abditos sensus geris.

Animisq; pulcrâ turpibus faciem induis.

Nec illepidum, quod de Socrate Tullius commemorat libro de
 Fato: *Quid? Socratem nomine legimus quemadmodum notariæ Zopyrus
 physognomon, qui se profitebatur hominum mores naturalq; ex corpore,
 oculis, vultu, fronte, persciscere? stupidum esse Socratem dicit, & bardum,
 quod jugula concava non haberes: obstructas eas partes & obixratas di-
 cebat. Addidit etiam, mulicosum: in quo Alcibiades cachinnem dicitur
 sustulisse.*

XXII. DE LAUDATIONE AB ANIMI DOTIBVS.

CORPORIS laudes excipiunt laudes animi. Loquor autem
 nunc de ijs solum, quas naturæ potius, quàm industriæ; debe-
 mus. Nam ut sua est bonitas terræ, priusquam subigatur, feminasq;
 ei mandentur: ita & bona quædam est indoles animi, antequam ex-
 colatur.

† Hippot.
 Act. 3.
 vers. 915.

* naturam,
consuetudi-
nem, &
præcepta.

† lib. 1.

* maximè
idoneum ad
explicandū
ex tempore,
quid fieri
oporteret.

colatur. Vnde Aristoteles lib. VII. Polit. cap. XIII. ait, tria esse, quæ virtutem efficiant, *φύσιν, ἔθος, καὶ λόγους* †. Porro indolis hæc bonitas proficiscitur ab *εὐφροιά*, seu bona corporis temperie: ac partim intellectum respicit, partim voluntatem. In intellectu familiam ducit ingenium: cuius eximia est in adultis virtus, posse in arena salubria capere consilia: quomodo Thucydides † scribit, Themistoclem fuisse *καρπύον * ἀποκαθίζεν τὰ δέοντα*. Sed de animi dotibus, uberrimus quidem se offert dicendi campus: verum potissima retulimus superiùs, cum hoc ipso capite, tum antecedenti. Et tam benigna hæc materies, ut etiam in dicendo infantis triumphare in eâ possit oratio.

XXIII. QUOMODO COMMENDEMVS A DIVITIIS.

NATURAM sequitur FORTVNA: ad quam refer opes à parentibus, aut maioribus relictas. Sunt hæc vel cum imperio, vel privata. Ab opibus privatis sese Alexi commendat Corydon:

Despectus tibi sum, nec quis sim queris Alexi:

Quam dives pecoris tui, quam lactis abundans.

Mille meæ Siculis errant in montibus agna.

Lac mihi non æstate novum, non frigore desit.

Trifariam autem hinc aliquem laudamus. Nam ostendimus, si habuerit, bene his usum: si non habuerit, sapienter his caruisse: si amiserit, moderatè tulisse: ut ait Cicero in secundo de Oratore. Ac sapienter quidem ijs carebit, amissas etiam moderatè feret, qui, quod de genere superiùs dicebamus, idem de opibus statuet: videlicet, eas dici nostras non posse. Vti documento est Bias, qui, captâ Priene, cum nihil asportaret, aiebat tamen, *Omnia * mea mecum porto*. Nimirum

* Cic. in
Parad.

Non est tuium, fortuna quod fecit tuium.

Quod inter Publij Syri *μυμάρους* reponi videas à summo viro, Ios. Scaligero. Sed clarè Syro abjudicat, Lucillioque suo tribuit Seneca epist. VIII.

Nec gentiles modò ita sapere: sed eadem etiam mens fuit sanctorum Patrum: uti B. Chrysofomi homil. XI. ad Timotheum, cap. I v. † ubi pulcherrimè ait: *Εκείνα μόνον ἔστιν ἡμᾶς, ὅσα ἂν ἡμεῖς σκεπέμεθα. τὰ δ' ἐπὶ τὰ ἄλλα, ἔχ' ἡμέτερα, ἀλλὰ τῶν ζώοντων μάλλον ἢ καὶ ζώων ἡμᾶς ἀπέλιπον. ἐκείνα μόνον ἔστιν ἡμᾶς, ὅσα τ' ψυχῆς ἔστι καὶ λογισμάτα, ἐπινοήματα καὶ φιλανθρωπία: ταῦτα τὰ ἐκτός λέγεται καὶ ἔξω τῶν ἡμετέρων ἐκτός τῶν ἡμῶν ἔστι. ποιῶμεν ταῦτα αὐτὰ τῶν ἐντός. ἢ τῶν ἄνω τῶν λογισμάτων λαμβάνοντα ἀπὸ τοῦ*

† pag. 292.
editionis E-
tonensis, seu
Siquiniana.

ἀπλῶς, ἀλλὰ δυνάτων ἐλευθερώσῃν λαμβάνοντα ἀπλῶς. μάλλον δὲ ὅτι οὐ
 στήριξομαι αὐτῶν, ὥστε ἐπιμαίωμαι ἡμῖν σκηνῶν ἐν ἡδαιωναῖς μοναῖς. χεῖμαλα λέγει
 ὅτι τὸ καχεῖον, ἢ παρὰ τὸ κύριον ἔδ. ἢ τὰ κλίμαλα ἢ αὐτὰ χεῖνος ἢ ὄντι, ἢ
 δεσποτεία. εἰπὼ γὰρ μοι, πόσον κρείων ἢ ἕκαστος ἀρχὸς γέγονε; ἢ πόσον ἔσται; λέ-
 γεται τις ἢ παροικία σφοδρῆτιν ἢ ἢ δὲ ἔξῃ δυνάδων παροικίαν δὲ καλεσθῆναι, ἢ
 αὐτὸν ἔχοντι τι σφοδρὸν ἀρχή, οἷσι, πόσον ἦε, ἢ πόσον ἔσται; τῆτο ἢ ὅτι οὐκ οἰκίας, ἢ
 οὐτο ἢ ὅτι οὐκ χεῖμαλα, λατρίῃ ἡμῖν. ἀρετὴ μόνον οἶδαν ἡμῖν σωμαποδημεῖν. ἀρετὴ
 μόνον διαβαῖν, ὅτι τῶν ζώων τῶν οὐκ. Ea tantum nostra sunt, quae illuc
 praeferre caute studemus: quae autem hic sunt, non nostra, sed viventium
 sunt, imò viventes saepe derelinquunt. Illa sola nostra sunt, quae ab anima
 recte sunt: elemosyna scilicet, ac pia in pauperes miseratio. Porro ista
 dicuntur exteriora, etiam ab ipsis gentium scriptoribus: quippe, quae extra
 nos sunt: ea igitur nostri juris faciamus. Neque enim possibile est, hinc,
 pecuniâ acceptâ, migrare; sed planè possibile est, elemosynâ datâ proficisci:
 imò verò ipsâ etiam praemittimus, ut nobis in aeternis mansionibus taberna-
 culum parent. Pecunia enim apud Græcos ab usu dicuntur, non quod
 propria sint: imò & possessiones ipsae, usus, non dominatio sunt. Dic enim,
 quæ se, villa qualibet quot habuit dominos? quot itidē habitura est? Dicitur
 quoddam vulgò proverbium, & sapienter quidem. Neque enim omnino
 contemnenda sunt, quae vulgò dicuntur, si quid in se recti habent. Ager, di-
 cunt, quàm multos habuisti, & quàm multos demceps habiturus es domi-
 nos? Hoc & de adibus, & pecunijs, dicendū nobis. Sola igitur virtus nobis-
 cum migrare consuevit. Virtus sola ad aeternā, quæ istic est, vitam transit.

Nec solum cogitare oportet, opes bonum proprium non esse: sed
 simul in mentem veniat, quàm multos earū cupido pessum dederit.
 Sicut inter alios Craffum triumvirum. Ut non de nihilo fit, quoddam ille
 apud Plautum dicat *:

Odi ego aurum: multa multis saepe suasit perperam.

Sallustius verò ἔ: Vbi divitiæ clare habentur, ibi omnia bona vilia sunt,
 fides, probitas, pudor, pudicitia. Contrà, ut ait Petronius Arbiter,
 Nescio quomodo bone viventis soror est paupertas. Nempe, ut ait idem,
 amor ingenij neminem unquam divitem fecit. Sed imprimis adi Ap-
 puleium in Apologia, ubi multus est in laudanda paupertate.
 Nec argumentum hoc planè παροικίαν putari debet. Neque enim
 paradoxa sectabatur vetus illa meliorque Romana Resp. de qua
 tamen sic in operis sui ingressu Livius scribit: Aut me amor nego-
 rij suscepti fallit, aut nulla unquam Resp. nec maior, nec sanctior, nec bonis
 exemplis ditior fuit. nec in quam tam seve avaritia luxuriæ, immigra-
 verunt: nec ubi tantus, ac tam diu, paupertati ac parsimonie honor fuerit.

L

Qui

* Cap.

ad l. 2. sc. 2.

* orat. seu
 acrius epi-
 stola ad Ca-
 sarem de
 Rep. orat.
 manila.

Qui verò vituperat pauperem, fatebitur, minimam quidem esse & laudibus hominis, si opibus abundarit: interea tamen, ut est apud auctorem dialogi de oratoribus, facilius inveniri, qui vituperet divitias & opes, quàm fastidiat. Dicit etiam, uti sine nervis ambulare non possumus, ita nec sine pecuniis progredi nos posse, seu in privata vita, seu publica. Vbique enim locum habere Demosthenicum illud, *ὅτι ἢ χρημάτων, ἢ ἀπὸν τούτων ἔστιν ἐστὶν ἰσχύς ἢ δόξα*, *Opus est pecuniis, sine quibus nihil fiat, quod opus.* Sed ante omnia spectare convenit, an non paupertas hominis, vel ab inertia & incuria provenierit, vel à luxu, five eius, five maiorum.

Sin vituperandus dives, negabimus, opes bonorum nomen mereri: qua de re Tullius in Paradoxis, item Seneca, Epicæterus, alij. Certè, ut ait Varro:

Non si thesauris, non auro potest solutum,

Non animis demunt curas, ac religiones,

Per jarum montes, non atria diviti Crassi.

Præcipuè autem videndum, an non is malè pepererit divitias, vel malè ijs usus sit. Ad prius pertinet Salomonis illud Proverb. cap. xxv. *Qui festinat ad divitias, non erit insons.* Ac, quod philosophus aiebat, divitem, aut iniustum esse, aut iniusti hæredem. Quod inter ea referendum, quæ vera sunt *ὅτι ἐστὶ τὸ ἀλλείων* *. Divitias verò malè ijs utenti bonas dici non posse, etiam Comici hoc ostendit †:

Quid reliqui est, quin habeat, quæ quidem in homine dicuntur bonæ

Parentis, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias.

Atque hæc perinde sunt, ut illius animus, qui ea possidet.

Qui uti scit, ei bona: illi, qui non vivit rectè, mala.

XXIV. QUOMODO AB EDUCATIONE, ET INSTITUTIONE, LAUDEMVR, AVT VITUPEREMVR.

ATQUE ista de animi & fortunæ dotibus quodammodo ad omnem pertinent ætatem: nunc eam per partes consideremus. Vt i primo se loco offert puerilis educatio: quæ si nihil memoriæ dignum contineat, rectius præteritur. Ab eâ pariter ac ortu, *Æneam* vituperat Dido ‡:

Nec tibi Diva parens, generis nec Dardanus antior:

Perside: sed duris genuit te cauribus horrens

Caucasus, Hircanæq; admorunt ubera tigres.

Hanc

* ut plurimum.

† *Æneant.*
act. 1. sc. 2.

‡ *Æn.*

Hanc excipit institutio, in quâ, uti & recta educatione, quantum sit momenti, egregiè docet Tullius initio tertij Tuscul. Quæst. Multum autem in eâ ad commendationem valet discendi cupiditas, quâ in puero atque adulescente eluxit. Nam, juxta Græcorum proverbium, *Θυοι τ' ἀγαθα' τοῖς πῶροις πᾶλλῳ λαι**. Atque, ut aquile-
 ges credunt aquas subesse, ubi conspexerint vaporem mane attolli: ita ex prævio illo studiorum ardore, non immeritò spes concipitur de luculentæ doctrinæ, ac maximarum virtutum scaturigine.

* Dū laboribus bonis dividuntur.

Præterea videndū, quibus quis sit studijs instructus. Vt quod Musas Gratiis miscuerit, quam *ἡδίστην συζυγίαν* † dixere veteres: quodq; † suavis-
 cum sapientiæ studiis Eloquentiam junxerit, planè ad mentem eorum, qui, ut significarent Mercurii ac Palladis studia conjungi oportere, effinxere olim Hermathenam. *nam conjunctionem.*

Adhæc multum ad laudem valet, quibus quis doctoribus ac doctoribus profecerit. Vt si in Grammaticis præceptorem habuerit Cæsellium, aut Verrium, aut Epicadium, aut Nisum: quos, ob insignem literaturæ peritiam, Arnobius junxit primo adversus gentes. Aut si in philosophia audierit Platona, vel Aristotelem, vel Zenonē. Atque ita in alijs. Maiorisque ingenij argumentum erit, quodd quis fuerit *αὐτοδιδάκτω* †.

† à se ipso edoctus.

In vituperatione autem, si quis malis sit usus magistris, dicemus, quod de Corace & Tyfia jactatum olim fuit, *κακὴ * καὶ ἀκακὴ * mali cor-
 ἀδρ.* Ita Pisonem vituperat Cicero: *Habet autem magistros, non ex vi malum
 istis ineptis, qui dies totos de officio ac virtute differunt; qui ad laborem,
 ovum.* industriam, ad pericula propria subeunda adhortantur: sed eos, qui disputant, horam nullam vacuum voluptate esse debere; in omni parte corporis semper oportere aliquod gaudium delectationemq; versari. Catonem quoque idem orat. pro Muræna vituperat à philosophiâ Stoicâ: *Ac-
 cessit his doctrina non moderata, nec mitis; sed, ut mihi videtur, paullo
 asperior ac durior &c.* Sin boni obtigerint præceptores: tantam fuisse pravitatem naturæ contendemus, ut ea vim exsuperârunt instru-
 tionis. Ita Cicero †, postquam de improbitate Q. Ciceronis, fratris filij, conquestus esset, hæc subiungit: *Sed nulla nostra culpa est.* *† epist. 4.
 lib. 10. ad
 Att.* natura metuenda est. hæc Curionem, hæc Hortensij filium, non patrum culpa, corrupit.

XXV. VIRILEM ÆTATEM A VARIIS LAUDARI,
PRÆCIPVE A NVMINIS REVERENTIA, ET REBVS
SOLIVS VIRTVTIS AMORE GESTIS; MAXIME
AVTEM, SI QVIS IN EAM SPEM NON
FVERIT EDVCATVS.

HINC exponenda, quæ ad statam ætatem pertinent; uti vitæ
genus ac conditio: ubi & referendum, quid quisque senserit,
dixerit; domi, foris; toga, sago: quæ item præmia sit consecutus.

* statã ata-
te.

† Gell. lib.

4. cap. 9. &

Varro apud

August. lib.

6. de Civi-

tate Dei.

Imprimis autẽ, tum in *αἰμαί**, ac universo vi-
tæ spatio, videndum, utrũ quis religens fuerit, Deumq; metuens,
an (ex veterum loquendi modo) religiosus †, sive Deum timens, h.e.
superstitiosus; an, quod multis partibus deterius, religionis con-
temptor, *ὑπὸ ἀθεῖα*.

Præcipuẽ etiam laudem merentur, quæ suscepta sunt non habitã
ratione emolumentum proprij, sed honestatis: cuiusmodi est, quod
Achilles maluit se morti ante oculos positã obijcere, (siqui-
dem ei prædictum fuerat, moriturum, si in bellum proficisceretur)
quã Patroclum, amicum suum, inultum relinquere. Hinc M. An-
tonius apud Cic. secundo de Orat. *Gravissima*, inquit, *laus habetur*
eorum factorum, quæ suscepta videntur à viris fortibus, sine emolumento ac
præmio: quæ verò & cum periculo ipsorum, hæc habent uberrimam co-
piam ad laudandum.

Multũ quoque ad admirationem facit, si aliquid præclare fiat
ab ijs, qui non sunt in istiusmodi spem educati. Theon in Progymna-
smatis *: *Ἄξιον ἢ ἀγαθόν, ἢ ἐν βαναύσῳ τέχνῃς, ἢ πορνῆς τύχῃς, ἀγα-*
θὸν δυνάστα τὴν ἰσχυράδα, ὅποιον λέγουσιν, Ἡρώτα μὲν ἢ σκυλοδομον, Λεόντιον
ἢ τὸν ἰταίεον, φιλοσοφῶσα. Est verò admiratione dignum, si quis opificio ma-
nuario, aut deteriore fortunã progressus, aliquid præclari operetur: uti
perhibent de Herone sutore, & Leontio meretricis ad philosophiam ani-
mum applicante. Leontij huius, Epicuri amicæ, meminit & Plutar-
chus, libello, An recte dictum sit, latenter esse vivendum; item M.

† Horat. lib.

lib. 1. sat.

3. & ibi

Acro.

† Acro ibi-

dem, & Põ-

ponius Tit.

de Origine

Iuris.

Tullius lib. 1. de Nat. Deor. *Istisne*, inquit, *fidentes summis, non modo*
Epicurus, & Metrodorus, & Hermachus, contra Pythagoram, Plato-
nem, Empedoclemq; dixerunt: sed quidem illa sermone, & Attico. Itidem
P. Alfenus Varus Cremonæ, ubi & natus, diu sutrinam t exercuit:
tandem, clausã tabernã, se Romam contulit, & Servio Sulpicio †
præceptore usus, tantum in iuris profecit scientiã, ut ob eius cogni-
tionem

tionem ad consulatum sit evedus : estque hic is ipse, cuius Con-
 &aneorum librum secundum, Digestorum autem quartum & trig-
 simum, citat Gellius lib. vi. cap. v. Primitius, tertius Bohemorum
 dux, ab aratro vocatus est ad gubernandum Bohemiam: de quo vi-
 de Æneam Sylvium de Bohem. origine cap. vi. Piasius item, cum
 primò agelli cultu ac mellificio vitam sustentasset, post factus est rex
 Poloniæ: quâ de re Martinus Cromerus lib. ii. de origine & re-
 bus gestis Polonorum, & Ioannes Herburtus Historiæ Poloniæ
 lib. i. cap. xii.

XXVI. MAGNAM ETIAM AD CELEBRANDVM
 ALIQVEM VIM HABERE, SIQVEM HOSTES
 IPSI LAVDARE COGANTVR.

EST præterea maximè illustris virtus, quam extollunt illi, qui-
 buscum nobis bellum aut inimicitia fuerint. Ita enim natura
 comparatum est, ut eorum, quibus malè volumus, res præclare ge-
 stas, vel eam depreffum, vel silentio tegamus. Hinc sapientissi-
 mus Nestor ait apud Nasonem xii. Met. fab. vi.

----- *Quod mallem posse negare.*

Sed neque Deiphobum, nec Polydamanta, nec ipsum,

Heetora laudamus. Quis enim laudaverit hostem?

Quare multò maxima esse oportet, quæ hostes ipsi efferre lau-
 dibus cogantur. Hinc Horatius od. iv. lib. iv. quò Romanorum
 virtutem egregiam esse ostendat, Hannibalem eam commendantè
 inducit. Multum quoque ad laudem Bulidis & Sperchidis facit,
 quòd tantopere eorum virtutem admiraretur Xerxes, ut propterea,
 cum occidere posset, pepercerit: quemadmodum Lucianus refert
 in encorio Demosthenis. Atque inibi legas, quàm præclare de ho-
 ste suo, Demosthene, senserit Antipater. Nempe, quòd ibidem ait,
 τα καλὰ ἢ τὰς ἐχθροῖς καλὰ, ἢ τὸ ἄρετῆς παραταχῆ τιμῶν: *Honesta et-
 iam apud hostes dicuntur honesta, ac virtus ubique honore digna censetur.*
 Adi & Victorium lib. xxvi. Var. Lect. xi.

XXVII. DE GENERALI LAVDATIONIS PRÆCE-
 PTO, EAS PRÆCIPVE LAVDAS CONSECTAN-
 DI, QUÆ CVIVSQVE PROPRIÆ SINT.

ILLVD verò non jam virilem modò ætatem, sed quodammodo
 omnem vitam respicit, ac propterea etiam in amplificationis do-
 ctrina

Ærina universè aliquid de eo monitum nobis. Nempe, planè perspecta esse debere Oratori propria illius, de quo agitur. Nam, ut inquit Aristoteles lib. i. i. Rhet. quomodo Athenienses laudabimus, si lateat nos prælium navale ad Salaminem, aut pugna in Marathonè, aut quæ pro Heraclidis gesta sunt, aliæque id genus? Idem inibi præclare monet, propria præferenda esse communibus, eoquæ Achillem non tam laudari debere, quod homo sit, quod ex femideis ortus, quod ad Ilium militaverit; quæ ei cum Diomede, ac pluribus alijs, erant communia: quàm quod interemerit Hectorem, Troianorum fortissimum, & Cygnum, Neptuni filium, qui, cum vulnerari non posset, impediēbat, quod minùs Græcorum quisquam è navibus descenderet; quod item nemo eo iunior ad Ilium profectus est; quodquæ non, ut Helenæ proci, iurisiurandi religione à Tyndarō obstrictus, sed, nullâ adactus necessitate, summis belli Troiani periculis se involverit. Quæ sanè laus longè est maior, quàm Helenes procorum: quandoquidem, ut egregiè ait Tertullianus lib. i. ad uxorem cap. xii. *Quod necessitas præstat, depreciat ipsa.* Ovidius quoque, in laudando Peleo, ita communi laudi subijcit propriam, ut hanc præferat priori. Sic enim ille xi. Met. fab. vi:

-----*Nam conjuge Peleus*

*Clarus erat Diva: nec avi magis ille superbit
Nomine, quàm sociari. Siquidem Iovis esse nepotem,
Contigit hanc uni; conjux Dea contigit uni.*

XXVIII. DE RHETORVM PRÆCEPTO, QVO IN
LAUDANDO IVENT VITIVM INCRVSTARE
SPECIE PROXIMÆ VIRTVTIS.

* *contu-
liam insti-
tutionē vo-
cantes: sola-
tam licenti-
am, liber-
tatem: pro-
digalitatem
itē magni-
ficentiam:
impudenti-
amque stre-
nitatem.*
† *Pro visa
aut viva
leg. cum
Duxa, aut
nisa cum
Guilielmo.
Vita tamē
retinet Gif-
fanum indi-
ce Lucretia-
no in Ge-
mianus.*

CÆTERVM monent non pauci, debere nos, in omni vitæ lauda-
tione, vitia vicinis virtutibus elevare, *ὅθεν* (ut inquit Plato lib.
viii. de Repub.) *καὶ δὲ καλῆτος, ἀναρχίας ἢ ἐλλοθίας, ἀουτίας μαγα-
λοπρέπειαν, ἀναδίας ἢ ἀνδρίας* †. Eaque in re exemplo nobis sunt paten-
tes, qui liberorum suorum; & amatores, qui amicarum vitia, isto
modo extenuant: quæ de re Horat. Sat. i. i. lib. ii. Lucret. lib. xv.
Idem amoris præcipit magister lib. i. de arte:

Sit gracilis, macie qua malè visa † suâ est,

Dic agilem, quæcumque brevis, qua turgida, plenam.

Sed, sive Alcibiades, ut vult Plutarchus, huius præcepti autor
fuit: sive multò ante, atque aded statim post natos homines, vanitate

tate pravæ naturæ magistrâ, res ea in usu fuit: iure profectò hoc nomine conqueritur M. Cato apud Sallustium *; *Iam pridem*, inquit, *nos vera rerum vocabula amissimus*. Negamus igitur id Oratoris esse, quem non modò bonum civem, sed virum etiam bonum esse volumus. Et hæc de ijs, quæ vitam spectant.

* in Cati-
lin.

XXIX. DE LAUDATIONE AB IIS, QUÆ IN MORTE, VEL PAVLLO ANTE, AUT MOX AB OBITU, ACCIDERUNT.

SVPEREST TEMPVS VLTIMUM, cuius non philosophi modò, sed Christiani quoque, imprimis habendam esse rationem docent. Ambrosius de bono mortis cap. III. *Ante mortem nulla est perfecta laudatio. Neque quisquam in hac vita potest defuncto præconio prædicari, cum posteriora eius incerta sint.*

Hoc in tempore consideranda mors ipsa, & quæ circa mortem, h. e. vel paulò antè, vel post eam, contigerunt. Itaque hic primò videndum ætatis spacium, & quæ quis dixerit, cum in ultimis esset; suane quis morte defunctus sit, atque utrùm lentâ obierit morte, qualis exoptatur à vulgo; an subitâ, quam, ut mitiorem, præfererat Iulius Cæsar, teste Tranquillo; itemque Philippus Macedoniæ Rex, ut scribit Orosius lib. III. cap. IV. Genus profectò mortis plurimùm ad laudem, aut vituperationem facit. Nam, uti hodie, ita olim etiam, honestum censebant, gladio perire; inhonestum, laqueo. Certè Homero quoque *pura mors* eorum vocatur, qui ense occiduntur. Eustath. in Odyss. X *: *κατὰ δὲ δάρατον ὁ δὲ δὲ εἶπος μαγδὸς* c. 20. *Σὺ δὲ ἀγχορμαίον*. Atque eopse modo Philo loquitur lib. de Mundo. *da*, in Euripides, & solis illis, qui sponte vitam laqueo finissent, iusta non fiebant: nec in parentalibus eorum nomina ciebantur: ut auctor est Artemidorus lib. I. cap. V. Tales quoque abijciebantur insepulti: ut ex pontificalibus libris refert Servius ad illud XI I. Æn. *Et meri canes*. *infirmis leti trabe neclit, ab alta*. Vbi & hoc Varronis citat: *Suspensiosis, quibus iusta fieri ius non sit, suspensis oscillis, veluti per imitationem mortis, parentari*.

Etiam si aliquis indignâ, aut non vulgari morte sublatus fuerit, adferri poterunt similes præstantium virorum obitus. Ut trium tragicorum mortes: è quibus Euripides canum morsibus laniatus †; Æschylus testudine è sublimi ab aquila in caput iactâ extinctus †; Sophocles uvæ acino strangulatus, et si de hoc aliter Valerius, * Sed

Soradem

* pag. 1934

† Valer. lib.

9. cap. 12.

Gell. lib. 15.

c. 20. Sui-

diogenia-

nus prover-

bio, Pro-

ut ex pontificalibus libris refert Servius ad illud XI I. Æn. Et meri canes.

† Aristophanes in

Ranis, Va-

lerius ibidè,

Plinius lib.

10. cap. 3.

† lib. 9. cap.

* *conuentio-
fio.*
† *q. d. ar-
gutor.*

Sotadem poetam sequor, & Lucianum in Macrobijis. Vbi & Poly-
bium historicum lapsu ex equo mortuum, auctor est. Alexinus is,
qui, cum mirè foret φιλόσοφος *, propterea dictus est ελεξίνος †, in
Alpheo natans ab arundine est sauciatus, ac tantillo ex vulnere
obiit: ut est apud Hesychium Illustrum. Qui & Philemona Syra-
casanum, & Philitiona Nicæensem, risu discessisse, narrat. Alio-
rum etiam non vulgares mortes suggeret Valerius lib. ix. cap. xi. r.
& Ibis Ovidiana.

Commendatur & interdum mortis causa: ut quoddam Socrates pro
veritate mortem æquo animo tulerit. Vel quoddam aliquis pro liber-
tate occubuerit:

‡ *Pulchrum
enim virum
forte miser
eos, qui in
prima acie
stant, pro
patria pu-
gnantem &
cadentem
mori.*

Τηρόμεναι ‡ ἢ καλὸν ἐπὶ τρομαχίαισι πεισθίαι

Ἄνδρ' ἀγαθὸν οὐδ' ἢ πατριῶν μαρτύρων:

ut ait Tyræus, qui *mares animos Veribus axacuit*, ut Horatius inquit.
Ac similiter Pindarus Isthm. od. vii. Ἴστω δ' οὐδέ τις ἐν ταύτῃα νεφέ-
λα χάλαζαν αἰμαίησ' ὀφείας φίλας πάστας αἰμύνας, λοιγὸν αἰμύτων ἐναντίῳ πα-
τῶν ἀσῶν, γνεῖ μύθων κλέος αὐζῶν ζῶων τ' ἀπὸ καὶ δαυῶν. *Sciat enim certo,*
quisquis in hac nube grandinem sanguinis à chara patria propulsat, exi-
tium à civibus adversario exercitu depellens, stirpi se maximam accumu-
lare gloriam, & dum vivet, & postquam obierit. Hinc Lycurgus pro-
hibuit quicquam defunctorum monumentis inscribi, præterquam
eorum, qui in bello cecidissent: ut est apud Plutarchum in vita eius.
Tertulliani quoque est lib. de Fuga in persecut. cap. x. *Pulchrior*
est miles in pugna amissus, quam in fuga salvus. Et quis bonus aliter
unquam putavit? Nempe, ut Tullius primo de Off. ait, *omnes*
omnium caritates patria complexa est: pro qua quis bonus dubites mor-

† *Sic libb.*

*vet. ca-
insmodi bia-
tus Maroni
hant infre-
quens.*

* *Eabius lib.*

3. cap. 7.

† *lib. xvi.*

ευθίου.

ἀνομιῶν.

* *tempus.*

& *invidiā*

esse omnium

verum in-

dicis.

tens oppetere?

Præterea adferenda, quæ morte obitâ contigerunt; quod refer-
illa Mopsi apud Maronem:

Non ulli pastos illis egere diebus

Frigida, Daphni, boves ad flumina; nulla † neque amnem.

Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.

Commemoranda hic pompa funebris, & imprimis iactura, ac
querela, & dolor bonorum, hominumque omnium iudicium. De
iudicijs tamen, interdum neque ea post obitum factis respondent;
ut præcipuè fit in ingeniorum monumentis. Multi enim cum Me-
nandro * iustiora posterorum, quam iuxta ætatis, iudicia, sunt conse-
cuti; ut iure optimo dixerit Dionysius Halicarnassensis † πάντα θε-
οσιζέειν φθόνον καὶ χόρον ‡. Vide Martial. lib. v. epigr. x.

Quere

Querelæ subijcienda consolatio. Ea petitur, tam à defunctis ipsis, ut à felicitate summâ, quæ illis obtigit: tum ab ijs, qui superstites sunt; ut si dicas, damnum sarciri posse virtute successoris. Ita B. Ambrosius in funere Theodosij: *Ergo, inquit, tantus Imperator recessit à nobis, sed non totus recessit. Reliquit enim liberos suos, in quibus eum debemus agnoscere, & in quibus cernimus, & tenemus.* Intelligit autem Honorium, & Arcadium, qui patri in imperio succedere.

XXX. A QVO PETI DEBEAT RATIO CELEBRAN-
DI PRINCIPIS. ITEM MODVS VITVPE-
RANDÆ PERSONÆ.

AT QVE ex his quidem homines promiscuè laudandi ratio cognosci potest. Sed quia non eadem ubiq; ratio est celebrandi principis, ac civis: cō operæ est, speciatim etiam considerare rationem extollendi regis. Hoc verò artificium fusissimè exponit Menander Rhetor lib. II. cap. I. & II. & parte capituli IV. Hunc adi. Nam quid attinet omnia exscribi? præsertim cum suavius sapiant fontes antiqui, quàm rivi nostri.

Fortasse aliquis desideret, ut seorsum saltem exponamus, quâ ratione personarum vituperatio institui possit. Nam plurimum ea tantùm adtulimus, quæ ad solam laudationem pertinent. Sed cùm, ut scribit Philosophus, par sit contrariorum ratio; sanè qui laudandi rationem cognitam habebit, faciliè vituperandi modum noverit; ut in quo omnia hæc invertere oporteat. Vnum tantùm, & alterum, eos monitos velim, quibus fortasse ætas nondum satis iudicium firmavit. Prius est, quòd uti ad laudem alicuius referimus non modò, quòd his vel illis bonis sit ornatus; sed etiam quòd certi vitij non laboret; sic vituperari quoque aliquem, non modò quòd ei mala adsint; sed etiam quòd illi bona desint: ut si alicui probro vertamus, quòd sit ineruditus, ac moriturus sit inglorius. Ita Cicero orat. pro Flacco ridet in Heraclide Temnite, quòd cùm iam senex sit, nunquam tamen in patriâ consequi potuerit honores cuius concessos. Alterum est tale, quòd uti in laudationibus haut imitandi sunt Rhetores illi, qui (ut de Cicerone, beneficia à Cn. Plancio in se collata amplificante, dicebant adversarij) arcem è cloacâ faciunt, aut lapidem è sepulchro venerantur pro Deo: ita, ac multò quidem magis, in vituperationibus devitandam esse oris duritiem, & caninam eloquentiam; contrà quàm solemne est non-

nullis, cæteroquin insignibus viris, qui nunquam sunt disertiores, quàm si alijs liceat maledicere: imò morituri sibi videntur, nisi crebrò evomant malignitatis & invidiæ virus, non dico in semidoctos, & parùm probos; sed non minùs ipsis eruditos, & magis candidos. Qualium exemplum in cæteris potius imitari iuventus debet, quàm in fœdo hoc animi vitio, quod tanto est conspectius, quanto ipsi sunt maiores. Sed his tamen, quia egregiè alioqui de studijs merentur, faciliùs ignoscimus, quàm novitijs quibusdam Sophistis, quos videre est ludibriosa & turpia multa, quæ per febrim somniant, orationibus ac libris integris in Aristotelè, Tullium, Fabium, ingerere, & disciplinas integras, ut facultatem Oratoriam, Metaphysicam, aliasque, quas sæpe ne quidem, quod dicitur, tanquam ab alno despectarint, adlatrare ac *καυεζεν*; denique non ambigè modò prolata, sed etiam optima optimè ab optimis quibusque veterum dicta, sublato aspernari supercilio; ita ut, contrà quàm Nestori, felle ijs amarior ex ore fluat oratio. Verùm Plauti illud cogitabimus è Patruo sive Pœnulo †

† Quasi è
ponit scem-
matibus
petere.

† *Att.* 3. *Sc.*
Iam istuc
ego.

† *Meurum*
exigit isti:
atque ita

legit *Mar-*
silius, pra-
fat. *com-*
ment. in
Amphitr.
Marzial.

Isti pro
istic ami-
què, ut illi
pro illic
frequens
Plauto Te-
rentioque.

*Isthic * est thesaurus stultis in linguâ situs,
Ut quæstui habeant, malè loqui melioribus.*

XXXI. ADFERVNTVR EXEMPLA VETERVM ORA-
TORVM, AD QVORVM IMITATIONEM INSTI-
TVI POSSIT LAVDATIO PERSONÆ.

ETSI verò, quæcunque hæctenus de laudatione personarum diximus, multùm jvant eum, qui rhetoricari seriò voler: non tamen ita stultè sapiendum, ut in istis subsistamus. Adeundi enim Oratores veteres: atq; ad horum exemplum aliquid effingendum.

Exemplorum istiusmodi duo sunt genera, pro duplici laudis tractatione. Nam, ut rectè eam dividit Aphthonius, vel communiter laudamus, vel singulatim. Communiter quidem, ut cùm gentem, aut totam celebramus familiam. Ita Atheniensium laudes completitur Isocrates in Panathenæico suo: quem quarto & nonagesimo ætatis suæ anno scripsit; quinquennio nempe ante mortem. Singulatim autem extollimus, cùm unum è gente, vel familia, sumimus ornandum. Ita Epicratem laudat Demosthenes *λόγον ἐρωτικόν*: quàmquam orationem eam huic oratori abjudicet Photius, utpote languidiorem. Demosthenis encomium est apud Lucianum. Socratis laudem vide apud Dionem orat. LIV. quæ de Socrate inscribitur,

& se-

& sequenti, quâ Socratem cum Homero comparat. Macedones quosdam laudat Lucianus in Scythia seu hospite. Aristidis oratio exstat in Asclepiadas, qua Podalirium ac Machaonem extollit. In Libanij progymnasmatibus habemus laudationem Vlyssis, Achillis, Diomedis, Demosthenis. In Aphthonij progymnasmatibus commendatio est Thucydidis. Synesius Anylij elogiū scripsit, cum adversus hostes rem bene gessisset. Idem primori oratione ad Pæonium prædicat eum, quod philosophiam, & militarem scientiam, conjunxerit. Oratio ꝑ verò Dionis *οὐελ κἀλλος*, à qua adolescentem tantum ^{† orat. de pulchritudi-} ut nempe reprehendat sui seculi mores corruptos, quibus tanti ab improbis forma fiebat in ephēbis. Nempe hoc longè verisimilius est, partim quia philosopho est dignius, qui seculi sui mores castigare solet: partim quia Dio solet imitari *τὸς λόγους Σωκράτους*, ut non cuiusvis perspicuum sit, quorsum spectet.

Quod si particulatim exempla eorum nosse voles, qui viros principes celebrarint: divinum adi panegyricum Plinij, item panegyricos Claudij Mamertini, Nazarij, Eumenij, Latini Pacati, atque aliorum, qui conjungi illis solent. Luculenta etiam est Themistij oratio ad Constantium Augustum, quâ gratias agit pro eo, quod ab Imperatore esset laudatus, & par pari redhostiens, vicissim Imperatorem summopere extollit. Eius initium, *Αἴψ' ἀν δῆμι*. Est & altera illius oratio, quâ gratulatur Imperatori, eumque magnificè evehit. Incipit ea, *Αἰγύπτιος*. Idem orationem recitavit in laudem Ioviani Imp. Initium est, *Βασιλεῦ*. Idem aliâ oratione Valentem à fortitudine & clementia mirè prædicat. Orditur eam hoc παῖο, *ὄμμασι σε θαυμάζειν*.

Quod si etiam exemplum petimus argumenti *παραδείξι*, ἢ *αἰδέσει*, suppeditabit hoc Isocrates in laudatione Busiridis, & Libanij commendatione Therstitæ, quæ in Progymnasmatibus eius exstat.

Et hi quidem viros laudarunt. Sunt & qui feminas celebrent. Vt Isocrates Helenam, ex qua oratione partem eam, quæ de pulchritudine est, Lucianus peculiari imitatur opere. Etiam Dio Chrysostomus Chryseidem ornat oratione illâ, quæ nomine eius inscripta est, & numero nunc est *ΛΧΙ*. olim verò erat *ΧΛΓV*. ut ex Photio constat.

Quod si comparatio sit ineunda, multum juvabunt vitæ Græcorum & Romanorum, quas *περιήλεις* instituit Plutarchus.

Atque ex his vituperandi quoque ratio cognoscitur. Interim &

propria eius exempla si voles, adi isocratis orationem contra Scythias. Etiam Achillem, Heetorem, Philippum, Æschinem, vituperat Libanius in Progymnasmatibus. Philippum Amyntidam, sive Magnum, exagitat Aphthonius. Etiam vituperationē sui, sed εἰρωνικῶς, Iulianus reliquit libro eo, qui εὐσεβείων, ἢ Ἀσθητικῶν, inscribitur.

XXXII. MODVS AD INSTAR PERSONÆ LAVDANDI MYTA ANIMANTIA, TVM VNIVERSE, TVM SINGVLATIVM.

EX ijs, quæ de laudatione & vituperatione personarum fusè adeo hæcenus diximus, haut difficilis est coniectatio de ijs, quæ quasi personæ sunt: uti muta animantia, quæ personarum instar tractari posse, equi exemplo è Marone demonstrabo. Nam Æneæ quidem equum hoc pacto celebrat à natalibus:

* 7. Æn.

---geminosq; * jugales
Semine ab æthereo, spirantes naribus ignem,
Illorum de gente, patri quos dædala Circe
Suppositâ de matre nothos furata creavit.

A corporis dotibus equum laudat Alcanij:

† 5. Æn.

---quem † Thraciæ albis
Portat equus bicolor maculis, vestigia primi
Alba pedis, frontemq; ostentans arduus albam.

A colore quoque, simulque à celeritate, idem ἑσολικῶς extollit equos Turni:

* Æn. 12.

Pilumno † quos ipsa decem dedit Orithya,
Qui candore nives anteirent, cursibus auræ.

At fortitudinem, ac felicitatem, tribuit equo Mezentij, cum ait:

* 10. Æn.

---Hoc * decus illi,
Hoc solamen erat; bellis hoc victor abibat
Omnibus.

Fidelitatem quoque agnoscit in equo Pallantis; ut quem in domini funere morientem inducat:

† 11. Æn.

Post † bellator equus, postis insignibus, Æthon
It lachrymans, guttisq; humectat grandibus ora.

Quamquam in hoc parum cum philosophis consentiat, qui solum animalium hominem flere docent: cuius rei causam, & olim attulere veteres, & è junioribus Maioragius exponit in epistolicis quæst. xviii.

Ex his

Ex his liquet, quo pacto laudari possit Bucephalus, de quo multa aded apud historicos leguntur.

Par propemodum ratio est, si *περισσὸς* † de muto animanti insti-<sup>† Genera-
tim.</sup> tuenda sit tractatio. Tantum hoc discriminis est, quod tum solum locum habent; quæ universè eorum spectant naturam. At cum singularia laudantur, ea imprimis referenda sunt, quæ aut unius sunt individui propria, aut sanè cum paucis communia: parcè verò admiscentur, quæ sunt totius speciei: cuiusmodi peti possunt, ex Aristotele, Plinio, Aliano, atque alijs, qui hanc Spartam exornarunt.

Vt planiora hæc fiant, rationem adferam laudandi apem: quod fit ab ortu, corporis atque animæ dotibus, utilitate: ut vel hinc liqueat, penè eodem modo laudari, quo homines.

Ad ortum pertinet, quod non illas libido progeneret; sed ex melle viviscant. Solæ enim Venerem nesciunt; sed animal laboriosum ex opere suo nascitur.

Deinde spectatur dædala naturæ fabrica, quâ in parvo aded corpusculo membra omnia ita affabrè distinguuntur: item pulchritudo, robur, agilitas.

Hinc juvat considerare simulachra prudentiæ, iustitiæ, temperantiæ, fortitudinis, & aliarum virtutum. Nam Republicam habent, & domos. Tempestates prævident, nec dubiose cælo committunt, neque in diem vivunt; sed victum in hiemè reponunt: nec fas ducunt, delibare aliquid de congesto melle, priusquàm plenis horreis fuerint securæ: pro rege suo totis castris pugnant, & honestam mortem oppetunt.

Adhæc, quia mel suppeditant, & ceram, summa ex ijs utilitas ad homines redundat. Imò non tantum usui nostro inserviunt, sed etiam deliciis.

Vide fufius ista tractantem Quintilianum declamat. XII. quâ pauper diviti intendit litem damni iniuriâ dati, ob apes suas veneno interfectas.

Nec defunt similia apud alios exempla. Muscæ encomium, ut dixi, Lucianus mirâ edolavit venustate. Bovis laudatio est apud Libanium in progymnasmatis: ubi historico eam stylo tractat. Equum paucis laudat Hierocles præfatione secundi Hippiatricôn. E junioribus, elephantis & canis laudem scripsit Lipsius in epistolis: asini Pafferatius præfatione in Asinariam Plautinam, & alij aliorum.

Atque huiusmodi laudatio absolute ab ijs instituitur. Comparatæ laudationis, in hoc genere, exemplum præbet Grylli disputatio apud Plutarchum, quâ ferinam vitam præfert humana.

XXXIII. LAVDARI ETIAM RATIONIS EXPERTIA,
 QVIA NVMINI ALICVI FVERINT SACRATA,
 ET ALIIS ID GENVS ARGVMENTIS.

CÆTERVM, five absoluta, five comparata laudatio fit, ad communia, seu generis totius laudes, etiam refer, quodd mutum animal huic vel illi Deo Deæve consecratum esset: quod ipsum in magna laudis parte a nationibus ponebatur. Ita Iovi sacra erat aquila: Saturno, faurix †: Apollini gryphes, cygnus, corvus, delphinus †: Marti equus, accipiter, picus, vultur: Soli phoenix: Baccho lynx, tigris, pica: Mercurio larus, & boax * piscis: Æsculapio gallus, & draco: Diti capra: Laribus canis.

Par ratio Dearum. Nam Iunoni dicata erant pavo, struthiocamelus, ciconia †: ite agna, quæ propterea ei mactabatur: Cereri grus †: & serpentes alati, ut sine alis Æsculapio: Palladi noctua, & *αἰετός*: Veneri columba, & ardea; item concha, & phaleris † piscis: Lunæ bos: Hecate trigle, & mænis †: Ifidi anser, uti & vitula, eadem causâ, ob quam statua * eius erat *Βουκόρον* †.

Quædam & pluribus Dijs sacrabantur. Ut lupus Apollini, & Marti: gailus Soli, Minervæ, Marti, & Æsculapio: corvus Apollini, & Herculi: draco Minervæ, & Æsculapio: Cybellæ leo, ac Vulcanæ etiam ob vim igneam: nullus * Dianæ, ac Hecaræ.

Nec in his par ratio omnium gentium. Nam Marti apud Romanos equus sacer erat, ut auctor est Festus †, itemq; apud Myfios, ut è Floro cognoscimus. At apud Persas, & Massagetas, dicatus erat Soli: quibus iccirco ab ijs mactabatur: ut à Xenophonte †, Pausania †, Strabone *, & alijs, constat. Similem diversitatem arguit, quodd ex Apollodoro refert Arnobius lib. iv, *Marti canes ab Caribus, ab Scythiis asinos immolari.*

Affine istis, quodd Dij, Typhoëa metuentes, variorum se animalium figuris cælarint. Nam, ut ait Naso lib. v. Met. fab. v.

Delius in corvo, proles Semeleia capro.

Fele soror Phœbi, niveâ Saturnia vaccâ,

Pisces Venus latuit, Cyllenius ibidis alis.

Etiam, quàm animantia dijs sint grata, colligebant ex omnibus, atque auspicijs, quæ ex ijs captabantur. Ac alia quidem felicitis erant omnis universæ; ut lupus à dextra occurrens pleno ore, aut aquila à dextra alis perstrepsens: alia certo hominum generi; quomodo pelica-

* Mar. Vi-
 clor. lib. 1.

† Martial.
 & nummus

xv virum,
 ut ad Ma-

niliū docuit
 Scaliger.

* Athen.
 lib. 7.

† Porphyr.
 lib. 3. *αἰετός*

ἀνοχός.

† Idem imi-
 bi.

* Idem ibi.
 deus.

† Athen.
 lib. 7.

† Idem.

* Idem.

† Herodot.

† Cornuta.

* Athen-
 lib. 7.

† in equus.

* lib. 4. &

† in Cypad.

† in Lacon.

† lib. 1 & 2.

pelicanus fabris omen prosperum. creditus adferre, quoniam Polytechnus, qui in pelicanum conversus fuit, securim acceperat à Vulcano: ut est apud Antonium Liberalem fab. VI.

Dicere quoque liceat, quales fuerint, qui commutati fuere in bestias. Ita celebrari poterit pietas Periphantis, qui in aquilam versus: castitas Chelidonis (invita enim stuprata) quæ mutata in hirundinem. Cuius generis compluria inter alios suggeret idem Liberalis, in Metamorphosi sua.

Oratori tamen nullus talium est usus: Sophistis verò aliquis, Poëtis summus.

XXXIV. FICTAS ETIAM PERSONAS AD MOREM
VERARVM A POETIS TRACTARI.

PORRO sub ijs, quæ quasi personæ sunt, ac quodammodo earum instar tractantur, non solum muta comprehenduntur animantia; verum etiam fictæ personæ: uti apud Maronem fama, & fomnus; invidia apud Ovidium. Sed enim, inquit, hæc *verum* nomine intelliguntur, quod Aristoteli quartum, Tullio autem tertium erat distributionis membrum. Verum levi hastâ hos sternimus. Nam diversi ea sunt ordinis pro diverso tractandi modo. Ad tertium divisionis membrum referri debent, si agatur de ijs secundum id, quod accidentia sunt; vel res inanimatæ. Sin considerentur non secundum naturam suam, sed tanquam personæ: iam alius ordinis erunt. Exemplo rem illustrabo. Atlantis *ατλαντες* τ, quæ apud Plinium exstat lib. v. cap. x. tertij erit ordinis, si sub formâ laudis tractetur. At primi ordinis est ea Atlantis descriptio, quæ apud Maronem est IV. Æn. quo loco ei non modò tribuit latera ardua, & verticem, quæ & monti & homini conveniunt (quamquam *πρῶτος ὄρεος ἔστ' ὑπερῶν* *, uti solet in *ὀρεινύμοις ἀπ' ἀνδρῶν ἔχ' ὄρεος ἐν τ*) verum etiam caput. Aut si hoc quoque dictum videatur, quomodo legimus caput amnis, fontis, vitis, arboris, tigni: at illud planè insolens est, quod humeros quoque tribuit, mentum, ac barbam: quod item senem, appellat: quæ ferri non poterant, nisi eiusdem fuisset nominis rex; ac Poëta utrumque descripsisset in uno. Ita enim ait:

----iamq; volans apicem, & latera ardua cernis

Atlantis divi, cælum qui vertice sulcit:

Atlantis, cinctum assidue cui nabiibus arvis

Pini ferum caput, & vento pulsatur, & imbra:

*Nix humeros infusa tegit : tum flumina mento
 Præcipitant senis , & glacie riget horrida barba.*
 Itidem Orionis sidus, velut personam, elegantissimè descripsit Vir-
 gil. lib. x :

*---quàm magnus Orion ,
 Cùm pedes incedit medijs per maxima Nerei
 Stagna, viam scindens, humero supereminet undas :
 Aut summis referens annosam montibus ornum ,
 Ingrediturq; sèlo , & caput inter nubila condit .*

Interim huiusmodi, *επιφρασεις* five descriptiones veriùs sunt, quàm
 laudationes : nequè tam ad oratores pertinent , quàm poëtas.

**XXXV. QUIBVS EX LOCIS, FACTVM ALIQVOD
 LAVDABILE ESSE, COMPROBETVR.**

IN DEMONSTRATIONE FACTORVM considerandi sunt
 duplices loci ; quorum alij ad probandum, alij ad amplificandum
 conducunt. Probantur facta à legitimo, æquo, utili, difficili, glo-
 rioso : quos ipsos Idcos in genere deliberativo commemoravimus.
 Nempe ijdem utrobiq; sunt loci : quia, quibus quis rationibus antè
 adhortetur ad faciendum, iisdem post laudem factū. Arist lib. 1. Rhet.

* cap. 32.
 sive iuxta
 vulgarem
 distinctionem.
 † Habent
 autem com-
 munenform-
 mam laus
 et consilia.
 Que enim
 consulendo
 præcipies,
 eadem, si
 dictio im-
 moneatur, su-
 nt lauda-
 tiones.

* *ἔχει τὴν κοινὴν εἰς τὸ ἔτακτος, ἢ αἱ συμβουλῆι αἰδῆ ἐν τοῖς συμβουλῆσι ὑποβοῶ
 αὐτῶν ταῦτα μετατιθέντα τῇ λέξει, ἐγκάματα γίνεθαι.* Quamobrem de ijs velle
 multis hoc loco ediffertare, nihil aliud sit, quàm cum facibus mero
 meridiè obambulare in foro. Itaque tantummodo unum alterumq;
 adferam exemplum. Prius esto factum Lycurgi; qui, cum temulen-
 tos aliquot conspexisset nimio mero pugnantes, vineta incidit; ut
 auctor est Plutarchus; atque etiam in veteri legitur epigrammate
 Philippi, quod est lib. 1. *Ἀρδολογ. εἰς ἀμπελον.*

Commendabitur verò hoc factum, partim ab honesto, partim ab
 utili. Nam quid turpius, quàm adulteria, cædes, legum contem-
 tus, seditiones? At ista, & multa alia facinora, vites fructu suo
 caussare solent. Etiam miles, athleta, mercator, philosophus, ju-
 dex, & quivis alius, vino redditur ineptus muneris suo præstando.
 Adhæc vinum corpus debilitat, & mentem reddit dementem. Quæ
 omnia, partim historicorum, partim poëtarum testimonijs, facile
 comprobantur. Vide inter alia, Libanii *περὶ ὑμνασίου*, quod *Ἰδρος*
 † *ἀμπελον* † inscribitur. At vituperandi hoc factum æquè facilis ratio
 erit: ubi locum habeant argumenta, quibus dignitas, atque utilitas
 vini,

† *επιφρα-
 ρασιον*

vini, commonstratur, & usus vini ab eius abusu distinguitur.

Alterum exemplum est Catonis, mortem sibi consciscens, ne in manus veniret Cæsaris. Quod si laudare quis volet, tractanda erit thesis, an ullâ de causâ aliquis se possit occidere. B. quidem Augustinus, & alij, eant defensum, vel excusatû, Samsonis factum, sese ruinâ domus sepelientis. Ac & Christianis quoq; feminæ, ne pudicitiam perderent, precipites se in aquas dederunt: quâ de re adeundus Eusebius Hist. Eccl. lib. VI. cap. XLI †. & lib. VII. cap. XI †. † *iuxta a-*
 item Ambrosius lib. III. de Virginibus. Alia etiam exempla beatorû *cod.*
 tarum martyrum adferunt, quæ in pyram sponte insiluerunt, vel *distinctione*
 bestijs, aquis, gladijs, se objecerint: ut Theclæ, Iulittæ *, atque *cap. 34.*
 aliarum. Sed quia nunc de gentili Catone sermo est nobis: intra *† al. 24.*
 gentiles potiùs me continebo. Empedocles, Cleanthes, Chrysi- ** Wicelius*
 pus, Zeno, Democritus, mortem sibi conscivere: ut etiam testis *in Hagjolo.*
 Lactantius lib. de falsa sapientia cap. XVI. Quibus adde Euphra- *gio. Sed ali-*
 tem Philosophum, quem Hadriani temporibus, hausto veneno, pe- *ter aliq.*
 rijiisse, ex Dione cognoscimus: item Diodorum Epicureum, quem
 gulam sibi præscidisse, scribit Seneca cap. XIX. de virâ beatâ. Quin
 inter Stoica fuit decreta, sapientem sibi, non modò posse aliquan-
 do mortem consciscere, sed etiam debere; uti ostendit Iustus Lip-
 sius lib. III. Manuduct. ad Stoicam philosoph. cap. XXI. Itaque
 nihil mirandum, si factum Catonis à Cicerone (qui tamen ipse eo
 stomacho fuit, ut tyrannum ferret) miris prædicetur laudibus;
 quemadmodum & à plerisque omnibus gentilibus, qui putarunt, vi-
 ri fortis & magnanimi esse, malle sibi afferre manum, quàm videre,
 libertatem pesium deijci, & Remp. pro libidine nefariorum civium,
 improbè vexari.

Attamen non modò illis, qui sub Christi militant vexillo, sed
 quoque *πῆρ ἑθῶν* (ita seculi paganos, Græci appellant Theologi)
 factum hoc maiori iure displiceat. Siquidè viro forti rebus adversis

Increscunt animi; virescit vulnere virtus †.

Atque, ut ait Martialis *,

Rebus in angustiis facile est contemnere vitam: †

Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Solida profectò, non mercenaria fortitudo, cominus gaudet
 fortunæ ire obviam, eique vincula ac compedes injicit: neque
 quidquam magis eius repugnat naturæ, quàm ut vitam quis suam
 interimat, quia nequeat perferre infortunia. Scitè idem Martialis
 lib. II. epist. LXXX.

† *Fortius,*
venus Poë-
ta.
 * *lib. II.*
epigr. 57.

Hic, rogo, non furor est, ne moriari, mori?

Pro hac sententia stare videntur Euripides in Herc. Fur. Aristoteles lib. III. Νῆρμα γέρον, Galenus *οὐτε τῷ ἀποδόντω τῆναι*. Similiaque apud Cæsarem legas, Lucanum, Curtium, Statum, Tacitum. Apud Romanos ipsos, ut ait Festus *, *carnificis loco habebatur, qui se vulnerasset, ut moreretur*. Quid iisdem de illis statuerint, qui laqueo finijissent vitam, superius dictum nobis. Maro † etiam denegatum ijs ad superos reditum ait,

* In epitome Pauli, voce Carnificis.
† G. Æn.

---- *Qui sibi letum*

*Insontes peperere manu, lucemq, perosi
Projecere animas.*

Ac apud Tullium in Somnio Scipionis præclare dicitur, *Pis omnibus retinendus est animus in custodia corporis: nec injussu eius, a quo ille est datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum, assignatum a Deo, defugisse videamur*. Vide & Josephum lib. III. excidij Hierosolymitani, Lactantium lib. de falsa sapientia cap. xv i i i. Augustinum lib. I. de Civit. Dei cap. x i x. xx. & x x i. ac lib. III. de lib. arbit. cap. vii. viii. ix. Mirum hac parte longè a deo à vero Stoicos recessisse. Nec tamen minùs mirandum, ab Epicuro quoque inter dogmata poni †, *τὴν κορὴν ἢ μερόστυλα τὰς ἐψείς μὲν δέξαι ἢ βίῃ: sapientem etiam oculis orbatum mansurum in vitâ*. Nempe, ut ait Iphigenia apud Euripidem:

*Τὸ φῶς τὸδ' ἀνθρώποιον ἥδιστον βλάπτει
Τὰ γέρον δ' ὀδείοι μακρῆλα δ' ὀστροχέλα
Θανεῖν κακῶς ζῆν κρείσσον, ἢ θανεῖν καλῶς.*

Videre lucem hominibus est dulcissimum:

Inferna minimè: desipit, qui optat mori:

Præstatq, vivere male, auam pulchre mori.

Est & alia ratio, ob quam id Catonis factum meritò improbetur: quippe multis partibus id Reip. inutile fuit; quia, etsi Cato libertatem ab hoste defendere non potuit, Resp. tamen qualemcunque poterat fructum capere è viris bonis, qui ita animum firmassent formassentque, ut oneri, in miserijs quibusvis ferendo essent. Illustri pro hac re sententia est apud Tacitum in vita Agricolæ: *Sciant, quibus moris illicita mirari, posse etiam sub multis principibus magnos viros esse: obsequiumq, ac modestiam, si industrii ac vigor adsint, eo laudis excedere, quò plerique per abrupta, sed in nullum rei post usum, ambitiosa morte inclinerunt*. Quibus nihil meliùs veriùsq, dici potuisset, Hactenus de modis probandi.

XXXVI. DE OCTO MODIS AMPLIFICANDI FACTA.

MODI facta amplificandi octo ab Aristotele * traduntur, Pri- * bb. 1.
 mus est, quod quis *solus* gessit. Vt quod Horatius Cocles *Rhetor. cap.*
 solus in ponte pugnârit contra Porſene exercitum. Vel quia quis so- *9. siue iux-*
 lus præmium sit consecutus. Vt quod soli Tullio togato contigerit *ta Barbari,*
 supplicatio, qui honos nonnisi armatis imperatoribus concedebatur. *& aliorum*
distinction-

Alter modus est, quod quis fecerit *primus*: ut quod nemo ante
 Antiphontem orationem conscripserit: aut quod primus in ijs scri- *nem, cap.*
 bendis excelluerit Pericles. *33.*

Tertia ratio est, si quis fecerit *cum paucis*. Quomodo Leonides
 Spartanus, cum trecentis solis, adversus innumerabile Perſarum ex-
 ercitus, ad Thermopylas pugnavit. Nec solum cum paucis fecisse
 dicendus, qui facti socios habuit paucos: sed etiam, qui fecerit,
 quod pauci antea, vel paucos habuerit imitatores. Nempe, rō
est arius, rīmor †, ut ait Plato in Euthydemo. Ac verè magister He- *† quod rō-*
 rennians lib. III. *visitata res facile è memoria elabuntur: insignes &* *rōm, ca-*
novæ manent diutius. Solis exortus, cursus, occasus, nemo miratur, propte- *rum.*
rea quod quotidie sunt: & eclipses mirantur, quia rarò accidunt: & solis
eclipses magis mirantur, quàm luna, quoniam hæ crebriores sunt.

Quartus est modus, quod quis *præcipuè* fecerit. Vt quod Epaminō-
 dæ virtus præcipuè eluxerit bēlio Thebano contra Spartanos, quo
 perijt. Cic. epist. XII. lib. V. *Quem enim nostrum ille moriens apud Man-*
inream Epaminondas non cum quadam miseratione delectat? qui tum deni-
que sibi avelli jubet spiculum, posteaquam ei percunctanti dictum est,
clypeum esse salvum; ut etiam in vulneris dolore æquo animo cum laude
moretetur.

Quinti generis argumentum petitur à tempore, vel occasione,
 quod quis præter expectationem fecerit *tempore maximè oportuno*.
 Quomodo Didonem laudat Æneas primo Æn.

O sola infandos Troie, miserata labores,
Quæ nos velliq̄as Danaum, terræque, marisque,
Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos,
Vrbe, domo socias.

Cicero etiam Philipp. III. Octavium, cui Augusto postea no-
 men, similem in modum laudat: C. inquit, Cæsar adolescens, penè
 potiùs puer, incredibili, ac divinâ quadam mente, atque virtute, tum cum
 maximè furor arderet Antony, cumq; eius à Brundisio crudelis & pestifer
 reditus

reditus timeretur: nec postulantibus, nec cogitantibus, nec opinantibus quidem nobis (quia fieri posse non videbatur) firmissimum exercitum invicti genere veteranorum militum comparavit &c.

Sexta ratio est, quòd quis crebrò egerit: quomodo sæpe Alexander, sæpe Cæsar, hostes superarunt.

Septimus est modus, quòd quispiam virtutis ergò novos sit honores consecutus. Plinius lib. xxxiv. cap. iv. *Athenienses nescio an primi omnium Harmodio, & Aristogitoni, tyrannicidis, publicè posuerint statuas.* De Timotheo etiam, egregio Atheniensium imperatore, sic Corn. Nepos in vita eius, *Cuius laudis ut memoria maneret, Timotheo publicè statuam in foro posuerunt: qui honos huic uni ante hoc tempus contigit, ut cum patri populus statuam posuisset, filio quoque daret.*

Octavus modus est, si quis ita cum alijs conferatur, ut ijs præponatur. Cic. pro lege Manilia: *Qua breviter, qualia sint in Cn. Pompeio, consideremus. Summa enim sunt omnia, Quiritis. Sed ea magis ex aliorum contentione, quàm ipsa per sese, cognosci, atque intelligi possunt.*

XXXVII. DE DEMONSTRATIONE RERVM, AC SPECIATIM DE LAUDE, AVT VITUPERATIONE PLANTARVM: ET IMPRIMIS DE COMMENDATIONE A DEO DEAVE, CUI EAS SACRANT NATIONES.

IN DEMONSTRATIONE RERVM non uniuersum est laudandi ratio: cuius causa est summa rerum diversitas. Sane, quemadmodum supra diximus, huc tanquam unum in penum coniungitur, tum substantiæ omnes, præter animalia; tum etiam accidentia, præter facta. Nunc de utroque hoc genere, quod superest, videamus.

Substantia sensus expers vel est corpus cœleste, vel elementale. Prioris generis sunt Sol, Luna, Hesperus. Qualia partim à præstanti natura laudantur; partim ab effectis. Posterioris generis sunt elementa, & ex elementis composita.

De cœlo, & elementis, ita Emporius: *Facile est elementa laudare; sed absurdum est reprehendere. Nam si cœlum, aut terram, aut ignem, vituperare conamur; ea ipsa, per qua vivimus, non probamus.*

Conflata ex elementis trium sunt generum. Alia naturæ sunt opera, alia artis, alia utriusque. Naturæ, ut nubes, fluvius, aurum, mel. Artis, ut Argo navis, equus durateus, templum Dianæ Ephesæ,

Ephesiæ, volatilis Architæ columba è ligno. Vtriusque, ut regio, horus, balneum.

Longum esset omnium laudationem singillatim recensere, & prope inutile: partim quia non difficile est eam perspicere, si quis locos Dialecticos nôrit: partim quia multa eorum aut nullum apud oratores usum habent, aut perexiguum: quod & Emporius monet. Quare contentus ero de præcipuis dicere: ex quibus de cæteris non operosum erit conjicere. Ordiam à plantis; quippe animatis.

Hæ quomodo laudentur, cognoscitur ex ijs, quæ de personis, & quasi personis, diximus. Quod etiam Trapezuntius docet Rhetoricorum lib. iv. *Hæc omnia, inquit, parum commutata, in alias quoque demonstrationis formas descendunt. Nam qui plantam laudat; tanquam à genere, à quo Deorū res aut producta, aut culta sit, vel cui dedicata, enodabit cum amplificatione; ut oliva Palladi; myrtus Veneri; Libero patri vitis. Educationi verò simile erit, quòd citò crescat, quòd citò fructū ferat. Utilitas deinde, quam ex fructu, vel usu rei, consequimur, rerum gestarum locum obtinebit.* De olea, myrto, vite, idem Plinius prodit lib. xii. cap. i. atque addit, ut similiter dicata sit *Io vi esculus, Herculi populus, Sylvanis & Fawnis, & dearum generi, sylva.* Noti etiam Maronis versiculi in Eclogis:

*Populus Alcide gratissima, vitis Iaccho,
Formose myrtus Veneri, sua laurea Phæbo.*

Ac familia de arboribus in Deorum tutela habet Phædrus, Nero- nis libertus, fab. lvi. etfi Aviano id carmen Perottus tribuat commentario in Martialem: sed perperam, cum Avianus ipse ex quinque Phædri libellis iambico scriptis carmine, se versu elegiacò fabulas suas contexuisse dicat †. Nec vitem solum Baccho dicarunt, sed etiam oporobasilidem, phibaleam ficum, viticem. Vti adiantum Plutoni: Herculi cerrum: gramen Marti: Apollini hyacinthum, laurum, oleastrum, & myricam: portulacam Mercurio: plantanum Genio: allium Iaribus.

Deabus quoque suis in plantis, ac fructibus honos erat. Ut rosa sacra Veneri, uti & mala; sed mala Persica Iunoni, Punica Proserpinæ, cotonea autè non Deæ, sed Deo, puta Herculi. Palma tributa Musis: dictamum Lucinæ: Eumenidibus alnus, cedrus, rhamnus.

Quædam & pluribus sunt dicata. Ut quercus Iovi, Rheæ, Baccho, Cereri: smilax Baccho, & Cereri: vitis Baccho, ut diximus, & Rheæ: pinus Fauno, magnæ matri, Pani; imò & Neptuno †, quia ex ea fierent naves: cupressus Plutoni, & Sylvano: juniperus

† præfat.
ad Theodo-
sim.

† Phædrus
fab. 56.

Apollini, & Eumenidibus : myrtus Cereri, Baccho, Veneri : narcissus Cereri, Plutoni, Proserpinæ, & Eumenidibus : papaver Cereri, Lucinæ, & Laribus : crocus Cereri, & Eumenidibus.

Quemadmodum autem plantis pro parentibus est, quòd huic illive Deo sacræ sint : ita ijs pro actionibus sunt utilitates, quas ex illis percipimus. Ac de his quidem abunde argumentorum suppetet ex Theophrasto, Pedacio Dioscoride, alijs, qui plantarum naturam posteritati transfuserunt. Nonnihil quoque iuvabit Dionysius Halicarnassensis, qui lib. *περὶ κωνυφῶν*. paucis inter alia docet, quomodo laudare possimus quercum, olivam, laurum. Vituperationis verò exemplum si voles, suppeditabit illud Libanius in programmatiss, ubi vituperat vitem.

XXXVIII. DE LAVDATIONE MARIS, FLUVII, FONTIS, PORTVS.

† lib. 3.
cap. 7.

† libro de
velandis
virginibus
cap. 6.

A plantis venio ad inanima : in quibus eadem penè ratio est. Sanè, ut utar Fabij † verbis, *laudantur urbes similiter atque homines. Nam pro parente est conditor, &c.* Atq; idem quodammodo fit in cæteris. Quia tamen inter quodammodo, & verum, satis interest : ut ait Tertullianus † : tum etiam, ne inertiam magis, quàm brevilitatis studio, partem hanc defugisse videamur : visum paucis quoq; perstringere ea, quæ pertinent ad laudationem regionum, civitatum, ædium, hortorum, montium, marium, fluviorum, fontium, similibumq;.

Initium nobis esto ab aquis ; unde rerum omnium originem deducebat Thales Milesius.

Maris alicuius celebrandi rationem ostendit Aristides, qui *Ægæum* mare luculentam oratione extulit. Etiam, ut sinus laudari possit, docet Menander lib. 7. de gen. demonstr. cap. XII. ubi prædicari eum dicit ob magnitudinem, pulchritudinem, & bonos multosq; portus.

Fluvij laudantur ab ortu vel scaturigine, ab amplitudine, à cursu veloci, colore, aqua salubri, piscibus multis ac varijs, fluvij quos recipit, locis, quæ perfluit, navibus, quæ crebrò perambulant. Vide laudationem Mosellæ apud Aufonium.

Vnde etiam liquet ratio extollendi fontis. Interim è junioribus vide sis Scaligerum tertio de re poetica libro cap. cxx. atque ut Acin juxta Solitarii celebret in poematis suis P. Lotichius.

Portus

Portus ut laudentur, dicit Menander lib. I. de genere demonstrativo cap. XII.

Ad laudem etiam aquarum pertinet, quod earum capita Dijs essent sacrata. Vnde Horat *. *Nunc ad aque lenae caput sacrae.* Vbi * ad. 1. *vide. quæ Lambinus anæque pauli nati de Nymphæ congeſſe lib. 1.* Quin in fontibus, & aquarum capitibus, natæ, hæc de causâ, religio erat. Imò in lacubus nonnullis propterea navigare haut licebat: ut cognoscere est ex ijs, quæ notavit Lipsius in xv. annal. Taciti.

XXXIX. DE RATIONE LAUDANDI REGIONEM,
VRBEM, VICVM, DOMVM, COLLEGIVM ACA-
DEMICVM, BALNEVM, HORTVM, PRÆ-
DIVM, MONTEM, PONTEM.

AB aquis in terras tranſeo. Regiones laudamus ab antiquitate, à primis cultoribus, à regibus ac principibus, à fitus amænitate, àeris clementiâ & ſalubritate, à naturâ coeli & ſoli; quod refer fertilitatem, flumina, maria, fontes, montes, ſylvas, metalla, feras, &c. ab urbibus multis & magnis, à genere imperij & legibus, quibus regitur, ab incolarum cultu diuino, à ſtudijs ſublimium diſciplinarum, à virtute bellica, & rebus præclare geſtis, ab humanitate, à ſocijs exteris & principibus fœderatis, à præclaris maximorum virorum de hac regione iudicijs, & cuiuſmodi in poſterum ab ea expectentur: quæ voto noſtro commodè obſignamus. Vide omnino, quæ de ratione laudandæ regionis ſcribit Menander lib. I. de genere demonstrativo cap. x. & lib. II. cap. III. & Scaliger lib. III. de re Poët. cap. cxx. At imprimis adi laudem Siciliæ apud Ciceronem Verrinâ IV. Italiæ apud Virgilium I I. Georg. Plinium lib. V I I I. cap. v. Iſtriæ apud Caſſiodorum Variarum lib. XII. cap. XXI.

Urbes celebramus primo loco à conditore, qui ijs parentis inſtar eſt. Referre etiam hoc licet, quod urbs Deo alicui dicata: ut Argos Iunoni, Athenæ Minervæ, Rhodos Soli, Oncheſtus Neptuno, ut Dio Chryſoſtomus ait oratione, quæ Corinthiaca inferibitur. Vide & in carmine Ithyphallico phalucos de urbibus, quæ in cuiuſq; tutela forent. Item huc refer, quos urbs habuerit legiſſatores: qualis Lycurgus Lacedæmonijs, Solon Athenienſibus, Zaleucus Locrenſibus, Charondas Catanenſibus: teſte Tullio lib. II. de Legg. Secundo

Secundo loco laudantur urbes à tenipore : velut ab antiquitate; quomodo Thebani se gloriantur *αυριπύς* †, Arcades *αεσαλλεύς* †, Athenienſes *αυτόχθονας* *.

Tertio à situ, quòd sint loco salubri, tuto, ameno; tum etiam ab ijs, quæ habent ob naturam regionis: ut sunt agræ fertiles, fluvij piscioli ac navigabiles, montes vitibus confiti.

Quarto à structurâ, quòd pertinent templa, arces, ædificia, mœnia, porticus, pontes, theatra, gymnasia, aquæductus, thermæ, statuaræ, plateæ.

Quinto, ab incolis, qui civitatis velut anima sunt; idque, vel ab eorum frequentia, vel à præstantia; quòd refer. studia, mores, res gestas. Consulè hâc de re Dionysium Halicarnassensem *αὐτὸν Παναγιωτικὸν* †, item *μυθολογικὸν* †: & Menandrum lib. I. de genere Demonstrativo cap. XI. XV. & XVI. item lib. II. cap. III. Adi & Iul. Scaligerum lib. III. de re Poët. cap. CVI. & CXXI. Quæ omnia ut illustriora sint, exempla aliquot dabo.

Et à quo potiùs ordiar, quàm Homero? Is Odyss. Z. * Phæacum urbem laudat,

I. ab altis mœnibus.

II. à gemino portu, qui ab utroque urbis latere erat.

III. ab arcto introitu.

IV. à classe.

V. à foro pulcherrimo.

VI. à templo Neptuni, iuxta quòd forum erat.

VII. ab effectis incolarum, quòd nempe re nauticâ se exercerent.

VIII. à luco Palladis, qui ad urbem erat.

IX. à fonte ex illo luco manante.

X. à prato circa lucum.

XI. à regiâ, & horto proximè urbem fitis.

Illustrius etiam exemplum habemus apud Herodotum lib. I. ubi Babylonem describit.

I. à regione, quæ Assyria est.

II. à situ, quia condita est in planis, ijsque maximis camporum æquoribus.

III. à figura quadrata.

IV. ab ambitu cccc lxxx. stadiorum.

V. à fossis latis, ac profundis.

VI. à muris quinquaginta cubitos regios crassis, ducentos altis.

VII. à centum portis æreis.

VIII. ab

† *spartos*, sive editos è feminatis dentibus

Cadmo invenit, & amelomares, sive natos ante Lunam.

* Ortos in incolis, quos abrigenes.

† de conditâ oratione pamegyrica.

† præceptis, quibus docet, cuiusmodi quis oratione sic compellendus & excipiendus.

* *vers. 263.*
 & seq.

- VIII. ab Euphrate urbem influente, & secante duas in partes.
 IX. ab ædificijs multis, ijsque ternas, aut quaternas con-
 signationes altis.
 X. à vijs publicis, cum rectis, tum transversis.
 XI. à regia prægrandi, & templo Iovis Beli, eiusque orna-
 mentis.
 XII. à regibus Babylonijs, qui & muros ornaverant, & tem-
 pla; eosque inter duæ feminæ, Semiramis, & Nitocris.

Ad alia quoque exempla digitum intendam. Cicero Verrinâ sextâ describit Syracusas: Maro I. Æn. Carthaginem: Dio Chry-
 sostomus orat. xxxv. quæ habita Cælænis Phrygiæ, urbem eam
 magnificè adeo laudat, ut videri possit, quædam joco verius di-
 xisse, quàm seridè: ut cum eam comparat cum Indorum regionibus.
 Idem orat. li. quæ ad Diodorum, laudat urbem, quia illum, à quo
 fuerat laudata, laudibus ornaret. Sed imprimis ad Aristidem, qui
 Athenas celebrat in Panathenaicâ suâ. Extat quoque eiusdem in
 Romam oratio. Idem argumentum tractare si voles, multa suppe-
 ditabunt Iusti Lipsij libri de Magnitudine Romana. Similiter ha-
 bemus orationem Aristidis in Smyrnam. Item Cyzici laudem apud
 eundem in Panegyrica Cyzicena.

Vniuersè autem patriæ laudem scripsit Lucianus. Et sanè quan-
 tam ea vim habeat, argumento est, quòd sapientissimus Vlysses Itha-
 cam illam, in asperrimis saxulis ædificatam, anteposuerit immorta-
 litati †: ut apud Tullium quoque legimus.

Qua ratione institui possit vicorum laudatio, egregiè, ut omnia,
 ostendit Iulius Scaliger lib. xxx. de re poet cap. cv. Si, inquit,
*muris cinctus non sit vicus natalis tuus (nam ex ijs maximis quos viri pro-
 dierit) & sanitatem laudabis, quæ à murorum claustris male sepe afficitur:
 & libertatem celebrabis, quæ non cobibetur, tanquam pecora præsepibus.
 Auræa et æte sic habitasse mortales. Ad eum moan, & vixisse, & regnasse
 Lacedæmonios. Apud Scythas nihil commendari magis, quàm carere
 membris. In fide, audaciâ, robore civium, perperuum esse imperium. In-
 tra murum delitescere, fugæ perquam esse simillimum. Cætera, quæ ad
 vicos commendandos pertinent, sponte se offerent, si perspecta sint,
 quæ de regionum, atque urbium laudatione, superiùs dicebamus.*

Domus vestibulum * Vestæ erat sacrum, culina Laribus, mace-
 ria Iovi Hercæo: sed huiusmodi ad laudem pertinent communem.
 Singulatim verò celebratur domus ab amplitudine, materiâ, formâ,
 atrio, cubiculis, situ, prospectu, puteo, fontibus, horto, atque alijs,
 quæ

† lib. 1. de
 Orat. &
 lib. 2. de
 legg.

* Servis.

quæ vel necessaria, vel commoda sint rei familiari. Vide, quæ de ratione laudandæ arcis scripsit Menander lib. 1. de genere demonstrat. cap. x i v. Exemplum verò unde potius petamus, quàm Ho-

† *uof. 84.* mero iplo? Is Odyss. H † magnificè extollit regiam Alcinoi,

& *deinceps.*

- I. à splendore ædificij interiori, quem cum solari & lunari comparat.
- II. à muris æneis, foribus aureis, postibus argenteis, limine superiori itidem argenteo, inferiori æneo.
- III. à canibus aureis, & argenteis, ad fores positis, quos Vulcanus fecerat.
- IV. à sedilibus interiùs iuxta parietes circumquaque constitutis: quæ Phæacum principes occupabant in convivijs, & publicis conventibus.
- V. à peplis artificiosis.
- VI. ab aris, iuxta quas aurei iuvenes stabant, faces manibus gestantes, in honorem principum Phæacensium.
- VII. à quinquaginta famulis, omnis feminei operis intelligentibus.

VIII. ab horto, qui aulam contingebat.

Vide & Lucianum *ærei ònu*, item regiæ Psyche descriptionem apud Appuleium initio lib. V.

Academicum aliquod collegium laudabimus,

- I. à structuræ magnificentia, atque ornatu.
- II. à prudentissimis legibus, ad promovenda studia, & mores iuventutis formandos, maximè idoneis.
- III. à sufficienti eorum omnium suppeditatione, quæ ad victum, ac vitæ usum, requiruntur.

Ex his colligemus sapientiam, & munificentiam eorum, qui collegium exstruxere: atque, ut ex affectuum doctrina plenius cognoscetur, alumnos ad animum gratum excitabimus.

Balneum extollit Lucianus in Hippia.

Hortos partim laudamus à naturâ, partim ab arte; quarum opera hic amicè conspirant; uti & in regionibus, & urbibus. Naturæ sunt situs, fontes, arbores, herbæ, &c. Ad artem refer figuram, sepimentum, pergulas, ac similia. Columellam de his, Palladium, aliosq; adi. Exemplum verò Homerus præbet Odyss. H. ubi hortum commendat Alcinoi, Phæacum regis,

- I. à situ, quòd fuerit proximus aulæ.
- II. ab ambitu, quòd fuerit quatuor iugerum.

III. à

- III. à septo, quod utrimque erat.
 IV. ab arboribus proceris, quarum aliquas refert.
 V. à fructibus nullà anni parte deficientibus.
 VI. à Zephyro interspirante.
 VII. à vinea, & varijs unius animi vindemijs.
 VIII. à pulvinis, sive areolis.
 IX. à fontibus duobus; quorum unus per omnem hortum dispersus, alter sub aulæ limen ibat.

Prædia, atque agri, à tribus prædicantur: vel quia ea sint certa, atque omni periculo vacua; vel quia sint pulchra; vel quia admodum fructuosa. Vide, ut agrum Laurentinum, villamque eius, celebret Plinius lib. II. epist. xv. quæ ad Gallum. Etiam ad laudem, in his, & similibus, facit prior possessor: quomodo in Sillii villâ commendabatur, quod fuerat ea Ciceronis: in prædio eiusdem, quod Virgilij fuisset. Martialem adi lib. III. epigr. XLIX. & LI.

Mons laudatur à situ; & ab ijs, quæ producit; sive metalla sint, quæ inde effodiuntur; sive plantæ, quæ ibi nascuntur; sive feræ, quæ ibi degunt. Item à fontibus, qui ex eo scaturiunt; ab arcibus ibi exstructis; à rebus memorabilibus, quæ in eo, vel iuxta eum, contigerunt.

Vniuersè autem montium laudem spectat, quod etiam montes divinitatis aliquid habere crederentur. Vt quoddam Cappadocibus mons esset *ἡ θεὸς, ἡ ὄρεα, ἡ ἀγαμέ **, quemadmodum Maximus ** & Deus, & iustitiam, & si mulachri.* Tyrius † scribit: quoddam Dacis mons, cui Cogæono nomen, sacer foret, sacerdos autem in eo Deus haberetur; ut est apud Strabonem lib. VII.

Pontem laudare aliquis volet? Exemplo esto pons iste, xx. pilis ex quadrato lapide constans, quo bellicosus ille Traianus, ubi Daciam alluit Danubius, utramque junxerat ripam: ut præter alios Dio Cassius libro retulit Lxv. ubi & pontem hunc cunctis Traiani operibus præstitisse, iudicabat; ut ex Xiphilini epitome cognoscimus. Et admirandum planè opus fuisse, nemo diffitebitur, qui cogitavit, quantæ fuerit industriæ, exstruere aliquid huiusmodi in rapidissimo Danubij amne. Sanè, Xiphilino eodem teste, pilæ singulæ altæ fuerunt pedes c. latæ pedes lxx. Nec solum difficultas, ac præstantia; sed utilitas quoque, nobile opus commendabat. Nam eò spectavit Traianus, ut, si Danubius frigore consisteret; nec vel navigio iter pateret, vel pedibus; per glaciem infirmam, ponte hoc transire possent Romani.

Sed si reprehendere e pontem eum velis ; negandum , tantis sum-
tibus utilitatem, quam ex eo capere erat, respondisse. Quin potius
ex illo magnum esse creatum periculum. Ac Hadrianum propterea,
qui Traiano successit, rescidisse eum ; non invidia erga Traianum,
ut vulgò est persuasum ; verùm potius ; quia prudentissimus impe-
rator videret, barbaros, huius pontis custodibus interfectis, faci-
lè posse in Mysiam transire.

XL. DE LAUDE SVBSTITIALIVM PARTIVM,
ET COLLECTIVORVM : ITEM ARTIVM, VIRTV-
IVM, ET SIMILIVM ACCIDENTIVM : DEQVE
EXEMPLIS VETERVM, QVI IN HVIVSMO-
DI ARGVMENTO PRÆIVERVNT.

AD substantias etiam refer partes, & collectiva substantia.
Partes laudantur à relatione ad totum, à partibus suis, ab usu
sive fine. Ita manus laudabitur, quòd membrum sit nobilissimi ani-
malis, & tale membrum, quòd artificiosè aded ex tot particulis
conferetur, & cuius tanta sit utilitas per omnem vitam.

Collectivi substantialis prænobile exemplum est mundus. Qui
laudabitur ab auctore, Deo : à partibus tam multis, tam varijs, tam
præstantibus ; quarum ille *σύνολον* † perfectum est : à forma, quæ
est *ἀνταξία* † : à fine, cuius gratiâ factus est : à capacissimâ & per-
fectissimâ figurâ, quæ est rotunda.

† *compages.*
‡ *apta dis-*
positio.

De substantia satis diximus. Nunc videamus de accidentibus,
præterquam de factis : de quibus seorsim supra egimus. Laudari
hinc, & vituperari potest, tum quantitas, ut statura procera : atque
huc etiam tempus refer : tum qualitas, ut animi habitus, pulchri-
tudo, lux, visus, cæcitas : tum relatio, ut pater, rex, conjugium,
amicitia.

Quod ad animi habitus, puta laudationem virtutis, eloquentiæ,
ac similibus : quo pacto hæc extolli queant, colligere est ex ijs, quæ
à Rhetoribus traduntur de demonstratione factorum. Siquidem in
his quoque par ratio est, atque in deliberativo ; quia quâ ratione
ad studium Mathematicum, aut temperantiam, quempiam adhor-
tamur, eadem hæc laudamus ; ut omnino iisdem è locis depromi
debeant argumenta.

Nec operosa admodum laudandi ratio est in cæteris : dummodo
cognoverimus locos Topicos. Præcipuè autem argumenta petun-
tur ab

tur ab honesto, glorioso, utili, iucundo, facili, & difficili. Honestas in ijs, quæ ipsa virtus non sunt, comprobatur bifariam, quia quid virtutis sit causâ, vel effectum eius. Hæc generatim de ijs dixisse suffecerit. Nam perridiculum sit, velle singillatim accuratè persequi, quo pacto res hæc laudari, aut vituperari, queant; quasi nihil præstari queat absque Rhetorum præceptis, contrâ quàm apud Ciceronem * Catulus docet: *Non omnia, inquit, quacunque loquimur, mihi videntur ad artem, & ad præcepta, esse revocanda.* Et aliquanto post: *Nolo, inquit, omnia, que cadunt aliquando in oratorem, quamvis exigua sint, ea sic tractare, quasi nihil possit dici sine præceptis suis.* Et idem inibi: *Non deerit homini diserto in eiusmodi rebus facultas ex cæteris rebus, & causis comparata.* Itaq; non si ab Aristotele, Tullio, alijs, minutia istiusmodi omittantur, imperfectè illos hanc artem tradidisse, censebimus: (quid enim attinet ea commemorare, quæ, ut nemo dicat, nemo nesciat?) verùm ea, quæ operosè à summis dicendi magistris perscribantur, in alios convertemus laudationum modos. Ideo particularibus præceptis non insistam: sed eorum loco, more nostro, digitum intendam ad veterum exempla, qui in tractando eiusmodi argumento feliciter præverunt.

Iustitiæ laudem apud Libanium habes in Progymnasmatibus.

Sapientiæ verò in Progymnasmatibus Aphthonij.

Humanitatis studium, ac liberales disciplinas, luculentis laudibus illustrat Synesius in Dione suo: quam orationem composuit (quemadmodum ipse testatur epist. CLIII.) cum reprehenderetur eo nomine, quia multa de Poëtarum & Oratorum fontibus adspargeret scriptis suis, inque ijs eruditam quandam elegantiam sectaretur.

Eloquentiam laudibus effert Dio Chrysostomus primori oratione XVI I I. quæ *de dicendis*, sive de dicendi exercitio inscribitur: reliquâ verò oratione ostendit, quo pacto, qui jam provectior est, parare sibi possit dicendi facultatem.

Quam adfines sint philosophia, & genuina Rhetorica, docet idem orat. XXI I I. Hoc enim verè argumentum est, quamquam aliud videatur polliceri inscriptio, quæ istiusmodi est, De bello & pace.

Agriculturæ laudationem reperies apud Libanium in Progymnasmatibus.

Pulchritudinis seu formæ encomium habes apud Lucianum in Charidemo: quamquam dialogus is alterius potius est scriptoris, ut jam

ut jam olim Aldus rectè iudicavit. Sanè Ilylus planè alius est, ac Lucianeus.

Pacem evchit laudibus Themistius orat, quæ de Pace inscribitur: qua gratulatur Imperatori Valenti, post pacem initam cum Athanarico.

Studium, atque affectum suum erga auditores, eleganter commendat Lucianus *de Iulio Iudæo*.

Libanius in Progymnasmatibus vituperat opulentiam, inopiam, iram. Quamquam, cum vulgo in divitijs summum bonum collocetur, hoc argumentum propemodum videatur *περὶ δόξης*. Quod si quis illud tractare volet, legatur quoque oratio Dionis, cuius *ἐπιτομή, Euboica, sive Venator*. Hæc enim paupertatis bona exponit. Ac primùm narrat, ut quidam in Eubœa vitam degant pauperem, sed curis vacuam. Hinc ostendit, quantò beator vita illa sit, quàm omnes Urbis deliciae. Vide & orat. LXXIX. quæ de *Divitijs* inscribitur. Ostendit autem, opes molestiam adferre, & insidijs esse obnoxias, eoque longè præstare paupertatem cum iustitia conjunctam.

Similiter, si tractare voles de bono miseriæ, iuvabit idem Dio orat. XXVII. cuius inscriptio, *Expositio eorum, quæ convivium attingunt*, ubi pleraque eorum commemorat, quæ in convivio accidere soleant. Hinc eleganter ostendit, plerosque omnes tum demum animum ad philosophiam convertere, cum vita molestijs abundat.

Podagram commendat Lucianus in *Tragopodagra*.

Calvitij encomium elegantissimè scripsit Synesius.

Exilium quoque laudibus extulit Dio Chrysostomus. Ea oratio non extat: sed ex Photio discimus, tale fuisse eius argumentum. Primùm asseruit exiliū nihil habere molesti. Deinde opes, ac gloriam, & potentiam, à possessoribus suis ad eos, qui ne speraverant quidem, celerrimè defluere. Præterea sapientiæ studio & virtuti operam dare, esse bonæ possessionis genus, quod per totam duret vitam, & vitæ sanctos comitetur.

† *minutia evocari.*

Huiusmodi potius auctores consulat, qui quicquam in quoquæ horum tentare, nec *μικρολογεῖν* † velit, quàm minutas & pueriles nuperorum quorundam scriptorum observationes, si modò observationum nomen merentur, quæ & plebejis quibuscumque ingenijs sese sponte offerunt. Sanè non Ælij modò, ac Persij, ista non curant legere: sed vix pueri, nedam parvulati, ista magnopere requirunt. Et tamen, qui istiusmodi præceptis sufflati ac suffarcinati incedant, omnem

omnem præ se putant delirasse antiquitatem : aut siqui inter eos paulò fuerint modestiores , suo aiunt seculo præcepta dedisse , haut nostro. At neuiquam hæc eos absterreant , qui veræ cupiunt laudi litare. Nam cum sint insita nobis naturâ virtutum vitiorumque femina ; eadem omnibus seculis fuit , atque erit , laudandi , ac vituperandi ratio. Quare nobis quidem haut persuadent : verùm cum damnari , aut contemni , audimus , sapientem antiquitatem , vel eos , qui vestigijs illius sedulo insistant ; isthoc Bionis cogitamus : μή δὲ τὰ τῶν τοῖς πολλοῖς ἀρέσκειν , εἰ μὴ πλεονεχθῆναι γινώσκοντες , ἢ οὐκ ὄντων ὁδόν : non aliquem vulgo placere , nisi placenta fiat , aut vinum Thasum.

CAP. VI.

DE CAUSSA IURIDICIALI, NEC NON DE STATIBUS GENERATIM.

GENERIS Iuridicialis loci pro varietate statuum variant.

Status hoc loco est questio, non quævis, sed tantum, quæ ex primâ accusatoris intentione, & defensoris depulsiōne nascitur. Nam cætera quæstiones dicuntur incidentes, sive κεφάλαια. Inter eas autem princeps est, quæ Græcis κερδομαν, Latinis Indicatio sive Disceptatio dicitur: nasciturque ex defensoris ratione, & accusatoris firmamento.

Status est quadruplex: primus est Coniecturæ; alter Definitionis; tertius Qualitatis; quartus Quantitatis. Coniecturali queritur, an sit; Finitivo, quid sit; status Qualitatis, quale quid sit; Quantitatis statum, quam magnum sit quippiam.

Vnius autem orationis, vel unus est status, vel plures. Si plures fuerint, vel unus generis erunt, ut si sint status coniecturalis: vel generum erunt diversorum, ut si unus sit coniecturalis, alter iuridicialis.

I. ACCEDITUR AD GENVS IURIDICIALIAE, CUIVS FINIS, ET FRÆSTANTIA OSTENDITUR.

GENERIS Iuridicialis FINIS, quemadmodum diximus superius, est ius & æquum; quæ duo coniunxit quoque Attius, versibus istis elegantissimis, quibus cum ijs confert virtutem, h. e. fortitudinem,

Melius est virtute ius: nam sæpe virtutem mali

Nanciscuntur: ius atque æquum se à malis spernit procul.

Diffca

† *lib. 1. e. pist. 1. ad Quintum fratrem.*
 † *Malaspina in locum Cic. antea citatum.*

Differunt autem iustum & æquum, quodd ius omnia strictè exigat; æquitas, quam Cicero † lenitatem in decernendo (nam ita legitur in codd. vet. † non discernendo) Græci autem ἐπιεικείαν vocant, à rigore illo multum remittat, eoque fit lenior iuris interpretatio. Estque ea sententia Donati: ex quâ consequitur, iudices plurimum spectare iustum; arbitros æquum. Idem dicunt, qui co differre autumant, quodd æquitas sit ex naturâ, iustitia ex legibus; quomodo ea distinguit vetus Horatij commentator. Rævardus tamen hanc differentiam diluere conatur ad x c. Reg. Juris. De vero, quod diximus, discrimine consule & Budæum initio Annotat. in Pandectas.

Ex fine, quem statuimus, non obscurè liquet, quanta sit præstantia generis iuridicialis. Nam, ut Agefilaus dicebat, nulla est utilitas fortitudinis, nisi addit iustitia: nec si omnes evaderent iusti, fortitudine opus foret. Iustitiæ etiam causâ reges olim sunt constituti. Quod clarè Hesiodus * docet:

* in Theogonia.

Τῆρονα δὲ βασιλῆος ἐχέρορες, ἔρεκεν αἰδώς
 Βλαπτομένους ἀρορήφι ματῆρονα ἔρα τελευῶσι.
 Nam sunt propterea reges, ut dicere læso
 Ius populo possint, iniustitiâq; mederi.

Itaque scitè olim muliercula, quæ cum ab Hadriano Cæsare peteret, ut ius diceret, atque ille sibi ad hoc esse otium negaret, continud subiecit, *Noli igitur imperare.* Auctor Xiphilinus †.

† in Adriano.

Nec iudices solùm, qui in Scripturis Dij dicuntur, ad jus & æquum, velut ad Cynosuram, dirigere iudiciorum cursum debent: sed etiam caussarum patroni: quales si sint, non minus provident humano generi, quam si præliis, atque vulneribus, patriam, parentesque, salvarent: ut statuunt Leo & Anthemius imperatores lib. 11. Cod. † & exinde, iisdem pene verbis, Petrus Damiani fermone de Refur-
 rect. Domini.

lib. 2. tit. 7. de advocat. divers. iudic. § 4.

II. DE TEMPORE PROPRIO GENERIS IURIDICIALIIS; DEQUE PARTIBUS EIVSDEM GENERIS.

TEMPUS, circa quod hoc genus versatur, præteritum esse, supra diximus. Interdum quidem videtur accusatio quoq; institui de futuro; quomodo Catilina alijs; accusati sunt, quodd prodituri fuerint patriâ, nisi coniuratio fuisset patefacta: verumtamen cum tota probatio ex præteritis fiat, de præteritis quoq; erit disceptatio. Adde quodd tales non ob factum damnentur, cum id necdum patrarint;

trarint; sed ob patrandi voluntatem, quam habuerunt. Iuvenalis
sat. XIII:

Has patitur pœnas peccandi sola voluntas.

Nam scelus intra se tacitum qui cogitat illum,

Facti crimen habet.

PARTES huius generis sunt κατηγορία ἢ δαλογία, accusatio, & de-
fensio. Illa est τὸ δίκον/⊖ sive actōris: hæc τὸ φθρον/⊖ sive rei. Ac
orator quidem defensionem scribebat: sed ipse orationem edisce-
bat, ac habebat reus: ut auctor est Fabius. Vnde est, quod Lysias
etiam pro Socrate orationem composuit: sed hic uti eā noluit,
quia sibi parum conveniret: ut legere est apud Cic. 1. de Orat.
Valer. lib. VI. cap. IV. Fab. lib. II. cap. XVI. quod est de Rhetori-
ces definitione ac sine, & lib. XI. cap. I. item Plutarchum in Lysia.

Cum autem dico, partes huius generis esse accusationem, & de-
fensionem, sub accusatione etiam complector querimoniam: et si
ea pressius accepta longè aliud signet. Nam, ut apud Thucydi-
dem lib. I. legati Corinthiorum Lacedæmone dicunt, ἀτία φίλων ἀν-
δρῶν ἔστιν ἐμπαλαίνετον κατηγορία ἢ ἐχθρῶν ἀδικούντων: querimonia est
amicorum de amicis, quando delinquant: accusatio est de hostibus iniuriâ
afficientibus.

III. QUIBVS LOCIS APVD ROMANOS, ET ATRE- NIENSES, HABITÆ SINT ORATIONES GE- NERIS IUDICIALIS.

ACCUSATIO omnis, & defensio, apud Romanos institueba-
tur in triplici foro: unde Seneca lib. II. de Ira cap. IX:
Adjice nunc publica perjuria gentium, circumscriptiōnes, fraudes, infi-
ciationes, quibus trina non sufficiunt fora. Et Statius Silv. lib. IV. syl. IX.

Nec saltem tua dicta continentem,

Quæ vino juvenis foro tonabas.

Item Martialis lib. III. epigr. XXXVIIII.

Causas, inquis, agam Cicerone disertius ipso:

Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

Ac similiter triplicis fori meminit lib. VIII. epigr. XLIV. & an-
te omnes Ovidius lib. III. Trist. El. XI I. Ex his primum fuit
forum Romanum, quod Ovidio †, & Statio †, Latium; Herodia-
no * vetus: alterum Iulij, quod Palladium † dictum, cum Domi-
tianus illud instaurasset: tertium Augusti, quod Plinius † inter

† A. Fast.
† Silv. de
equo Demi-
tiani-
* in M.
Antonino.
† Martial.
lib. I. epigr. 2.
† lib. 36.
cap. 15.

Vrbis miracula recenset. His quartum post accessit Nervæ, quod Transitorium † dicebatur. Vnde in Nervæ honorem scriptum videtur Martialis in Ianum epigramma lib. x *. Additum denique Traiani † forum, sive Vlpium *. De hisce omnibus vide Alexandrum ab Alexandro genialium dierum lib. 11. cap. xii. Franciscum Polletum in historia Fori Romani lib. 1. cap. 111. adhæc Marlianum, Onuphrium Panuinium, Bernardum Gamaccum, Fabricium, alios, qui de urbe Roma scripserunt, imprimis Iustum Lipsium lib. 111. de magnitudine Romana cap. vii.

† Lampri-
dus in Se-
vero.
* epigr. 28.
† Saldonius
carm. 9. in
Falicorum
consulens.
* Capitolii-
ni: in Mar-
so.

† de cade,
vulnere vo-
luntario, in-
cendio, &
veneno. 110
quis dato
hominē oc-
cidisset.
* de cade
non volun-
taria.

Varia item Athenis fora fuere, quæ illi dixere *δικαστήρια*. Princi-
pem locum tenuit Areopagus, ubi iudicia fiebant *φόρου †, & τεγύμα-*
τῶ ἐν ἀγοραίῳ, & πυρκαιῶν, & φαρμάκων, ἐξ ὧν πρὸς ἑκατόν τρεῖς: quemad-
modum iisdem verbis referunt Demosthenes orat. in Aristocratem,
& Iul. Pollux lib. viii. cap. x. imò & Lucianus in Anacharfide,
nisi quidd de veneficio hic taceat. Alterum forum fuit Palladium,
quod erat *ὑπὸ ἀκροῖων φόρου **. Erat & Delphinium, ubi causfa dis-
ceptabatur, siquis se occidisse fateretur; sed iure diceret occidisse.
Auctor de utroque Helladius in eclogis Photij. In Prytæneo actum,
si ferro, lapide, ligno, vel aliâ re inanimâ, aliquem sublatum con-
staret; sed auctor nesciretur: ut inter alios Hefychius testatur. In
Phreattio (*τῶ ἐν φρεατῶν, sive φρεατῆς, vel potius φρεατῆς*) agebatur
causfa, siquis, reus cædis involuntariæ, præterea eædem commississet
voluntariam. In Heliæa conveniebat Senatus Quingentorum: sed,
si necesse foret, duplicari is iudicum numerus, quandoque etiam
triplicari solet. *Παράλυτον* erat tribunal iudicum xi, cui nomen ab
loci obscuritate. Ac de minimis in eo causfa agebatur, atque id
clam. Erat autem duplex, maius, & minus. Fuit & quod *τέγωνον*
à forma vocaretur. Item forum ad Lycum, *τὸ ἐπὶ Λύκῳ, sive Λύκειον*,
quod perperam *Ἐπὶ λυκείῳ* in Hefychij glossis dicitur. Item aliud *τὸ*
Μυλῆχῳ, sive Μυπηχῶν. His à Polluce additur *Ἀρδνητῶ*, pro quo
Etymologus *Ἀρδνητῶ* habet. Sed alij produnt, in eo non iudicium
exerceri, sed iuramentum concipi solere. Minus verò celebria fue-
re quatuor illa tribunalia, *Βατρυχῶν, Φορικῶν, Ὠδῆων & Θησιῶν*. Item
quatuor loca, ubi novemviri iudicium ferebant: archon ad Epo-
nymos, rex sacrorum ad Bucoleum, Polemarchus in Lyceo, The-
smothetæ in Thesmothefio. Ad Areopagum siquis vocaretur, dice-
batur id *ἀποκρίσις*: καὶ σὺν αὐτῷ, si ad aliud è memoratis tribunalibus;
ut auctor est Ammonius Grammaticus †, nisi is potius est Hereni-
nius Philo, ut alij arbitrantur. Plura de tribunalibus istis si voles,
adi

† in κλη-
σις.

adi Pausaniam, Pollucem, Harpocratonem, & Suidam: è junioribus autem, Postellum libro de magistratibus Atheniensium, Sigonium lib. III. de Rep. Atheniensium, ac ea imprimis, quæ Areopagi sui capite ultimo observavit clarissimus amicus noster, Ioannes Meursius, qui & in hoc, & in alijs ad Græcicam antiquitatem pertinentibus, priorum operam jubare suo offuscavit: ut non temere quicquam eius argumenti, vel utilius quærat, vel felicius inveniatur, quàm in summi huius viri monumentis.

IV. DE PRINCIPALI STATU GENERIS IURIDICALIS: ET CUR EA HIC, ET ALIBI, ARISTOTELES DOCEAT, QUÆ SATIVS ERAT ORATOREM OMITTERE.

LOCI huius generis varij sunt; neque ullus generalis status assignari potest. Nam in coniecturali statu non quæritur, æquid iure factum: quemadmodum nec in finitivo, aut negotiali. Interim verum est, iustum & iniustum esse statum principalem. Verùm repugnare sibi hæc in re Aristoteles videtur. Nam hoc quidem loco ait, in iuridicali genere ostendi, aliquid esse iustum, aut iniustum: at idem in proœmio Rhetoricorum, quo loco de Rhetoricæ essentia agit, negat Oratoris esse ostendere, æquid iustum sit, aut iniustum. Verba eius adponam: ἐπὶ τῷ φανερόν, ὅτι τὸ μὲν ἀμφοτέρωθεν εἶδος ἐστὶν ἐξ αὐτοῦ τὸ εἶναι τὸ ἀδίκον, ἢ ἐπὶ τῷ ἴσῳ, ἢ ἐκ τῆς γένεως, ἢ ἐκ τῆς φύσεως. εἰ τὸ μέγα ἢ μικρόν, ἢ δίκαιον, ἢ ἀδίκον, ὅσα μὴ ὁ νομοθέτης διώκεται, αὐτὸν δὲ τὸ δικαῖον δεῖ μισῶσθαι, καὶ ἐναντιοῦσθαι ἀμφοτέρωθεν. Hoc est: Præterea manifestum est, eius, qui controversatur, nihil esse, nisi ut ostendat, rem esse, vel non esse; factam esse, aut non esse. At verò utrum, magna an parva, iusta an iniusta sit, ac quacunque legislator non desinit, ea docet ipsum iudicem per se intelligere, non autem discere ab ijs, qui inter se controversiam habent.

Existimabat Felix Accorombonius, commodè hæc loca conciliari, si dicamus, Aristotelem non negare, oratori incumbere, ut ostendat, aliquid iustum esse, aut iniustum; sed quòd quippiam (ut verbis eius utar) sit magnum iustum, vel parvum: verba enim Aristotelis accipienda esse, non coniunctim, sed divisim. Verùm si hæc satis valida forent, iam non esset status quantitatis, quo monstretur, quæ sint maiores, quæ minores iniuriæ; ut suo loco ostensuri sumus. Quamobrem potiùs dicendum arbitror, Aristotelem

in procemio non docere, quid in Rhetoricis sit traditurus; sed cuiusmodi futura sint, si civitates omnes bene essent constitutæ. Certè Aristotelles quoque; de procemio, epilogo, & imprimis affectibus, ubertim tractat, etiam iuberentur in Areopago dicere *ἄνδ' προσμικτοῖς*, &

† sine procemio, & epilogo, & affectibus.

* lib. 2.
cap. 16. lib.
6. cap. 2.
lib. 10. cap.
1.

viii. cap. x. Lucianus de Gymnasiis, Themistius Orat. xvi. atque à Latinis, Fabius non uno loco *, & Appuleius lib. x. Nempe non illud Aristoteli propositum fuit, ea solum in Rhetoricis tradere, quæ in Areopago, aut optima Reip. forma, locum habent; sed quæcunque ad persuadendum conferunt. Atque hoc est, quod Tacitus quoque ait, vel quisquis auctor est dialogi de Oratoribus, *Ne Epicuri quidem, & Metrodori, honestas quasdam exclamations assumere, hisque, prout res poscit, uti, alienum erit oratori. Neque enim sapientem, infirmatum, neque Stoicorum civitatem.*

V. STATUS QUID SIT, ALIÆQUE EIVS APPELLATIONES, ET VNDE STATUS VOX ARCESSITA SIT IN RHETORVM SCHOLAS.

LOcus iusti & iniusti, quemadmodum & alij huius generis loci, variè ab oratore tractantur, pro varietate statuum.

STATUS in genere Iuridicali est, quod exprimà accusatoris intentione, & rei depulsione, nascitur. Dico in genere Iuridicali; quia aut fallor, aut falluntur illi, qui hanc definitionem existimant cuilibet statui competere. Ratio, quæ me movet, hæc est, quòd accusatio, & defensio, tantùm convenienti generi Iuridicali: at status in quovis genere dicendi locum habeat, ut infra ostensurum sumus. Vera igitur, & reciproca erit definitio, si dicatur, statum esse, quod ex primà causarum profectio... provenit: ut Fabius describit lib. 1. cap. v. Ciceroni primo de Inventione definitur *prima causarum conflictio ex depulsione intentionis profecta*. Sed si nascitur ex prima conflictione, prima conflictio dici nequit. Græcè vocatur *ζήτημα* & *κεφάλαιον γενικάταλον*: quemadmodum quæstiones, quæ instituuntur ad fulciendam primariam quæstionem, *κεφάλαια ειδικά*, & simpliciter *κεφάλαια* appellantur. Sed & *ζήτημα* Græci aliter *τάσον* vocant; quomodo hæc voce utitur *Æschines* contra *Demosthenem*, ubi iudicem monet, ne se patiatu à causæ statu deduci.

Quidam hanc vocem dictam volunt *ἀπὸ τῆ σασιζεν*, quod est discrepare,

crèpare, quia ibi velut nitibundi incipient confictari, &, ut cum Appuleio loquar, verbigerare. Sed non præter folitum ineptiunt, cum clarum fit *σανάξεν* esse à *σάος*. Sumta autem vox est à gladiatoribus ac pugilibus; quia ibi orator velut ad dimicandam *ἵσταται*. Æschines contra Ctesiphontem, *Ὁ γὰρ τὸς ἀνύλας ἀπὸ τῆς σάως οὐκ ἔστι* † *confictis*. ἀλλ' ἄλλος ἀγὼνιζοῦντος. h. e. Cernite pugiles de statione ac loco inter sese contendentes. B. Gregor. *Καὶ μοι οὐρεσμέναι δοῦναι πύκτην, καὶ κατὰ τὴν τέχνην, καὶ πρὸς τὴν σάωσιν ἐδέξασθε βαλλομένω* &c. quæ Budæus ita transtulit: *Mibiq, assimilis esse videtur pugilis artis ignaro, qui priusquam statum stabilito pede composuit, pugnos in adversarium intendit, quasi adversarii petitiones excepturus.*

Eâdem autem ratione Latinis quoque status ac constitutio vocatur; nempe vel à sistendo (neque enim rectè negat Priscianus *sisto* carere supino, quod abundè probavit Valla l. i. adversus Barth. Facium) vel à stando, quia ibi utraque pars stet, pedemq; figat ad resistendum : unde Plautus in Milite Glorioso * :

---- In statu stat senex,

Vt adoriatur mæchum, qui formâ est feroc.

Petronius: *Alius furcâ de carnario rapta, statum præliantis componit.*

A præliis verò, ac re gladiatoria, eleganter vox ista ad animum, aliaq; transfert r; ut cum dicitur dimovere, aut deturbare de statu, quod alio modo dicunt sede suâ sollicitare, aut loco labefacere. D. Laberius apud Macrobius lib. i i. cap. v i i. Saturnal.

Quem nulla ambitio, nulla unquam largitio,

Nullus timor, vis nulla, nulla autoritas,

Movere potuit in inventâ de statu;

Ecce in senectâ ut facillè labefecit loco,

Viri excellentis monte clemente edita,

Summissa, placida, blandiloquens oratio.

Quemadmodum autem Græcis quoque vocatur *Σύμψυσις* *ὑποστήριξις*, ut supra dicebamus: ita & à Latinis dicitur *summa* *questio*: ut vel Iuvenalis ille locus ostendit lib. i i i. sat. i.

Quis color, & quod sit causse genus, atque ubi summa

Questio: que veniant diversâ parte sagitta,

Nosse volunt.

Sic enim locus is legendus. Etiam *constitutio* nominatur: unde Arnobius lib. i i: *Quia, que sunt in litibus constitutiones, quot caussum genera, quot dictionum &c.*

* *At. 4.*
Sc. Neme
moneatis.

VI. VT STATUS DIFFERAT AB ALIIS QUÆSTIONIBVS: VNDE NASCATVR KPINOMENON: ET AN VERE ILLVD A CICERONE IN MILONIANA PONATVR.

VT verò omnis hæc doctrina meliùs intelligatur; declarandum, quomodo status ab alijs orationis quæstionibus differat. Diximus antea, nasci statum ex intentione accusatoris, quæ Græcis est *προβολή*, & depulsione defensoris, quæ iisdem est *ἀντιπροβολή*. Ita intentio est; Tu Orestes occidisti matrem tuam Clytemnestram; Tu Horati necasti sororem tuam; Tu Rabiri sustulisti Saturninū; Tu Milo interfecisti Clodium. Depulsio hic uniusmodi; Occidi, sed iure. Orestes certè, ut iustam fuisse cædem ostenderet, Soli gladium ostendit apud Euripidem: quod ex more eorum, qui iure aliquem interemerant, ab Oreste factum esse, annotat etiam Scholiastes. Est igitur in hisce omnibus status, iurène hi interfecti sint. Cæteræ quæstiones, quas *κεφάλαια εἰδικὰ* †, & *ἀπλῶς κεφάλαια* ‡ vocari diximus; à Latinis appellantur incidentes, & à quibusdam controversiæ.

† *capitum specialia.*
‡ *simpliciter capita.*

Inter has autem familiam ducit, quæ Græcè nominatur *κενόμενος*: Ciceroni *ἀεφροσυκός* vocatur, quod in iudicium venit: aut quæ de re agitur: alijs disceptatio sive iudicatio nuncupatur. Ea tamen locum non habet in statu coniecturali: quia ubi factum negatur, ibi non adfertur ratio à defensore, propter quam factam sit. Resultat autem *κενόμενος*, & quasi efflorescit, ex primariâ defensoris ratione, quam *ἀίτιον* appellant, & accusatoris firmamento, quod vulgo *ἀνέχον* sive continens vocatur. Verùm Fabio adsentio, cui * meritò displicet hæc adfectata subtilitas circa nomina rerum ambitiosè laborans, rationemque docendi in minutas particulas concidens. Eidemque subscribo in eo, quod ait, illos hanc rem explicasse *verius & brevius, qui statum, & continens, & indicationem, idem esse voluerunt: continens autem id esse, quo sublato lis esse non possit.* Nihilominus, ne in Græcorum Rhetorum lectione nos vocabula hæc morentur: visum quoque ea hoc loco exemplis iisdem illustrare, quibus antea usi sumus. *Αἴτιον* Orestis fuit. Rectè eam occidi, quæ priùs patrem interfecit meum. Nam id ab eâ factum constat, sive quidem illum interemerit in balneo, ut Lycophron, Æschylus, & Seneca † scribant: sive inter pocula, quæ Homeri, Dionis, Æliani, Hygini, & Iuvenalis

* lib. 3.
cap. 11.

† in Agamemnone
act. 5.

nalis * est sententia. *At* Horatij fuit, Iure eam interemi, quæ ne-
 gligebat fratrum cædem, mœrebat hostem interemtum, fratris &
 populi victoriam molestè ferebat. Quod ipsum sine dubio *ait* fuit
 Critolai Tegeatæ, Rheximachi F. qui apud Græcos contra terge-
 minos Pheneatas eâdem & condicione, & fortunâ, pugnavit, quâ
 apud Romanos Horatius. Nam is quoque Demodicam sororem
 interemit, quod sponsum occisum lugeret. Autor Demaratus in
 Arcadicis †, Rabirij *ait* est, Iure occidi Saturninû, civem seditio-
 sum. Milonis *ait* est, Iure occidi Clodium, quia fuit infidiator.
 Firmamentum sive ratio ab adversarijs Orestis opposita erat, quod
 haut fas sit filio matrem interficere. Ratio opposita Horatio, quod
 nefas sit interficere sororem. Ratio opposita Rabirio, & Miloni erat,
 quod non liceat cuiquâ tollere civem indemnatum. *Κενόμυρος* est, an
 possit filius occidere matrem, quæ maritû prior sustulerit? aut frater
 possit interimere sororè, quæ, neglectâ fratrum cæde, doleret hostè
 occisum, fratremq; & pop. Rom. vicisse ægre ferret? aut quisquam
 possit interficere civem indemnatum, si sit seditiosus, aut infidiator?

Quamquam quod ad causam Milonis attinet, non ignorandum
 est, *ait* illud, quod Tullius eius mantelum fore sperabat, totum in-
 tegrum commentitium fuisse, omniaque ab eo solum afferri, ut
 mendacio constaret fides; ac proinde, si veritatem causæ spectes,
 haut verè quoque à nobis assignatum fuisse *κενόμυρος*. Equidem M.
 Brutus † oratione eâ, quam pro Milone composuit, & edidit, non † *Fab. lib.*
 autem habuit (quod falsò aliqui existimarunt, ut autor est Fabius †) 3. *cap. 2.*
 ita crimen defendere maluit, quod utile fuerit Republicæ Clo-
 dium interfici. Sed Ciceroni in pectore incerti certabant animi:
 isthæc tamen forma ei minùs placuit, quia non quisquis bono publi-
 co interimi possit, occidi ab aliquo debeat indemnatus. Ideo, cum
 adversarij in accusatione suâ posuissent, Clodio à Milone factas in-
 fidias; maluit adversus hanc adversari sententiam, & è contrario
 ostendere, non Milonem Clodio; sed Clodium Miloni infidias stru-
 xisse; cum tamen res longè se aliter habuerit. Nam, ut autor est
 Alconius, cum ij forte fortunâ occurrissent, è rixâ servorum ad
 pugnam deventum est: in eâ cum vulnus accepisset Clodius, in ta-
 bernam delatus est. Milo autem expugnari hanc iussit, Clodiumq;
 extrahi, & interimi; quia, eo vivo, periculosam sibi vitam iudica-
 bat; at mortuo, licet solum vertere iuberetur, tamen multum esset
 solatij habiturus. Itidem falsa esse pleraque, quæ Tullius de virtu-
 te jactat Milonis; fidem facit, quod debuerit Hs septingentis
 aris

† *Apud Plu-
 tarchum in
 Parallelorû
 libello.*

† *Fab. lib.
 3. cap. 2.
 † Fab. lib.
 10. cap. 8.*

æris alieni. Sanè hoc inter prodigia animi humani Plinius ducit l. b. xxxvi. cap. xv. Atque hæc universè dicta sunt. Nunc species statuum videamus.

VII. QVOTVPLEX CICERONI, ET FABIO, SIT
STATVS: NEC EVM IN IVRIDICIALI SOLVM
GENERE INVENIRI; SED ETIAM
DELIBERATIVO.

STATVS Ciceroni est triplex. Nam si quæritur an sit, Coniectura est; si quid sit, Finis seu Definitio; si quale sit, Consecutio. Græcè est *εἰς τὸν σκοπὸν, ὅπως, ἢ ποῖον*. Afferam de his statibus *εὐχὴν* Iulij Severiani; *Status*, inquit, tres sunt. Vbi, quod antè factum, obicitur, negas, Coniectura est; ubi quid antè factum fateris, & negas eam vim nominis habere, quam adversarius criminatur, Finis est. At si neque de facto, neque de nomine ambigitur, sed si iure factum contendis, Qualitas nominatur. Nam ita cum locum lego, & interpungo, quem in Fruterianâ & Pythœanâ editione prava perperaque (ut cum Accio loquar) distinctio pervertit conturbavitque.

Ciceronis partitionem alij etiam secuti sunt Rhetores. Ac Marius quidem Victorinus non incitâ eam similitudine comprobare nititur: qua ipsa etiam utitur Thomas Corràus †. Nobis longè potior est sententia Aristotelis. Nam fallitur Roberteius, qui, cum non satis animadvertisset ab Aristotele controversias nominari, quas alij status vocant: non dubitavit scribere*, cum omnes subiecerint statibus causas, apud Aristotelem de ijs ne verbum quidem legi.

Est autem iuxta Aristotelem auctior statuum numerus. Nam lib. III. cap. xxviii. † de contentione agens, quadruplicem facit controversiam: *ἢ περὶ τῶν, ἢ ἀπορρήτων, ἢ ἐν ἡμέτεροις, ἢ ἐν ἑτεροῖς*; inquit, ἢ ἀπορρήτων, ἢ ἐν ἡμέτεροις, ἢ ἐν ἑτεροῖς: de quatuor rebus est controversia: quod quid non fecerit, aut quod non nocuerit eo, aut quod non tantopere nocuerit, aut quod egerit iustè. Et paullo pōst; *ἢ ἐν τοῖς ἀμειψομένοις, ἢ ὅς ἐστιν ἀμειψομένοις ἢ τῶν, ἢ ὅς ἐστιν ἢ ἀλλοῖς, ἀλλ' ἢ δικαιοῦς, ἢ ἐκ ἀφελείας, ἢ ἐκ πλημῆρας*: in deliberationibus, aut non futura esse, contenderit aliquis; aut futura quidem, que censet, at non esse iustis; aut non utilia; aut non tanta. Utrobique liquidò videntur, statum poni magnitudinis. Itaque quadruplex est controversia. Prima est coniecturalis, quâ quæritur, ecquid factum sit, fiat, aut futurum sit. Ita enim, quando generatim loquimur, definire malim, quàm, uti

† lib. 3.
cap. 14.

* lib. de ar-
tificio di-
cendi.

‡ cap. 17.
iuxta vulg.
diti.

quidam, quòd eà quærat, an sit. Quippe, ut in iuridicali statu quæritur, an Titius occiderit Sempronium; ita in alijs statibus est controversia, an quid sacrilegium dici debeat, an iniustum, an tanta sit iniuria. Altera controversia est finitiva, quâ de nomine facti disceptatio est. Tertia est qualitatis, quâ quæritur, ecquid sit honestum, aut utile, aut iustum, vel contrâ. Quarta est quantitatis, ubi controversia est de magnitudine: ut, ecquid tantopere obfuerit; aut, tantane sit iniuria.

Aliquibus tamen partitio hæc ita videbitur insolens, ut Aristophanicū illud sint dicturi, *ἡμᾶς δ' ἔπεισας, ἔδ' αὖ πείσας* *. Sed quid graculo cum fidibus? Ita & vulgaria opinio est, statum tantum habere locum in genere iuridicali; quæ tamen sententia est absõna, & inconcinna. Nam omnino, tum in deliberativo, tum in demonstrativo quoque locum habet. De deliberativo res plana est. Hermogeni enim status qualitatis est duplex. Siquidem vel de re futurâ disceptationem continet, qui dicitur *πραγματικός* sive negotialis; atque hic generis deliberativi proprius est: vel agit de re præteritâ, qui *δικαιολογία* vocatur, sive iurisdictionis; atque is proprius est generis iuridicalis. *Περγαλικὸν* exemplum est apud Demosthenem, an consultum sit suppetias ferre Olynthijs: apud Ciceronem, an Pompeius sit præficiendus bello Mithridatico.

Neque negotialis solum status in deliberativo locum habet, verum & coniecturalis. Nec enim, quod multi existimant, tum tantum coniecturalis status est, cum quæritur, an sit factum: verum etiam, ut paulò antè dixi, cum quæstio est, an aliquid fiat, aut futurum sit: ut si controversia sit, an hostes cogitent de rumpendo fœdere; aut, an nobis illaturi sint bellum: quorum utrumque comprobamus à voluntate, facultate, ac signis; ut omnino liqueat, eodem hæc modo tractari, quo facta.

VIII. STATVM ETIAM HABERE LOCVM IN GENERE DEMONSTRATIVO, ILLUSTRIBVS COMPROBATVR EXEMPLIS.

NEC magis ratio sit, cur aliquis ambigat, an status sit in genere demonstrativo. Nam in laudationibus negari potest, aliquid ab aliquo factum esse, quod coniecturæ est; vel eo nomine factum esse appellandum, quod definitionis est; vel bene factum esse, quod est qualitatis; vel tam illustre esse, quod quantitatis est.

Q

quanti-

* non persuaseris nobis, etiam cum persuaseris.

† *Plutarchus in Alexandro, & ex eo Photius in myriobiblo cap. 245.*
 † *Plutarchus lib. de fortuna Alexandri: Seneca epist. 83. Plinius lib. 14. cap. 5. Solinus cap. 15.*
 * *Plinius lib. 3. Var. Hist. cap. 23.*

quantitatis fuerit, si unus extollat castimoniam Alexandri Magni, quia illibatas, & intactas remisit filias Darij: nec ante nuptias attingerit mulierem †, Barfinâ exceptâ, quæ vidua fuit: alius autem diminuat Alexandri honorem, quod (ut Theophrastum memoriæ prodidisse, autores sunt Athenæus, & Plutarchus) ideo parum mulierosus fuerit Alexander, quia vinosus erat: quam rem cum plurimi confirmant scriptores †, tum illud arguit, quod & ephemerides habuerit *, in quibus adnotati fuere dies, per quos crapulam edormiebat. Hanc Theophrasti sententiam non leviter fulcit, quod & hodie videmus, eas gentes, quæ ebrietati deditæ, minùs insanire Venere: quæ magis Veneri addictæ, minùs se vino ingurgitare. Est quoque status hic in oratione pro Marcello, in quâ præcipua quæstio est, An clementia Cæsaris omnibus eius bellicis virtutibus sit præferenda. Item apud Isocratem in Encomio Helenæ status est, An pulchritudo Helenæ tantâ sit laude digna, ut omnibus laudibus sit antependa.

Qui statum tollunt è genere demonstrativo, negant; in eo locum habere intentionem & depulsionem, quia nullus sit *finis dignus* *ῥόγου* *Θ. i. qui dicam impingat*. Verùm ut nullus sit talis; posse tamen adversarium esse, constat ex ijs, quæ diximus. Alioqui, cum scripsisset Cicero de Catonis laudibus, Cæsar ijs non opposuisset duos Anticatones,

Neque in hoc genere solum locum habet status quantitatis; sed & controversia esse potest, an aliquid sit factum; quem statum esse coniecturalem, omnibus liquet. Ita siqui vituperare volet Didonem ob pudorem violatam: merito alius hoc repudiabit, tanquam confictum à Marone, quem secutus Silius lib. v i x i. Dido enim univira semper, castissimaque fuit; ut quæ, ne alteri nuberet, vitam gladio finierit: quemadmodum narrat Iustinus lib. x v i i i. Quin ne Æneam quidè videre potuit, cum ab Ilj excidio, ut Scalliger † optimè numerat, ad natalè Carthaginis anni sint c c x c i x ut quæ post annos l o c c x x v i i. ex quo condita erat, eversa sit, Cn. Cornelio Lentulo, & L. Mummio cons. anno Urbis l o c v i i i. ut tradidit Solinus: à quo non multum abit Menandri ratio apud Iosephum lib. i. contra Apionem; iuxta quem condita sit annis c x l. ante Romam. Trogus † verò tantum l x x i i. annis eâ antiquiorem putavit: Velleius solum l x v. Atqui, iuxta præclarum illum Eratosthenis canonem, ab eversa Troia ad conditam Romam anni fuerint c c c c x x x. Neque de Carthagine obstat, quod à Philisto

† *in prolegomenis operis de emendatione temporum, & animadversionibus Eusebianis ad annum m c l x v i i.*
 † *in epitome Iustini lib. 18.*

Philisto * xxx. annis, ac ab Appiano † dicatur etiam l. annis ante Troiæ ἀλωαν fuisse. Nam loqui eos de veteri Carthaginis parte, indicio est, quod eius Xorum, & Carchedonem Tyrios, faciunt auctores. At nunc sermo nobis est de illis, quæ debentur Didoni : nempe de parte Urbis novâ ; unde, Solino teste, vocata est Karthada, quod idem est ac καρή πόλις, ut etiam ex Stephano cognoscimus : item de arce, quæ Punicâ appellatione dicta est Butira, & ἑυραρίας ergò, Bufra, unde Græci κατὰ μιλέθειαν fecere Βύβου : quod quia corium notat, eo occasio præbita est fabellæ de tergo taurino. Hoc Maronis figmentum oppugnat etiam Maioragius in epistolicis quæst. xx. Atque ut veteres potius laudem, est de eodem epigramma lib. i v. Ἀγρολογίας, atque item apud Aufonium, quem vide epigr. 111. Imò, ut Charisius auctor est, Atteius Philologus librum edidit cum istiusmodi inscriptione, *An amaverit Didanus Aeneas*. Ac pertinet huc quoq; verba illa B. Augustini lib. i. Confess. cap. xiiii. *Non clament adversum me venditores Grammaticæ, vel emtores ; quia si proponam ijs interrogans, utrum verum sit, quod Aeneas aliquando Carthaginem venisse poeta dicit : indoctiores se nescire respondebunt, doctiores autem etiam negabunt verum esse.*

Pari ratione, si quis Penelopen laudare volet ob insignem pudicitiam, meritò, cui vituperare animus, in controversiam vocabit, quæ de castitate eius scribit Homerus. Nam ea procis, absente marito, se prostituit : eoq; Vlysses domum reversus, iure eam optimo exegit, ac suas sibi res habere iussit. Atque hoc qui nescit, is non modò obscæni carminis autorem insuper habuerit, quod puto peccatum haut Oceano ablucere necesse sit : verùm luculentum quoque scriptorem Pausaniam non legerit, aut certè tantùm per caliginem, sive oculorum, sive mentis, viderit locum istum in Arcadicis ; Πινελίπης ἢ εἶναι τάφος θασίν, ἔχ' ὁμολογεῖται τὸ ἐς αὐτῶν ποίησαι τῆ Θεσπροτιδὶ ὄνομαζομένην. Ἐν ταύτῃ μὲν γὰρ ἐστὶ τῆ ποίησαι, ἐπαθήκοντι ἐν Τροίᾳ Οδυσσεὶ τελευτῶν τῶν Πινελίπην Πτολιπόρθην παῖδα. Μαντινίων ἢ ὁ ἐς αὐτῶν λόγῳ, Πινελίπην φησὶν ὑπὸ Οδυσσεὶ καὶ Ἀγροιδεΐου ὡς ἐπισπασθεὶς ἐπαγέριον ἐς τὸν δίκον, καὶ ἀποπεμφθεῖσαν ὑπ' αὐτῶν τὸ μὲν σαρ' αὐτίκα ἐς Λακεδαιμόνα ἀπαιδεῖν : ἑτέρον δὲ ὑπερον ἐκ τ' Ἰσθμίου ἐς Μαντινίαν μετακινήσειν καὶ οἱ τὸ βίος τῶν πελοπίων ἐσταυδα συμῆναι. h. c. Penelopes id esse sepulchrum aiunt, dissentientes in eo à poemate, quod Θεσπροτίς id esse sepulchrum aiunt, Penelopen, Vlysse ex Troiâ reverso, peperisse puerum nomine Πτολιπόρθην. Μαντινίαν vero de eâ dicunt, Penelopen ab Vlysse damnatam esse, quod viros à se αλλεθὸς ἀτραπέσθῃ, (ita malim transferre, quàm, ut Abrahamus

hamus Loefcherus, procos) domum intromississet, & propterea ab eo esse repudiatam. Hanc deinde Lacedæmonem abuisse, atque aliquanto post Spartā se Mantineam contulisse, ibiq; vitæ ei finem obiitisse. Fidem etiam fecerit Lyconhron, qui Penelopen vocat βασιλέων κωσσοδίου, h. e. κωσσοδίου, ut Tzetzes interpretatur: qui subiicit, Διὸς ἢ ὁ Σάμου ἐν τοῖς ποταμοῖς ἄρα, ἐν τῷ οὐρανῷ αἰῶσι τοῖς μυστήσιν, ἢ γὰρ ἰσοῦ ἢ τετρακελῶ Πάνα. Duris enim Samius libro de Agathocle ait, eam cum omnibus congressam procos, ac genuisse Pana hircina habentem crura. Herodotus quoque de Pane idem tradit sub exodium lib. 11. Quod verò is, quem dixi, Scholiastes Pana hunc alius facit Penelopes filium, id nullā est suffultum ratione.

‡ De ea è junioribus, si vides, ad Luc. 10.

Scopam lib. 1. cap. 32. item commentario in Ovidianam Penelopes epistolam, Franciscum Floridū lib. 3. Subsciv. lect. cap. 2. & Thomā Demsterum ad Rosini Antiquissimum lib. 3. cap. 2. † multa mentiantur poëta.

‡ Pindarū 1. Olymp. & 7. Nem. Cic. in Tuscul. Plin. epist. 21. lib. 6. Minutium Fel. in Oct. Laëtant. in div. inst. † comm in Cic. lib 1. de Inven. † Palsapha 146.

Sed quid de Penelope † tricamur? Quis non videt, innumera nobis exempla suppeditari ex Homericā Iliade? Nam Hero locus tradit, multos velle, Helenam nunquam venisse Troiam: † & Dion Prusienfis offendit, eam, parente fratribusque consentientibus, nuptam Paridi fuisse; neq; Troianos fuisse à Græcis victos; sed Græcos, idēto fœdere, ab oblidione destituisse; Homerum vero invenisse hæc omnia ad velandam gentis suæ ignominiam: ut verum profectò sit verbum vetus, πορὰ Ἰδίου ἀσπίδι †, quod apud Platonem est dialogo de iusto, & Aristotelem lib. 1. Metaphys. cap. 11. ut cæteros * mittam, apud quos gemina legere est.

Quæ cum ita sint, neminem puto deinceps inficias iturum, in demonstrativo quoque genere quæri, an res facta sit; coque statum coniecturalem in eo locum habere. Fallitur igitur Antonius Maioragius, cum in lib. 11. Rhet. Arist. cap. xxv. ita scribit: *In demonstrativo genere nulla est civilis controversia, quia nemo adversatur, & res certa, vel pro certis sumuntur.*

Nec rectius sensit Nascimbænius Nascimbænius, qui † statum in demonstrativo esse negat, quia laudari non statim sequitur vituperatio. Neque enim, ut in eo status locum habeat, requiritur, ut quicquid laudabile est, vituperari possit; verum satis est, ut pleraq; vituperari queant. Adde, quod non solum adversetur laudanti, qui vituperat; verum etiam, qui personam, quæ laudata est, fuisse negat; ut siquis contra eum, qui Amazones laudarat, ostendat, nunquam fuisse Amazonas †; vel qui (ut Logicorum nunc vocibus utamur) laudationis subiectum agnoscit, at prædicatum oppugnat; ut si Penelopen fuisse concedamus, at inficias eamus, quæ de pudicitia eius à Poëtis scribuntur: vel denique, qui prædicatum quoque haut gravatè dat, verum personam, aut rem, tantopere laudandam negat:

negat : ut cùm quæritur apud Ifocratem, num Helenæ pulchritudo tantopere fit laude digna.

Atq; hinc erroris quoque convincimus Trapezuntium, qui quarto Rhetoricorum libro scribit, genus hoc interdum ita absolutum esse, ut ab omni controversiâ sit immune. Nam non tantum adversarius est, cùm quis actu contra laudantem dicit; verùm etiam, cùm quis tacite dissentit: uti si iudicer, oratorem facere isthoc vetus, ex muscâ elephantum. Adde, quod etiam, cùm nemo actu contradicit, potentia tamen est contradicendi. At cùm Rhetorica sit *δύρακτος* †, † *facilis*. huic non tam videndum, quid fiat, quàm quid fieri possit.

IX. NON ESSE PLURES STATUS, QUAM QUATUOR: DE QUE OMNIS DOCTRINÆ HUIUS UTILITATE.

VIDIMVS, quæ dici debeant, adversus eos, qui triplicem tantum statum agnoscunt, idque in solo genere Iuridiciali. Nunc alia se offert difficultas. Quippe videntur plures, quàm quatuor, status esse: cùm Aristoteles in secundo Analyt. poster. quatuor faciat quæstiones; duas simplices, an sit, & quid sit; quæ constituunt conjecturæ & finitionis statum: item duas coniunctas, quod sit, & cur sit: quarum prior ad conjecturam pertinet, posterior verò ad nullum videtur statum referri posse. Verùm & iste est status conjecturalis, quia, cùm quæritur, cur sit, omnino in quæstionem venit, æquid causa sit, nec ne. E. G. Num amor Reip. an odium privatum, causa sit cædis,

Ex his verò omnibus alius aliorum error detegitur, qui disertim adserunt, doctrinam statuum è Rhetoricis hodie fuscillandam esse, quia tantum inferviat causis iudicialibus. Nos verò in omnibus dicendi generibus, ac semper quidem, esse statum adseveramus. Atque ut id non esset, non tamen cancellari deberent, quæ de statibus scribuntur. Nam & hodie multum emolumenti adserunt ad distinguendas, ac tractandas res, quæ in iudicium veniunt. Insuper profunt intelligendis ac dijudicandis veterum oratorum scriptis. Denique cûi rhetores de statibus imprimis agunt, quatenus pertinent ad sanguinantem vel potius sanguisugam eloquentiam, sive forensium certaminum depugnationes: tamen, cùm ad iudiciale genus pertineat omnis accusatio, ac defensio, eaque iisdem plurimum tractetur capitibus, quibus utimur in causis forensibus: li-

quet profectò, maximum eorum usum esse in epistolis, ac quouis sermone familiari. Neque enim existimandum, quæ hoc libro de argumentis λογικῆς, ac sequenti de κατὰ λόγον, aut ἠθικῆς, dissertamus, ea solum propter orationes, (quæ maius, ac præcipuum, non tamen unicum sunt opus oratoris) fusè adeo à nobis explicari : sed etiam epistolarum ergo, atque ad eò omnis scriptiois, ac sermonis ipsius causâ, modò is de quæstione fuerit civili.

Et hæc de speciebus status cunctim ac generatim dicta sunt, quâ ad tria pertinent dicendi genera. Nunc de illis videamus particulatim; præcipuè autem, quatenus pertinent ad solum iudiciale.

CAP. VII.

DE STATV CONIECTVRALI.

STATVS Coniecturalis loci sunt tres; *Voluntas, Facultas, & Signa.*
Voluntas continet Impulsionem, & Ratiocinationem.
Impulsio affectus comprehendit, qui causa efficiens locum obtinent.
Ratiocinatio queritur è causis finalibus; ut à spe commodorum.
Ad facultatem pertinent vires corporis, animi promptitudo, copia, opes, locus, tempus, spes perficiendi, ac celandi.
Signorum alia rem antecedunt, alia comitantur, alia consequuntur.

I. DE APPELLATIONE STATVS CONIECTVRALIS,
ET DIVISIONE EIVS.

† lib. 3.
ap. 7.

STATVS, in quo obscura est iudicatio, Græcè dicitur ἀσαφὴς, Latinis Coniectura. Nempe, ut ait Fabius †, à coniectu. i. ductioe quâdam rationis ad veritatem: unde etiam somniorum, atque omnium interpretes, coniectores vocamus. Comprobant id ipsum glossæ vet. Cyrillo olim additæ, in quibus ἀσαφὴς exponitur coniector, somni-solutor, somniorum interpret. Vbi pro somni-solutor malim somni-solutor.

Vocatur hic status alio nomine *Inficialis*, quia solâ inficiatione se reus hic defendit.

Porro, seu infinitam, seu finitam quæstionem spectes; vel directè eâ quæritur de personâ, aut re, utrum res fuerit, vel sit, vel futura sit: vel indirectè instituitur, & ex consequenti. Directa quæstio est, an sint Pygmæi, an fuerit Hercules, vel Orpheus, an Ulysses occiderit Aiacem. Indirecta inquit de causâ rei: ut unde oriatur pestilen-

pestilentia. Nam tantundem est, ac si roges, utrum aëris corruptio sit causa pestilentiae, an aliud quiddam. Similiter, si disceptandum sit, an hostes eò classem instruant, ut inferant nobis bellum: fatis liquet, quaestionem esse de animo hostium, velut causa finali. Atque hæc respiciunt conjecturalem statum universè. Nobis verò nunc propositum est, ea imprimis persequi, quæ ad solum juridiciale genus pertinent.

II. QUÆ IN STATV HOC AB ARISTOTELE CONSIDERENTVR.

IN statu hoc quatuor sunt cognoscenda, iuxta Aristotelem: nempe, quæ causæ ad iniuriã faciendam compellant, & qui alios iniuriã afficiant, & quos afficiant, & in quibus afficiant. Causæ iniuriarum sunt eadem, quæ humanarũ actionum. Sunt autem numero septem; fortuna, vis, natura, consuetudo, ratio, iracundia, cupiditas. De quibus omnibus, ut lectorem quasi *δακτυλοδείκτις* † ad fontem ipsum ducam, Aristoteles videatur cap. † xxxv. xxxvi. xxxvii. † *digito monstrans.*
De moribus eorum, qui faciunt iniuriam, cap. xxxviii. † *† sed iuxta vulgarem distinctione cap. 10. &*
De ijs, qui iniuriã afficiuntur, cap. xxxix. † *†*. Quibus in rebus soleant esse injuriæ, cap. eodem. Quæ omnia manifestum est pertinere ad *σοχαιμόν* †. Porro ea huc transferrem, nisi apertè satis ab Aristotele exponerentur. Vel si quis cum vulgo præferat novellos: adeat tabulas Raphaelis Cyllenij, Riccoboni paraphrasin, Crameri *σύνοψιν*, † *vulgò cap. 12.* vel alios, qui aliquid in Rhetoricen Aristotelis scripsere, vel ex eo compendia sua concinnarunt. Neque id hinc modò, sed alijs etiam locis, dictum velim; quoties ad acutissimum hunc Rhetorem remittere malo lectorem, quàm actum agere; quod nec placet, nec vacat.

III. DE CAPITIBVS DECEM, QVIBVS HIC STA- TVS TRACTATVR, IUXTA HERMOGENEM.

HIs verò, quæ ab Aristotele docentur, operæ sit adiungere *κεφάλαια*, sive capita, quæ ab alijs Rhetoribus traduntur. Voco autem capita cum Sopatro, ea, quæ continent propriam argumentationem, & confirmationem eiusdem propositionis ab alijs diversam.

Ita Hermogenes decem facit *κεφάλαια* status conjecturalis.

Primum

Primum est Ἐξαγγελῶν, h. e. exceptio, quæ fit ante litis contestationem: ut in causâ Roscianâ; Filium debere accusare, qui patrem amiferit; non illos, qui, occiso Roscij patrè, locupletiores facti sunt. Estque appellatio ea ab ipsiis oratoribus; qui aliquem dicunt τὸν ἡμετέρον πατέρα φερόμενον, quando non est δίκην ἐισπαγόμενος. Quomodo Ilocrates, & Demosthenes locuti.

‡ transcribere seu transferre accusacionem.

‡ lis contra quam exceptio obijci non possit.

Hoc in capite, ut Sopater quoque monet, haut diu commorari oportet, quando præponitur. Quippe detrahit aliquid de dignitate oratoris, quia videtur esse hominis iudicium metu subterfugientis. At diutius in eo commorari licet, cum postremo ponitur loco; quia magnam ostendit causæ fiduciam, quòd iudicio nos stiterimus, cum devitare id liceret.

Appellatur hic locus alio nomine μετάνησις: verùm quia & distinctus est μετάνησις status; satius iudico, distinctis hæc appellare nominibus: ut nempe μετάνησις esse dicatur, cum princeps orationis quæstio est de actione iudicij: Ἐξαγγελῶν verò, sive, ut Sulpitius Victor nominat, derivatio sit, cum quasi ex abundantia adhibetur.

Alterum Hermogeni caput sive membrum est ἀπαίτησις ἢ ἐλέγχων. i. probationem postulatio: ut in eadem causâ Roscianâ: Proba testibus, certisve argumentis, me patrem sustulisse, aut patrem in animo habuisse me exheredare. Refutantur autem testes, partim alios opponendo, partim accusando; quòd locuti sint ἐπὶς χάριν, ad gratiam, vel δι' ἐχθρὰν, ob inimicitiam, vel διὰ τίνα οἰκειότητα, ob aliquam cognationem, vel διὰ κέρδος, ob lucrum, vel δι' ἡλικίαν, ob ætatem. Sed de testibus inferius se offeret proprius dicendi locus.

Tertium est βέλους, seu voluntas: ut. Cum naturâ à scelere istiusmodi abhorream, qui in animum inducerem, ut parentem tollerem? at vos avari, & sanguinis sitientes.

Quartum est δύναμις, sive facultas: ut, Qui potui patrem interire, cum non Romæ fuerim, sed Ameriæ? nam alijs rem tanti periculi committere quomodo ausim? At vos Romæ fuistis: vos & ipsi ficarij estis, & ficarij omnes vobis cogniti, quos subornare facillimum vobis fuit. Probatur autem voluntas, & facultas, à genere, ab educatione, ab institutione, ab ætate, à naturâ animi & corporis, à studijs, ab actionibus, & à fortunâ.

Quintum est τὰ ἀπ' ἀρχῆς ἄχει τέλος, quæ à principio sunt usque ad finem, h. e. adiuncta omnia, sive ea rem antecedant, sive comitentur, sive consequantur. Istiusmodi est, quòd Roscius Capito cædem primò nunciavit Ameriam.

Sextum est ἀντίληψις, q. d. *contra summo*, h. e. qualitas absoluta, cum id signum, quod contra nos affertur, non negatur, sed, ut rectè factum, defenditur. e. g. Honestum est studium agriculturæ; ideoque ex eo colligi nequit, me patri fuisse inuitum.

Septimum est ἀντίληψις ἀρνησις, *translatio*. Ea est ἀντίληψις ἀρνησις, *negatio qualitatis absoluta*. Opponitur igitur ἀντίληψις: velut, si Chryfogonus dixisset: Si pater te amasset, Rosci, non rus te ablegasset; sed ad Philosophos, vel Oratores, misisset.

Octavum est ἀντιθέσις ἢ ἀντίτις, *translatio criminis*. Ea constat ἀναρτίως, sive remotione unius causæ, tanquam falsæ; & εἰσῆσις, sive positione alterius, tanquam melioris: ut, Pater me rus misit, non ut ex improbo faceret probum, ex luxurioso temperantem; sed quia non ignorabat, quantopere afficeret agriculturâ, & quantam in eâ adhiberem indultriam.

Nonum est ἀντιθέσις ἀπολογία, sive ἀναστροφὴ, *probabilis defensio*, sive *inversio*: ut, Quoniam pater præfecit me suis prædijs tam iplendidis ac frugiferis, habuit me pro homine temperanti, ac frugali, reiçue rusticæ peritissimo, qui possem operis ac villicis imperare, quiçue primus cubitu surgerem, ultimus cubitum irem.

Postremum est κοινὴ ποιότης, *communis qualitas*; quæ ita dicitur, quia constat ἐν τῆσδε συμβεβηκότων, *è communiter accidentibus*: estçue ipse ἐπίλογος, ac proinde conficitur ἀνακαταλαβῆσις, sive *enumeratione præcipuorum capitum*, & παρολογία, sive *commotione affectuum*. Quamquam si accuratè rem expendamus, liquebit, epilogum haut rectè hoc loco ab Hermogene inter κεφάλαια collocari. Quippe, ut ex Sopatro antè vidimus, in capitibus requiritur, ut distinctis propositionem argumentis confirmet. At epilogus id non facit, verùm partim repetit, quæ antè dicta erant, partim affectus concitat.

Sunt verò complures quoque singulorum κεφάλαιων partes, ac modi: sed hos apud ipsum Hermogenem vide.

IV. QUOMODO ARGUMENTEMVR A VOLVNTATE, FACVLTA TE, ET SIGNIS: QVO FACTO ITEM ARGVMENTA INDE PETITA REFELLAMVS.

FABIVS Quintilianus lib. VII. cap. II. tres facit partes status coniecturalis; An voluerit, an potuerit, an fecerit. Ex his duæ

priores, voluntas & facultas, *βουλὴς ἔδνηται*, in omnibus hominum actionibus concurrunt. Coniunxit itaque Poëta, apud quem
 1. *Æt.* ita Ilioneus ad Didonem ait* :

*Non nos aut ferro Libycos violare penates
 Venimus, aut raptas ad litora vertere pradas:
 Non ea vis animo, nec tanta superbia victis.*

Vbi rectè ait Servius, esse argumentum ab impossibili. Nam *vis*, inquit, *est possibilitas*: ut geminum sit huic; *Quid Troës potnere?* At non inesse voluntatem, eo probat Poëta, quod verisimile non sit, tantum esse in victis factum, ut sint potentioribus iniurij. Sed & de ipso Deo adfirmatè colligimus naturæ lumine, eum humani generis curam gerere; cum & velit, utpote optimus; & possit, utpote maximus; nisi hæc quoque elogia ei ereptum eant Epicuri de grege porci.

VOLUNTAS continet impulsione[m], & ratiocinationem.

Impulsio affectus comprehendit, qui causæ efficientis locum obtinent: ut in hoc calcato exemplo: Clodius Milonem odio prosequeretur: ideo mortem eius concupivit.

Pertinent huc etiam morbus animi, ebrietas, & similia: quorum cæco impetu potuerit homo ad facinus impelli.

Ratiocinatio petitur è causis finalibus: velut Clodio proderat mors Milonis, non Miloni Clodij: Clodius igitur mortem Milonis desideravit, non hic illius. Huc pertinet illud L. Cassij; *Cui bono?* Cic. pro Mil. *Illud Cassianum, cui bono fuerit, in his personis valeat.* Ad quem locum ita Afconius: *L. Cassius, summe vir severitatis, quoties Quasitor iudicij alicuius esset, in quo quæreretur, de homine occiso, sua-debat, atque etiam præibat iudicibus, ut quæreretur, cui bono fuisset, perire eum, de cuius morte quæreretur.* Idem Philippicâ II. obiicit Antonio de morte Cæsaris: *Quod si te in iudicium quis adducat, usurpetq[ue] illud Cassianum, cui bono fuerit; vide, quæso, ne hæreas.* Simile est Comici hoc Phorm. act. 1. sc. 11.

*Cuius tu fidem in pecunia perspexeris,
 Verere verba ei credere? ubi quid mihi lucri est
 Te fallere?*

Poëtarum quoque ingeniosissimus, eo, quod nihil è mendacio fructus percipi poterat, acutè † rei veritatem adstruere est adnixus, cum cecinit:

*Hæc mihi non vani (nec erat cur fallere vellent.)
 Narraverè senes.*

† 8. Met.
 fab. 9.

Et lib. III. Trist. eleg. x:

*Vix equidem credat; sed cum sint premia falsi
Nulla, ratam debet testis habere fidem.*

Eodemque modo dixit Tacitus in IV. Histor. Virumque, qui interfuere, nunc quoque memorant, postquam nullum mendaciorum pretium. Egregie verò hunc locum tractat Appuleius in Apolog. ubi inter alia ait: *Frustra igitur, an factum sit, queritur, quod nullam malam causam habuit, ut fieret.* Sunt & quædam planè gemina apud Plautum, alioſque, quæ mera mora sit adscribere.

Alter locus est FACULTAS: quod nomen hoc loco accipitur latius, ut etiam potestatem comprehendat. Alioqui (ut etiam Marius Victorinus ad secundum Rhetoricorum Ciceronis distinguit) potestas propriè respicit naturam personæ, quæ aliquid ei inest, aut deest: quomodo negamus homini debili suppetere vires ac potestatem malè mulcandi virum fortissimum. At facultas respicit res extrinsecus advenientes, locum, tempus, & similia: quæ ratione negabat Clodius sibi facultatem fuisse violandi Cæsaris coniugem, qui in urbe non fuisset.

Ad facultatem quidam referunt SIGNA, quibus coniectura firmatur. Verùm hæc non ostendunt propriè facere potuisse, sed peculiari modo probant fecisse. Itaque eorum potiùs sententiam sequimur, qui tres statuunt locos; duos, qui se habeant ut causæ, nempe voluntatem, & facultatem; ac tertium eorum, quæ ad adiuncta pertinent, nimirum signa.

A signo argumentatur Tecmeſſa apud Sophoclem Aiace Loro. Nam, quærentem Choro, à quo Ajax interfectus esset, respondet, ex eo, quòd gladius in terrâ fuerit defixus, cui incubuerit, certò colligi, Aiadem sibi ipsi manus attulisse.

*Αυτὸς ἦ, inquit, ἀπὸς αὐτοῦ δ' ἦτορ' ἔρ' γὰρ οἱ χθονὶ
Πηκτὸρ τὸ δ' ἔρχετο σπινθὴρ κρηναρῶν.*

Sunt autem signa triplicia; antecedentia, concomitantia, consequentia. Ita eadem alicuius antecesserunt fortean minæ, & instrumenta; coniuncta fuere pugna, sanguis, clamor; consecuta sunt pallor, verba tertiaria, cursatio rursum prorsum, fuga.

Argumenta istiusmodi Iurisconsulti *presumptiones* vocant. Exemplum adstruendi *πρᾶξις* ἢ paucis habes in illis verbis Ciceron. III. de Orat. Si & ferro interfectus ille, & tu mimicus eius cum gladio cruento deprehensus es in illo ipso loco, & nemo præter te ibi visus est, & causæ nemini, & tu semper audax; quid est quod de facinore dubitare possimus?

‡ A seipſo
interfectum
esse, mani-
festum est.
Nā in terra
fixus eris,
in quem pro-
lapsus est,
id arguit.
‡ coniectu-
ram.

At in defensione hæc omnia sunt infirmanda, & diluenda. Itaque ostendemus, nobis non fuisse voluntatem; rationes allatas, quibus nos dicebat adversarius impulsos, aut nullas fuisse, aut non tantas; neque nos ijs esse moribus, ut tam facile à recto possimus abduci. Itidem ostendemus, non ideo nos fecisse, quia fuerit facultas; vel etiam non fuisse nobis facultatem: quod pertinet illud Iuliani * aduersus B. Augustinum lib. I. operis imperfecti; *Absterlatè vindicatur à crimine, qui ipsa rei impossibilitate defenditur.* Facultatem autem defuisse, probamus, quia non fuerint tantæ vires, copix, opes; quia alienus locus, & tempus; quia non fuerit spes occulandi facinus, atque alia id genus. Denique quòd in cursurâ veste fuimus reprehensi; quòd animam præ metu vertere nequimus; similiaque, quæ ad factum commonstrandum adducebantur; ostendemus, eiusmodi esse, ut ex ijs signis de viro bono iudicari non debeat.

* in poster.
lib. B. Au-
gustini con-
tra secundâ
Iuliani re-
sponsonem.
Qui libri
dicuntur an-
no 1617.
opera Cl.
Manardi
Parisus in
lucem pro-
dierunt.

V. IN HOC STATV ALTERVTRVM LITIGAN-
TIVM IMPROBVM VIDERI.

MONET autem Aristoteles, in hoc statu, vel reum, vel accusatorem, esse necessariò improbum; quod necesse non est in alijs controversijs, in quibus peccari potest per ignorantiam juris. At in coniecturali vel reus fecit, vel non fecit id, ob quod accusatur. Si fecit, vel scit se fecisse, vel nescit; velut si quis alium occiderit, aut læserit lapide è fenestrâ proiecto. Si scit reus, mentitur negando. Si nescit, per imprudentiam fecerit necesse est; eoque status erit qualitatis assumptivus, non coniecturalis; quia, cui constitit de lapide proiecto, potest cognoscere potuit de homine occiso. At si reus non fecit; vel improbus est accusator falsò accusando, quem innocentem constabat; vel levis est, accusando eum, de quo non certò constabat.

Sed & lib. v. Nicomach. docet Aristoteles, eorum, qui irâ perciti facinus aliquod designarunt, haut parem esse rationem, atque eorum, qui contendunt de pactis: ut si unus depositam pecuniam legibus repetat; alter verò depositam apud se fuisse, inficias eat. Quippe, quos affectus transferros egit, eos putat Philosophus ratione aliquâ excusari posse: at in pactis alterutrum non posse non esse improbum, nisi fortè rei oblivio eum ceperit.

VI. EXEMPLA E M. TVLLIO ALLATA,
 QUÆ IMITEMVR.

ET hæc de naturâ ac tractatione status coniecturalis dicta sint. Plura qui requirit, Hermogenem adeat, ac Trapezuntium, qui fusè hanc rem tractat lib. Rhet. II. Imprimis autem artificium Hermogenicum spectet in orationibus Ciceronis hoc in statu versantibus; cuiusmodi, præter illam pro Roscio Amerino, de quâ satis antea dictum, est liber primus accusationum Verrinarum, quo ostenditur, quæ scelera commiserit Verres in quæsturâ, legatione, & præturâ urbanâ: liber secundus Verrinarum, quo docetur, quæ patrârit in præturâ Siciliensi: tertius, qui est de re frumetariâ: quartus, qui est de signis: quintus & ultimus, qui est de supplicijs. Item oratio Cluentiana, quâ quæritur, an Cluentius Oppianicum vitricum, atque alios, sustulerit veneno: illa pro Muræna, quâ quæritio est, an Muræna commiserit ambitus crimen: item pro Flacco, quâ defendit illum, cum ex administratione Asiaticâ reus esset reperundarum: pro Syllâ, quâ quæritur, num ille coniuraverit cum Catilinâ: pro Plancio, quâ disceptatur, an is reus fuerit ambitus in petitione ædilitatis: pro Cælio, quâ controversia est, num Cælius à Clodiâ aurum mutuum sumserit, ac ne id restituere cogeretur, ei venenum parârit: ac denique pro Deiotaro, quâ quæritio est, an is adversus Cæsarem coniurârit.

CAP. VIII.

DE STATV FINITIVO.

IN statu definitivo definitio nostra comprobanda est; adversarij repellenda.
 Et adstruendi, & destruendi ratio è logicis petenda.

I. NATVRA STATVS DEFINITIVI VARIIS
 DECLARATVR EXEMPLIS.

STATVS *desinens*, seu finitivus, etiam nominis controversia dicitur: quia eo quæritur, quo nomine factum sit appellandum. Atque hinc liquet, statum quoque simplicis thematis esse posse. Ita

* dare. apud Demosthenem quæritur, detne insulam Halonesum Philippus, an reddat. Nam Philippus eam volebat Atheniensibus *Sivæ* *: at Athenienses, auctore Demosthene, nolebant accipere, nisi fateretur Macedo, eam se *pro d'ivæ* †. Idem quæritur apud Ciceronem VIII Philippicâ, quid sit tumultus: pro Cæcinâ disputatur, an dicendum sit, ei vim factam esse, qui armis fuerit perterritus, ne fundum suum ingrederetur. De hoc statu agit Aristoteles cap. XII. † *† iuxta vulgarem distinctionem. cap. 13.* eiusque sex adducit exempla. Nempe si quis fateatur, se accepisse, neget tamen furatum esse; si concedat se percussisse, at non intulisse contumeliam; si cum aliquâ fuisse, at non commississe adulterium; si furtum fecisse, at non sacrilegium; si agrum coluisse, at non publicum; si collocutum cum hostibus, atamen non esse proditorem.

In hoc genere oportet nos habere paratas definitiones, E. G. quid furtum, quid sacrilegium, quid adulterium, &c. Neq; enim, si percussit quis alium, eò contumeliâ affectit, sed si aliquâ de causâ; neque si quis clam rem alienam abstulit, furtum commisit; sed si abstulit, ut noceret, & rem à domino abalienaret: neque sacrilegium admisit, quisquis abstulerit rem è loco sacro; sed qui surripuerit inde Deo consecrata, aut donata: eoque sacrilegium non erit, si quis rapuerit dotem filiarum Clithenis creditam Iunoni Samiæ, aut pecuniam Alexandri in delubro Solis repositam. Quæ sententia etiam imperatoribus placuit Romanis. Nam *Divi Severus, & Antoninus, Cassio Festo rescripserunt, res privatorum, si in adema sacram reposita, subrepta fuerint, furti actionem, non sacrilegy esse: ut est Leg. V. Dig. Ad legem Iul. pecul.*

† lib. 3. de eloqu. cap. 16.

Porro perpetuum non est, quòd Thomas Corràus † scribit, status definitionem esse infirmam, quia non tam rem defendit, quàm mutat. Nam culpa sanè tollitur, si probemus, quòd Cato in Senatu sententijs omnium restiterit, constantiam vocari debere, non pertinaciam.

II. QVA RATIONE TRACTARI DEBEANT CON- TROVERSIÆ, QUÆ AD HUNC STA- TVM PERTINENT.

K Ε Φ Α Λ Α Ι Α sive capita status definitivi iuxta Hermogenem sunt XII. Exemplum affert de philosopho, qui tyranno persuaserit, ut imperio se abdicaret, atque eo nomine præmium sibi dari

dari postulet, velut tyrannicidæ. Primum κεφάλαιον est προβολή, i. *intentio*, quam vulgo petitionem dicunt: ut, Sustuli tyrannidem, ideo præmium posco. Continet τὸ ἀπ' ἀρχῆς ἀχρὶ τέλος †. Cum nemo † *Quod principio sunt, usque ad finem.* tyrannum gladio tollere posset, nullus certe tolleret; ego autem patriæ semper libertatis studiosus essem: non acquievi, usque dum ei persuasi, ut se imperio abdicaret; atque ita sine cæde vobis pereri libertatem; pro quo beneficio peto, ut vel mihi statua erigatur, vel ut perpetuò alar in Prytæneo.

Porro pinguiori Minerva προβολή inter κεφάλαια ab Hermogene collocatur. Neque enim est locus probationis; sed ipsa propositio, quæ argumentis comprobanda est. Huic opponitur ἀππροβολή. Verùm hæc quoque nihil aliud est, quam ipsa adversarij propositio; eoque κεφάλαιον dici nequit. Ita in ἀππροβολῆ negat adversarius, alteri dandum præmium, cum non occiderit tyrannum.

Alerum κεφάλαιον est ὄρον, sive *definitio*: ut, cum adversarius ait, tyrannicidam esse eum, qui tyrannum occidit.

Tertium est ἀνδοεισιμὸς, *contraria definitio*: ut, Tyrannicida est non solùm, qui tyrannum occidit; sed quisquis ty. annidem tollit, & patriæ libertatem restituit. Qualis, etsi non tollat tyrannum, quatenus homo, tollit tamen eum, quatenus tyrannus est. Quod multò esse amplius, ex eo liquet, quia sæpe, qui hominem tollit, tyrannidem non tollit: ut cum post tyranni mortem gravior servitùs sub tyranno altero consequitur.

Quartum est συνορισμὸς, sive *ratiocinatio*; quæ res duas inter se confert: ut, Tantum beneficium est verbis tyrannidem tollere, quantum armis.

Quintum est γράμμι νομοθέτου, *sententia legislatoris*: ut, Libertatis, non sanguinis causâ, lex data est; ac proinde ob libertatem partam, non ob sanguinem fufum, datur præmium.

Sextum est συνδικτύος, sive *rei quantitas*: ut, Res præclara est eloquentia, & magnum id efficere oratione, quod alius non possit armis.

Septimum est τὸ ὡς π, sive *relatum*, & constat amplificatione ac comparatione: ut, Multò meliùs meretur de Republicâ, qui verbis pellit tyrannum, quàm qui armis; cum ille id præstet sine sanguine, sine tumultu, sine periculo.

Octavum est ἀντίθεσις sive οὐσίως ἀντιθέσις. i. *status assumptivus*, de quo infra dicturi sumus: sed is in hoc exemplo locum non habet; quia constat, philosophum bene fecisse, ut necesse non sit, colorem huic

huic factò quærerè. At in alijs causis deprehenditur : velut si quis caussam dicere cogatur , quòd occiderit eunuchum inventum cum coniuge. Phavorinus certè Philosophus, quamvis eunuchus, tamen in adulterio deprehensus dicitur. Notum & , quod de eunuchis audisse se ait ancilla Térentiana, eos amatores mulierum esse maximos : pluraque super eo, cui res tanti est, videre queat apud Muretum lib. x. Var. Lect. cap. xi. & Ioannem Filescum lib. i. Selectorum cap. xi. Quare non quidem accusator libidinem in eunuchis extinctam dicet ; sed negabit, eunuchum posse esse adulterum, quia sit *μύτρας* ac nebulo, ut Terentius loquitur ; hoc est, quia haut sit idoneus gignendæ proli. At cædis reus asseret, adulterum esse, quisquis cum alienâ consuevit coniuge, quòd & nomen indicat, cum *adulter* dicatur, quia ad alterum torum eat.

Nonus locus est *μετάληψις*, quasi transumptio dicas, aut translatio. Eâ reprehenditur modus actionis : ut, In ius tibi eunuchus ob factum. vocandus fuit, non transfigendus gladio.

Decimus est *ἀπρίμψις*, sive status absolutus : & respondet *μετάληψις*, ut *ἄρ' ἀνθεοειμψῶ*. Exemplum est, cum reus ostendit se iure eunuchum occidisse.

Vndecimus est *ποιότης*, *qualitas*, quæ ab attributis personæ sumitur ; velut, cum dicitur, quibus moribus quis hactenus fuerit, & cuiusmodi futurus sit, si iudicio liberetur. Item, si condemnentur.

Duodecimus est *πρόμψις*, *sententia* seu voluntas : ut quo consilio quid factum scit, aut quo animo quis accuset, vel defendat.

Et hæc de statu definitivo : in quo paucae existant orationes Ciceronis, si principalem spectes scopum. Nam complures sunt, in quibus incidit ; quomodo in Philippicâ nonâ queritur, num, qui mortis est causa, homicida dici debeat : & eâ, quæ est pro Rabirio perduellionis reo, disputat, se popularem esse : itemque initio Agrariæ secundæ, ac quibusdam alijs ; quibus artis huius studiosus addiscent usum eorum, quæ de finitivo statu diximus.

CAP IX.

DE STATV QUALITATIS.

STATVS *qualitatis* est duplex : *negotialis*, & *iuridicialis*. ille de re futura pertractat ; eisdem generis deliberativi proprius : hic de re præse-

præteritâ esse solet, ac iudicij convenit. Iuridicialis propriè vel in iudicio instituitur, vel ante iudicium, qui Translativus vocatur. Prior dividitur in Rationalem, & Legalem. Rationalis est de factò. Legalis de sententiâ legis, aut scripti.

Distribuitur Rationalis in Absolutum, & Assumptivum. Absolutus est, qui simpliciter factum defendit; ut, cum laudabiliter factâ dicimus. Assumptivus est, cum per se debilis est defensio, sed re foris assumptâ invocatur. estq; quadruplex; Comparatio, Relatio, Remotio, Concessio.

Comparatio est, cum ostendimus, e duobus alterum fuisse agendum, & id, quod a nobis factum est, satius fuisse fieri.

Relatio est, cum culpam conferimus in eam personam, qua ipsa malum accepit.

Remotio est, cum culpam reijcimus in personam aliam, quam eam, qua malum accepit, vel in rem, qua in iudicium vocari non possit; uti in legem.

Concessio dividi solet in Purgationem, & Deprecationem. Sed cum in Deprecatione utamur statu Negotiali; prior tantum pars Concessionis ad statum assumtivum pertinebit. Quod verò de utraque hoc loco agitur, id eò fit, quia Purgationi plurimum subijci solet Deprecatio. Est autem Purgatio, qua non factum ipsum, sed voluntas defenditur: ut, cum culpa confertur in necessitatem, fortunam, aut imprudentiam. Deprecatio est, cum culpam fateamur, sed admisericordiam confugimus.

I. STATUS QUALITATIS DIVIDITUR IN NEGOTIALEM, ET IURIDICIALEM, DEQUE NEGOTIALIS GENERIS DIFFICULTATE.

STATUS Qualitatis alio nomine Ciceroni in primo de Inventionibus dicitur status Generis, five Generalis, quod in eo controversia fit de vi & genere, hoc est, qualitate negotij, facti, legis, scripti, vel actionis: de quibus omnibus in hoc statu quæri solet. Dividitur autem iuxta Ciceronem, & Hermogenem, in *Προνομία*, five Negotialem, & *Δικαστική*, seu Iuridicalem. Prior est de re faciendâ; & in negotio publico, ad Senatûm pertinet. Alter iudicij convenit, ut nomen ipsum testatur.

Existimat Thomas Corraeus †, negotialem statum comprehendî sub iuridicali: quia non alio differant, quam eo, quòd negotialis fit de negotijs publicis; iuridicalis de rebus privatis. Sed fallitur, si putat, consultationes solum esse de publicis, non item de

† lib. 3.
cap. 21.

privatis negotijs. Et si genus iuridiciale agnoscit differre à deliberativo; quomodo non à iuridicali statu differet status negotialis, qui generis deliberativi proprius est?

Est autem negotialis status difficilior iuridicali; quod tribus argumentis demonstrat Aristoteles. Nam difficilior est futurorum coniectatio, quàm asseveratio præteritorum. Deinde in iuridicali lex est principium, ex quo non difficile est Oratori elicere conclusiones: at non itidem fit in negotiali. Præterea negotialis non habet diverticula, nisi ad aliud genus confugiat: quomodo Isocrates consilium daturus accusat; ut Lacedæmonios in Panegyrico, Charetem in Sociali. Verùm in iuridicali multa dici possunt de personâ nostrâ, adversarij, vel iudicum. Quare fallitur M. Tullius, apud quem M. Antonius 11. de Orat. iudicia putat difficilius tractari. Ait enim: *Omniùm caterarum rerum oratio, mihi crede, ludus est homini non hebeti, neque inexercitato, neque communium literarum & politioris humanitatis experti. In causarum contentionibus maximum est quoddam opus, atque haur sciam, an de humanis operibus longè maximum: in quibus vis oratoris, &c.* Tullio hæc in parte subscribunt, Cornificius †, sive magister Herennianus, Fabius Quintilianus, & auctor dialogi de causis corruptæ eloquentiæ. Itaque idem de ijs, quod de Tullio, iudicium esto.

† in initio lib.
c.

II. DE CAPITIBVS, IVXTA QUÆ HERMOGENES
TRACTARE IVBET STATVM NE-
GOTIALEM.

LOC I status negotialis Hermogeni sunt sex, uti diximus, cùm Lageremus de genere deliberativo, cuius is proprius est. Nunc, pronissi memor, pauca addam de tractationis modo.

Primus Hermogeni locus est *ῥόμιον*, sive *legitimum*. Is partim spectatur *ἡντινῶν*, in *scripto*; & pertinet ad status legitimos: partim considerat *τὸ ἴδιον ὡς ῥόμιον, consuetudinem tanquam legitimam*. Prioris exemplum est in Licinianâ; sitne Archias retinendus in civitate ex lege Papiriâ. Posterioris verò exemplum habemus in Manilianâ, quâ docet Tullius, non esse contra consuetudinem Romanorum, ut omnia ad unum deferantur.

Alter locus est *ἰσχυρὸν*, sive *inustum*: cuius tractatio cognoscitur ex doctrinâ status iuridicalis, tum absoluti, tum assumptivi. Iusti autem nomine utimur, non laxè, ut comprehendat legitimum, qui primus

primus erat locus : sed stricte, ut significet æquum ; quomodo natura, ac ratio, suadebant, ut Pompeio debitus honor deferretur.

Æquitas enim vox est n^o legum, aut consuetudinis ; sed naturæ, ac Dei ipsius in ea loquentis. Quod indicat locus ille Isocratis in Panathenaico : Εἰδὶτο μὴ παειδῶν παλαιῶν ἔθ^ο, ἢ πατερον νόμον καταλυόμενον, ἢ κέρως ἀνθρώπων χρώμιοι διατελέσαν, ἐχ^ο αἱ ὑπ' ἀνθρώπων κειμένη φύσεις, ἀλλ' αἱ τοῦ δαίμονος προσεταγμένη δυνάμεις. hoc est, *Ne abrogari sineo veterem consuetudinem, patriamq; legem, quâ utuntur homines universi ; que non ab humano ingenio est lata, sed à divina quadam virtute constituta.* De Adrasto sermo est, Theæa rogante, ut cælorum corpora redderet, quò sepulturâ afficerentur. Similem ex Sophoclis Antigone locum inferiùs † adferemus. Et Tullius in Topicis, enu-

† cap. 12.
ubi de lege
agitur.

merans ea, in quibus ius civile consistat, non contentus memorare *leges, senatusconsultâ, res iudicatas, iurisperitorum auctoritatem, edicta magistratus* addit denique *ijs, & morem, & aequitatem.*

Locus tertius est *συμφέρον*, sive *utile* ; quod duplex est. Nam vel duntaxat *χρήσιμον*, sive *conducibile* est ; vel etiam est *ἀναγκαῖον*, sive *necessarium*, cuius vis multò maxima est. Utile spectatur bifariam : nam vel consideratur, quid confecturum sit, si fecerimus ; vel quid sit futurum, si non fecerimus. Utraque pars tractatur quadrifariam. Argumentamur enim hunc in modum. Nobis id facientibus,

I. τὰ ἐπὶ χροῖα ἀγαθὰ ὄσονται.
bona, que adsunt, conservabuntur.

II. τὰ ἐκ ὄντα προσέσται.
bona, que non adsunt, obtingent.

III. τὰ ἐπὶ χροῖα φαῦλα ἐπελευσθήσονται.
malis, que adsunt, liberabimur.

IV. τὰ ἐκ ὄντα ἐπισησθήσονται.
mala, que impendent, evitabimus.

Contra nobis non facientibus,

I. τὰ ἐπὶ χροῖα ἀγαθὰ ἀπολείψονται.
bona presentia amittentur.

II. τὰ ἐκ ὄντα, προσεσπόμενα ἢ ἀν, ἐπὶ προσέσται.
bona sperata non consequentur.

III. τὰ ἐπὶ χροῖα φαῦλα ἐπελευσθήσονται.
malis presentibus non liberabimur.

IV. τὰ ἐκ ὄντα φαῦλα προσέσται.
mala, quibus nondum premimur, nobis obtingent.

† lib. 2.
Hist.
Philipp.

Ita Mardonius (verba sunt Iustini †) hortatur Xerxem , ut in regnum abeat , sibi cccc. millia armatorum lecta ex omnibus copijs relinquat : quâ manu, aut CVM GLORIA eius perdomiturum se Græciam : aut, si aliter euentus ferat, SINE eiusdem INFAMIA hostibus cessurum. Itidem Marcus Tullius in Manilianâ Pompeium docet præficiendum esse bello Mithridatico, tum ut propulsaretur calamitas, quæ urgebat; tum ut evitaretur malum, quod impendebat.

Quartus locus est *durabilis*, sive quod fieri potest. Maximè autem urget hic locus, cum docemus, aliquid non fieri modò posse, sed & facillimè fieri.

Quintus locus est *invidiosus*, sive *honestum ac gloriosum*: quod iisdem tractatur modis, quibus utile. Quippe hunc in modum argumentari licet: Si hoc feceris, præsentem tueberis dignitatem; speratam consequeris: infamiam præsentem avertes; eam, quam metuis, evitabis. Contrà, si non feceris, infamiâ præsentem non liberaberis; ea, quam metuis, tibi obtinget: præsentem amittes dignitatem; nec speratam adipisceris. Ita Tullius in Manilianâ probat, bellum Mithridaticum suscipi debere, quò deleatur ignominia, quam populo Romano inusserat Mithridates, cum unâ horâ tot occidi iussit civium Romanorum millia.

Sextus locus est *incertus*, sive *eventus*: qui locus bifariam explicatur. Nam nonnullis hæc sententia esse videtur; in utramvis partem eventus cadat, utilitas tamen ac gloria consequetur. E. G. Sive Romani vincant Mithridatem, sive non vincant; utile ac gloriosum fuerit, suscepisse adversus eum bellum. Alij vero per eventum intelligunt utilitatem, ac gloriam emanantem ex eâ utilitate, ut & gloriam, quæ proximè rem consequitur. E. G. Argumentum ab utili fit: Opem ferre debemus vicinæ nationi, ne veniat in hostium potestatem. At ab eventu fuerit: Si vicinæ genti servitus imponatur, nobis quoque maximum ab hostibus periculum imminet. Verùm Hermogenes pro ijs facit, qui utrumque probandi modum putant sub eventu contineri.

III. QVAS ORATIONES CICERONIS SEQVI POSSIMVS IN TRACTATIONE STATVS NEGOTIALIS: ET CVR HIC AGATVR DE LOCIS ATQVE EXEMPLIS EIVSCE STATVS, QUI PROPRIVS SIT GENERIS DELIBERATIVI.

VTITVR hoc statu Cicero in aliquammultis orationibus: uti in eâ, quæ est de provincijs consularibus. Nam suadet hæc, ut Syria Macedoniaque futuris decernantur consulibus; & Galliæ Cæsari non adimantur. Catilinaris etiam huc pertinere, ostendimus cap. tertio. De Manilianâ quoque semel & iterum diximus. Philippicæ etiam penè omnes huius sunt loci. Nam primâ hortatur Antonium & Dolabellam consules ad moderatè regendam Remp. Tertiâ auctor est, ut quæ Octavianus Cæsar egerat adversus Antonium, ea publicâ confirmetur auctoritate: ut idem imperatoriâ dignitate in Antonium eligatur: ut præmia decernantur legionibus, quæ ab Antonio defecerant ad Octavianum: ut D. Proutus, cæterique, suas retineant provincias; nec tradant cuiquam, nisi qui ex S. C. successerit. Quintâ dissuadet legationem ad Antonium, atque Antonij rescindendâ docet, ac prævia ijs decernenda, qui remp. adversus Antonium defendissent. Sextâ populum hortatur ad bellum Antonio inferendum. Septimâ pacem dissuadet cum Antonio, quia ea sit turpis, quia periculosa, quia esse non possit. Octavâ suadet, ut bellum, non tumultus decernatur. Nonâ probat, statuam pedestrem æneam in rostris ponendam Servio Sulpicio, qui in legatione obierat. Decimâ adversus Fufij Caleni sententiam suadet, ut Bruti acta Senatusconsulto confirmentur. Undecimâ auctor est, ut C. Cassius Dolabellam persequatur bello. Duodecimâ dissuadet legationem, sequæ eam ad rem non esse idoneum comprobat. Decimatertiâ adversus M. Lepidi consilium ostendit, non posse tutam iniri pacem cum Antonio, Antonianisque. Decimaquartâ ultimâque docet, non esse ponenda saga, nisi bello confecto: ac honores ijs decernendos, à quibus Antonius ad Mutinam victus erat.

Pluribus hæc commemorare visum fuit, quòd perspectum habeat artis huius studiosus, ex quibus potissimum orationibus addiscere possit *è præceptoribus*, atque usum eorum præceptorum, quæ de negotiali statu à Rhetoribus traduntur. Erunt autem fortean, quibus hæc

de ejufce status tam locis, quam exemplis, alieno loco perſecuti videamur. Nam cùm is status generis fit deliberativi proprius; iudicabunt, eo in genere tradi illa debuiſſe. Sanè potuiſſe, nos quoque agnoſcimus. Verùm quia hoc loco de ijs Hermogenes tractat; operæ duxi, pauca hæc exponere, quò eorum magis detegatur calumnia, qui iuventuti perſuaſum cupiunt, & rhetores antiquos ſolum docere, quo pacto conſcribillari ſoleant cauſæ forenſes. Hæc proſectò una unice cauſa eſt, cur ea hic potiùs, quàm in doctrinâ generis deliberativi, exponere voluerimus; quamquam vix aliud promiferim capite ſexto, quàm me acturum deinceps de ſtatibus, quatenus pertinent ad genus iudiciale.

IV. QUÆ GENERATIM AB ARISTOTELE DE STATU
IURIDICIALI TRADANTVR: ITEM EIVS DIVISIO
IN RATIONALEM, ET LEGALEM: ET VNDE LE-
GALIS DICATVR: ET QVO LOCO PROPRIE
DE EO AGI DEBEAT.

Nunc videamus de ſtatu iudiciali: qui bifariam conſideratur, generatim, & ſpeciatiim. Generatim de eo agit Ariſtoteles cap. xl *. Distinguit enim iuſtum, & iniuſtum; idque tum ratione fundamenti. i. legis; tum ratione obiecti. i. hominum. Siquidem docet, juſtum eſſe, quod fit ſecundùm legem, ſive privatam, ſive publicam; eamque ſive ſcriptam, ſive non ſcriptam: iniuſtum itidem eſſe, quod contra legem aliquam committitur. Similiter aſſerit, quodcunq; juſtum aut iniuſtum eſt, eſſe iſtiuſmodi, vel ratione boni communis, vel ratione boni particularis. Et hæc generatim de ſtatu iudiciali.

Species verò eius ſunt duæ: de quarum una, propriè loquendo, in iudicio: de altera ante iudicium diſceptatur. Poſterior horum vocatur *μετάλλωσις*, ſive ſtatus tranſlativus: eſtque non de qualitate facti, legis, aut ſcripti; ſed actionis, quæ intentatur, ut poſtea videbimus. Prior verò generis nomine dicitur iudicialis, ſed ſtrictius ea voce accepta.

Hic porrò à Fabio, & Hermogene, dividitur in *λογικόν*, ſive rationalem, & *νομικόν* ſive legalem: ille utitur ratione; hic dicitur ſcriptive autoritate. Vocatur autem *κατ' ἐξουσίαν, νομικόν*. h. e. legitimus, ſeu legalis; quia etſi multa ſunt ſcriptorum genera, ut teſtamenta, literæ, aliæque; inter omnia tamen familiam ducit *ὁ νόμος*: utpote quem
Stoici †,

* vulg.
cap. 13.

† lex.

Stoici † definiebant, πάντων * βασιλία δίδων τῇ ἀνθρωπείῳ φύσιν, † Chryssip-
 quique iuxta eos sit λόγος ὁρᾶς, σοφιστικῆς μὲν τῶν ποιητικῶν, ἀπαρο-
 ρητικῆς δὲ τῶν ἐπιτηδεύων † : quibus concinit illud Tullij Philipp. XII :
 Est enim lex nihil aliud, nisi recta & à numine Deorum tracta ratio, impe-
 rans honesta, prohibens contraria. Quibus gemina legere est lib. I. de
 legg. & primo de Nat. Deor.

Verùm cum status legitimus pertineat ad argumenta ἀπὸ αἰτίας ; nos
 verò etiamnum versemur in ἀτιμωσίᾳ : præteriri profectò à nobis de-
 buisset hæc status Iuridicialis distributio, nisi Hermogenis ordini
 insistere, eumque aperire voluiffemus. Atque ea ipsa ratio
 est, cur inferiùs etiam assignaturi sumus species huius status,
 quarum explicationem non immeritò quis iudicet reservandam
 fuisse, usque dum ad locos argumentorum inartificialium deven-
 tum fuisset.

V. STATUS RATIONALIS DISTRIBUTIO IN ABSO-
 LUTVM, ET ASSVMPTIVVM: ITEM QVINDECIM
 LOCI STATUS ABSOLVTI, IUXTA
 HERMOGENEM.

STATUS λογικῆς eidem Fabio, & Hermogeni, duplex est; absolu-
 tus, & assumptivus. Absolutus est, cum simpliciter ac directè fa-
 ctum defenditur. Ita (ut scribit Lucas in Actis cap. v. temate
 xxx.) beatus Petrus accusatus, quòd Christum doceret Hieroso-
 lymis, invito Cæsare, & sacerdotibus ; respondit, se rectè facere,
 quia οὐδεὶς ἔστιν δεῖ Θεῷ μάλλον, ἢ ἀνθρώποις † : quomodo & Socrates ait
 apud Platonem in Apologia, ποῖος μᾶλλον ἢ ὑμῖν *. Dici-
 tur hic status Græcè ἀντίληψις, quia est ἐναντία λήψις τῇ λήψει τῶ κατηγό-
 ρου, τὸτ' ἔστιν ἀπὸ προσβολῆς. i. propositio contraria adversarij propositioni.

Fortunatiano quatuor sunt loci status absoluti : lex, mos, secta,
 ars: quæ & exemplis declarat.

Vulgò autem eius sex faciunt locos : nempe jus naturæ ; legem
 scriptam, sive divinam, sive humanam ; consuetudinem ; ἐπίκαιραν, si-
 ve æquum & bonum ; iudicatum, sive exemplum ; & pactum.

Sed Hermogeni sunt loci quindecim. Eos illustrat exemplo de
 pictore, qui cum naufragij picturam in portibus dijs marinis sus-
 pendisset ; atque eâ re, tanquam malo omine, territi mercatores, in
 portus istos, summo Reipub. detrimento, desinissent appellere : eo
 nomine accusatus est publici criminis, aut læsæ majestatis.

Primus

Primus Hermogeni locus est *ἡ ἐπιπέτα*, sive propositio ipsa: quæ rectè, an secus, ab Hermogene inter capita ac locos ponatur, ostendimus cap. sept. Est autem *ἡ ἐπιπέτα* exemplum: Cùm tabulæ tuæ, quibus naufragia depinxisti, metum incusserint mercatoribus; atque eo factum sit, ut nulla instituantur commercia ac negotiationes: imminuisti pieturis vectigalia populi, eoque reus es lætæ Reip.

Alter continet *τὰ μέρη τῆ δικαίᾳ*, *partes juris*, quæ sunt iustitia, honestas, utilitas. Ita dicit pictor, se rectè fecisse, nec quicquam commississe contra leges: consentaneum esse hominum naturæ, ut casus humani oculis omnium subjiciantur: atque aded utile id esse, cùm periculorum metus adferat timorem Dei, ac in navigando reddat cautiore.

Tertius est *ἡ ἀπόδοσις*, seu *persona*: ut, Ego pictor sum, homo privatus, eoq̄ue Remp. lædere non possum.

Quartus est *ἡ ἔκδοσις*, sive *definitio*: ut, Pingere naufragia non est lædere Remp. cùm pictor non prodat hostibus vectigalia, classes, aliave Reip. commoda.

Quintus est *ἡ ἀναλογία*, sive *ratio*; quæ est refutatio allatæ definitionis. Ita dicit accusator, nihil referre, utrùm privatus lædat Remp. an qui gerit magistratum; nam obsit prodendis civibus, an pingendis tabulis; num ferro urbem perdat, an fame.

Sextus est *ἡ γνώμη τοῦ νόμου*, *sententia legislatoris*. Estque hic locus utriq̄ue parti communis, cùm aliud sensitse legislatorem dicat accusator, alium verò legis finem faciat reus. Porro hic locus non semper incidit, cùm sæpe nulla exstet lex de eo, quod in iudicium venit: atque inde est, quodd Hermogenes dicat, *εἰ ἐπιπέτα, si incidat*.

Septimus est *ἡ ἀνάγκη*, *quantitas rei*; quæ res exaggeratur: ut, Grave est Remp. pictoris culpâ defraudari vectigalibus.

Octavus est *ἡ ὁμοίωσις*, sive *comparatio*: quæ res magis quoque amplificatur, quàm factum loco superiori. Nam is simplicem tantùm amplificationem habet; hic geminaram. E.G. Gravius est facinus patriam à pictore atque opifice ijs spoliari, quæ importantur, quàm exercitum prodi. Nam sine militibus vivere potest Remp. sine frumento non potest.

Nonus est *ἡ ἀρτίωσις*, q.d. *contrastio*; quæ est qualitatis absolutæ repetitio: ut, Licet pictori pingere naufragia: nulla lex prohibet delubra, ac loca publica picturis exornare: fas est donaria suspendere Dijs immortalibus.

Decimus est *μετάληψις*, *translatio*. Ea fit bifariam, *επιδόσι*, & *ἀντιπροσάσει*. *Επιδόσι* est *ἀρνησις* *εναντία*, *negatio contraria*: ut, Nequaquam licet, quod obest Reip. *Ἀντιπροσάσει* (quam *χρηλιξίω* *obsistentiam* dixeris) concessione constat, & inficiatione. E, G. Licet quidvis pingere, cum ex eo nihil damni capit Resp. non item, quando ei detrimentum adfert. Artem ostentare concessum: at non quovis loco, nec cum damno populi.

Undecimus est *ἀντίθεσις*, *oppositio*: quâ aliquid adfertur contra *μετάληψιν*: ut, Volui mercatores, ac naviculariam facientes, commonefacere periculorum; ne se mari committant temerè, intempestivè, improvèdè.

Duodecimus est *ἐτέρα μετάληψις*, *altera transsumtio*: ut, Aliter debuisti consulere navigantibus: quando naves tutò per maria ambulant, scripto meliùs, quàm picturâ, commonstrasses: denique nihil istiusmodi factum oportuit, infcio atque inconsulto magistratu.

Decimus tertius est *θέσις*, sive *positio*: ut, Quisque pro viribus prodesse debet reip. Ego consului arte meâ, quantum potui.

Decimus quartus est *ποιοῦσις*, *qualitas personæ*, aut rei. Ubi de præstantia artis pictoriæ agetur.

Decimus quintus est *γνώμη*, i. *animus* sive sententia, non quidem legislatoris (nam hæc antecessit) sed alterius; puta rei, vel adversarij.

Docet autem Hermogenes, tum hunc, tum superiorem locum, eodem tractari modo, quo in finitivo. Quamobrem non necesse habemus, quicquam de ijs hoc loco adtexere; cum tractandi ratio peti possit ex ijs, quæ cap. antecedenti dicebamus.

VI. STATUS ABSOLUTVS DIVIDITVR IN SIMPLICEM, ET DVPLICEM: DVPLEX IN EVM, QVI CONIUNCTIONE, QUIQVE DIVISIONE EST DVPLEX.

STATUS absoluti duo sunt genera: nam vel simplex est, vel duplex. Simplex fit bifariam: nam vel factum propter se in iudicium venit, vel propter eventum. Prioris generis exemplum istiusmodi est apud auctorem ad Herennium: C. Popilius (ita legendum monuit Turnebus *) à Gallis obsessus, venit in congressum cum du-
* lib. 13.
advers.
cap. 13.

T

set,

set, accusatus est læsæ Reip. Conveniunt huic generi capita ac loci omnes, quos supra commemoravimus, præter penultimum, qui est *πίστις*, sive *qualitas* personæ. Nam cum Popilius fuerit imperator; haut verisimile futurum erat, eum adversus Remp. semper fuisse animo infenso infestoque.

Posterioris generis exemplum est illud de pictore. Neque enim tam accusabatur, quod pinxisset naufragia: quam quod picturæ eius omnes territi à navigatione desisterent. Et hæc de statu absoluto simplici.

Status absolutus is, quem duplicem vocabamus, bifariam instituitur: vel *ἔτι συνυπολόβω*, sive *coniunctione*, vel *ἔτι διαίρειν*, sive *divisione*.

Coniunctione fit, cum ex duobus criminibus, quæ obijciuntur, unum sine altero constare nequit; ut, quidam accusatur, quod in concione omnium contradixerit sententijs, nec propriam attulerit. Hoc in genere expedit, ut accusator utrumque commisceat crimen, quia id plurimum confert ad amplificandum. At reus separatim aget de utroque, quia hoc deterit atque imminuit culpam.

Divisione fit status absolutus duplex, cum utroque de crimine separatim in iudicio agi potest. E. G. quidam, cum multas duceret uxores, multosque adoptaret filios, accusatus est morum galbanorum, ac turpis vitæ. Hic quoque coniunctim de utroque crimine aget accusator: reus verò separatim. Et hæc de statu absoluto, in quo vix ulla exstat Ciceronis oratio. Nam largiter peccant, qui huc Milonianam referunt. Ad sensum ijs accommodaremus, si doceret Tullius, Milonem, interimendo civem nefarium, maximo Remp. metu liberasse, eique ob facinus hoc præclarum statuam erigi debere. Nunc sese res secus habet. Nam cædis culpam in ipsum confert Clodium, quem insidias struxisse ait: ut omnino planum sit, orationem eam pertinere ad *ἀντίθεσιν*, de quâ deinceps agendum.

VII. STATUS ASSUMPTIVI NATURA, TVM VNIVERSE EXPONITVR, TVM DISTINCTE, PRO QVA TVOR SPECIEBVVS, COMPARATIONE, RELATIONE, REMOTIONE, ET PURGATIONE.

ES T autem *ἀντίθεσις*, sive *qualitas assumpta*, cum per se debilis est defensio; sed colore, hoc est, probabili facti causâ foris assumptâ, iuvatur. *Ἀντίθεσις* vocatur, tum quia est *ἀδίκως ἐναντία τῆ ἀπληρώσει*,
CONTRARIIS

contraria positio, ac quasi præsidium contra statum ablutum : tum propter ἀπικαλίωξις. Comprehendit enim confessi nem, & compensationem: quomodo in Milonianâ ἐμολόγησις sive confessio est, cum fatetur Milo, se esse homicidam : ἀπικαλίωξις verò sive compensatio est, cum ait, se fecisse necessario, quòd Clodius infidias struxisset.

Est autem ἀντίδοσις Hermogeni quadruplex; ἀντίδοσις sive comparatio, ἀντέκλημα sive relatio criminis, μεταδοσις sive criminis remotio, & συγγνώμη sive concessio; sub quâ Cicero comprehendit purgationem, & deprecationem. Sed deprecatio non potest statui species status assumptivi, si rectè dicebamus antè, requiri semper in eo colorem, quo juvetur. Nam cum status omnis vel recipiat colorem, vel ἀρεμῶ + fit; solùm colorari possunt comparatio, relatio, remotio, & + colore deprecatio: deprecatio verò ἀρεμῶ + est: quippe ea, ut Martiani Ca- deffiniturus. pellæ verbis utar, nihil causationis associat, sed in exorandi humilitatem precesq; suspirat.

Comparatio, quæ Fortunatiago dicitur compensatio, fit, cum ostendimus è duobus alterutrum fuisse agendam, & quod à nobis factum est, satius fuisse fieri. Ita Athenienses †, cum sibi metuerent † Cor. Nep. à potentiâ Miltiadis, perpetuo eum carceri addixerunt; factumque in diltiade. id colore istiusmodi tuebantur; quòd præstabilius esset, unum Miltiadem innoxium poenâ affici, quàm Remp. universam in perpetuo tyrannidis metu versari: & Titus Manlius † filium securi percus- † Livius si, quòd mallet patrem forti filio, quàm patriam carere militari di- lib. 8. sciplinâ. Porro hæc ad comparisonem referuntur, quatenus ea instituitur in genere juridiciali. Nam absolute si consideretur, non minùs ad alia dicendi genera pertinet. Vt si quærat, num eloquentia præstet, an scientia juris civilis: num genus, an divitiæ præferendæ.

Relatio, quæ Græcis ἀντέκλημα, fit, cum in personam confertur culpa, quæ malum perpeffa est: quomodo Orestes in matrem, Horatius in sororem, Milo in Clodium, culpam transferebat.

Remotio, quæ Græcè μεταδοσις, est, cum culpam, vel in rem conferimus, quæ in iudicium vocari non possit; vel in personam, quæ non acceperit ipsamet malum. Prioris modi exemplum est apud Virgilium oratione Turni ad Drancem. Nam cum hic obiecisset Turno, tot illius causâ cæsa esse civium millia; non illud inficias ivit Turnus, nec potuit; sed belli istud naturæ tribuit. Exemplum in personam est, si quis adulterij commissi culpam in eam transferat, quæ philtro mentem reddidit dementem.

Plurimum autem differunt relatio, & remotio: quod vel nomina ipsa indicant. Nam in relatione, seu in recriminatione, refertur crimen: h. e. in eum ipsum confertur, qui malo affectus sit. Ut si dicatur, prius alterum iniuriã affecisse: id ne inultum ferret, par pari datum hostimentum. Itaque non se quis fecisse negat, sed jure fecisse ait. At in remotione non refertur in hunc, sed simpliciter à nobis removetur: h. e. in personam aliam, vel rem quampiam, transfertur. Ut si quis se à prætore dicat ingratijs ad depugnandum coactum; quã re non se, sed prætorem pugnæ, aut cædis, causam facit.

Est autem uterque hic locus planè vulgarius. Nam, ut ait Aufonius †;

Se quisque absolvere gestit,

Transferat ut proprias aliena in crimina culpas,

Κεράλαι sive locos comparationis, relationis, & remotionis, hoc loco præterimus; quòd eadem penè in ijs sit tractandi ratio, quæ in concessione.

Concessio, sive purgatio vocatur, cùm quis se consultò, aut dolo malo, fecisse negat, eoque non factum defendit, sed excusat. Ovid. 1. Trist. eleg. VIII.

* *Ergo ut defendi nullo mea posse colore,*

Sic excusari crimina posse puto.

Ferè autem aliquid factum dicitur, vel necessitate, vel fortunã, vel imprudentiã. Necessitate, ut, Non obii vadimonium, tempestatibus mihi iter præcludentibus. Ita Æneas apud Dionysium Halic. quòd Troiani, inopiã coacti, res usibus suis necessarias ex agris Aborigenum quærent, eo apud Latinum regem excusat, quia Ἄπει, συγγνώμης ἄξιον τὸ ἀλόσιον. Veniam meretur, quicquid præter voluntatem sit. Vbi fortunã factum dicatur, exemplum erit, Succubui prælio; sed fortunã adversã, non virtute, fui inferior. Imprudentiã exemplum sit, Cùm servo colaphum ducere vellem, percussi senatorem in proximo stantem.

Actor autem dicit, non esse necessitatem, sed iniuriam; non fortunam, sed culpam; non imprudentiam, sed malitiam.

VIII. VTRVM IN PURGATIONE MAGIS
SPECTETVR FACTVM, AN VO-
LUNTAS.

DEBERE autem in iudicando non tam attendi, quid aliquis fecerit, quam quid facere voluerit; etiam auctor est L. Seneca lib. II. de beneficiis: *Tiber quidam tyranni gladio divisit, qui ad eum occidendum venerat: non ideo illi tyrannus gratias egit, quod rem, quam medicorum manus reformidaverant, nocendo sanavit.* Idem quoque scripsit Tullius III. de Nat. Deorum: *Nec enim Herculi nocere Deianira voluit, quum ei tunicam sanguine Centauri tinctam dedit: nec prodesse Phereo Iasoni is, qui gladio vomitum eius aperuit, quam sanare medici non potuerant: multi enim & cum obesse vellent, profuerunt; & cum prodesse, obsuerunt.* Quamquam quod Iasoni Phereo tribuit Tullius (quem secutus Val. Maximus lib. I. cap. VII. I.) id Plutarchus †, ac Simplicius †, Aristotelis interpres, scribunt de Prometheo quodam. Vide Victorium lib. VII. Var. Lect. cap. IX. Exemplum planè geminum huic apud Herodotum lib. I. habemus de Adraſto interimente Cræsi filium, cui erant custos datus à patre. Cuius etiam rei meminit B. Basilius epist. CLXIV, quæ est ad Andronicum præfidem. Simile quoque apud Achillem Tatium † legere est de Menelao; qui itidem inter venandum, adolescentem, quem in oculis ferebat, iaculo traiecit, dum aprum, qui in adolescentem impetum faciebat, telo cogitat conficere. Adfider quoque ei exemplum Lucillæ, quæ maritum suum Lucretium (eum, cujus habemus libros de rerum naturâ, multis ingenii luminibus tinctos, multis etiam artis †) philtro in furorem adegit *, cum non necem inferre, aut mentem adimere, sed magis ab eo amari cuperet. Simile quoque exemplum habemus apud Aristotelem lib. I. Magn. Moral. cap. XVI. Latine illius mentem adponam, prout eam Alcæus expressit: *Ferunt, inquit, mulierem cuidam dedisse amatorium, quo ille mortem, oppetieris: ac mulier quidem apud Areopagitas super hoc factò accusata, indicam omnium sententijs absoluta fuit, ea de causa, quòd id minime prævidisset. Siquidem amore occacata id egerat, non ut hominem perderet, sed quòd uni sibi servaret. Vbi ergo animus delinquendi non est, ibi nec pœnam aut supplicium esse debere; cum ea dumtaxat crimina puniantur, quæ voluntaria sint.* Hæc ille. Aliter tamen super hæc se sensit Paullus Iurisc. I. si quis aliquid. ff. de pœn. *Qui, inquit, abortiois, aut amatorium poculum dant,*

† lib. de utilitate ex inimicis capienda. † in lib. secundum quos. d. expo. † lib. 2.

† M. Cic. I. 2. epist. ad Q. Fratrem. † Eusebius in Chron.

† libr. 7.
περί πρ.
Iurii cap.
25.

etsi dolo non faciunt, tamen quia mali exem. si res est, humiliores in metal-
lum, honestiores in insulam, amissâ parte bonorum, relegantur. Exem-
plum id potissimum adduci à Paulo, existimabat Alciatus †, quò
Aristotelis refelleret opinionem. Et sanè voluntatem sæpe absque
facto, & factum citra voluntatem puniri, ostendunt Guil. Forne-
rius lib. I. Selectionum cap. x. Radulphus Fornerius lib. III. Re-
rum quotidianarum cap. xvii. item lib. vi. cap. xxiv. Scipio Genti-
lis lib. I. περί πρ. cap. xxxi. atque alij longè plurimi.

IX. TREDECIM LOCI, QUIBUS IN PURGANDO
VTIMVR, EX HERMOGENIS DO-
CTRINA.

TRACTATVR purgatio hunc in modum. Centurio tempesta-
tibus impeditus non adfuit ad diem præstitutam. At lex est; In-
cum, qui tempori non adest, fustuario animadvertatur, ac postilla
inhonestâ dimittatur missione.

Προβολή sive *intentio* accusatoris est: Non adfuit ad diem præsti-
tutam. Hæc *προβολή* ponitur in exordio. Repetitur autem in nar-
ratione, quæ continet τὰ εἰς ἀρχὴν ἐκείνου τέλος, res omnes ab initio us-
que ad finem. Sunt enim in narratione semina confirmationis. Deni-
que μεταχρηστέα sive pertractatur confirmatione ipsâ.

Προβολή interdum excipit εἰς, sive *definitio* utriusque; quod &
agnoscit Marcellinus: at plurimum in his τὸ δευτέρῳ ἐκ ἐπιπέσει, non inci-
dit *definitio*.

Terminus est *διάνοια*, sive ἡ ἀποδείξις, voluntas ac consilium
defensoris: ut, Quodd non adfui temporis, id non factum aut timore,
aut perverciâ, sed necessitate.

Quartus est ἀντιθεσις, sive *oppositio* accusatoris: Non est ignoscen-
dum istiusmodi delictis, ne contingat, aliquè bis peccare in Kemp.
At defensor dicit, omnino ignoscendum esse ob necessitatem: nec
enim delicta esse, hæc ubi adest.

Quintus est ἐτέρας διάνοια, altera accusatoris *sententia*: ut, Non fa-
ctum necessitate; sed timore, aut pertinaciâ, aut animo perfido.
Reus verò ostendet, multa pugnare cum vanâ hæc opinione: illustra
enim comparere documenta, quibus probari queat, necessariò id
factum: testes adesse, quibus doceretur, non potuisse eo die flumen
trajici: se præsto fuisse ad amnem, nautam compellâsse, noluisse
eum se fluvio committere.

Sextus

Sextus erit *μετάληψις*, sive *transsumtio* accusatoris: non debuisset tam diu perfectionem differre: potuisse se itineri committere ante obortas tempestates.

Septimus continet τὰ αἰεὶ π, quæ sunt ad aliquid. Estque hic locus utrique parti communis. Nam accusator aliterit, turpius hoc esse facinus, quàm deferere aciem. At defensor dicit, si id peccatum sit, at humanum esse, & leve.

Octavus locus est βίαιος ὄρεσις, *definitio violenta*. Continet aliquid *παρὰ δόξαν* †, ac *ὑπερβολικόν* *. Estque communis utrique parti. Accusatoris ὄρεσις est: Hoc est pessimum dare Remp. Defensoris ἀποδοεισμοδὲ est: Qui quantum potuit operam dedit, ut rediret, rediisse iudicandus est.

† contra
hæc enim utri
opinionem
* supra ve
ritatem.

Nonus est θέσις, *propositum*, sive locus communis: ut, Oportet centurionem esse vigilantem; omniaque præstare, quod tempori adfit. At defensor dicit, sæpe caninam immitti scævam improvisi iudicem infortunii: multo maximam esse necessitatis vim, cuius, ut in Mimis scitè scripsit Dec. Laberius,

— cursus transversi impetum

Voluerunt multi effugere, pauci potuerunt.

Decimus est ἰτερος μετάληψις, *iterata ac repetita translatio*: ut, Oportuisset hoc Imperatori significari.

Undecimus est ἀντίληψις seu *contrasumptio* defensoris: Si alius fluvium trajicere potuisset, trajecissem & ipse.

Duodecimus est ποιότης, *qualitas* ab attributis personæ.

Decimus tertius ποία γνώμη, *qualis animus*. Qui duo loci eodem tractantur modo, quo in statu absoluto.

Et hæc de capitibus ac locis purgationis, aliorumque statuum, qui colorem recipiunt. Quia verò non sufficit διαπύα † præceptorum; verum etiam requiritur ἀκατάρησις ‡ in antiquis oratoribus: necesse quoque fuerit ulum horum præceptorum observare in orationibus Ciceronis, quæ ad status assumptivos pertinent. Istiusmodi inter alias est Miloniana, quæ ad relationem referri debet. Nam culpa cædis confertur in Clodium ipsum. Videtur & Pisoniana aliquid continere istiusmodi. Nam in Pisonem ipsum confertur culpa, quod revocatus sit è Macedonia.

X. QUATENVS DEPRECATIO AD STATVS PERTINEAT:
ET APVD QVOS EA MAXIME HABEAT LOCVM: AD-
HÆC QVIBVS ILLA ARGVMENTIS TRACTE-
TVR, TVM AB ACTORE, TVM
A R E O.

† coloris
ampere.

SVPEREST status *αἰσχυροῦ* †, quo culpam fatemur, sed ad miseri-
cordiam confugimus: ut, si quis, ob multa sua in Remp. merita,
unius criminis admitti postulet ignoscentiam. Itaque & *deprecatio*
dicitur, ac *status venialis*, quia, omni colore destituti, solum impa-
tientiæ veniam rogamus. Iuvenal. Sat. vi.

*Sei iacet in servi complexibus, aut Equitis, dic,
Dic aliquem sedes heic, Quirætiliane, colorem.
Hæremus, dic ipsa.*

Agitur autem hoc loco de veniali statu, non quia status assum-
ptivi species sit (contrarium enim superius evicimus) sed quia purga-
tionis plurimum subijci solet. E. G. Qui verberarit hominem li-
berum, is imprudentiâ factum dicit: quæ purgatio est. Et quia im-
prudentiæ culpa inest, confugiet ad veniæ postulationem: quæ de-
precatio est. Propriè autem ad statum pertinet negotialem, quia
disceptatio est de re futura: puta, num ignosci debeat, nec ne. Ac
habet apud populum, vel imperatorem, magis locum, quàm apud
iudices. Nam illi de jure suo remittere possunt; non item iudi-
ces. Attamen hîc etiam in parte aliquâ causæ fuerit ei locus. Ut, si
dicamus, & jure aliquid factum esse, & si non omni ex parte jure
factum videatur, ignosci nihilominus debere, ob præclara erga
Remp. merita.

Κεφάλαια deprecationis Hermogeni eadem sunt, quæ concessio-
nis. Itaque, uti in alijs statibus assumptivis, ita hic quoque *τῆ ἀρχῆς*
αἰ sive propositioni statim subijciet orator amplificationem à cir-
cumstantijs: sive, ut Hermogenes loquitur, *τὰ ἀπ' ἀρχῆς ἀρχετέλης*,
ea quæ ab initio ad finem, prout quoque appellat Fortunatianus. Por-
rò, quod Sopater quoque observavit, amplificatio hæc, cum in sta-
tu coniecturali pertineat ad signa; in remotione, deprecatione, ac
omnibus statibus assumptivis, refertur ad crimina, quæ propositione
exponuntur.

† apud
Vulcatium
Galicianum.

In hoc statu commendari potest clementia. De qua sic Cæsar
Antoninus ad Faustina[m] †: *Non enim quicquam est, quod Imperatorem
Romanum*

Romanum melius commendet gentibus, quam clementia. Hæc Cæsarem Deum fecit, hæc Augustum consecravit. Et Themistius in orat. *Τριῶν ὄντων, οἷς ὁ θεὸς διαφέρων θεὸς ἔστιν, αἰδιότης ζῶντος, & ἐνοχία δαυάμαως, τὴν δὲ διαλείπειν διπλοῦν ἀνδρώπυς, καὶ ἔτ' ἕν μόνον τὸ ζῶντος ἢ εἰρημῶν ἐφικτὴ βασιλείᾳ θεῷ τὸν διδόνῃ ὁμοιότης.* Cum tria sint Deo, quibus præcellat; *vita aternitas, potentia præstantia, & absque intermissione beneficentia erga homines: tantum uno istorum, quod postremò dixi, pervenire rex potest ad similitudinem cum Deo.* Vide &, quæ ad commendationem eius adfert Cassiodorus extremo lib. xi. Variarum.

Nec parum proderit exemplum prudentissimæ Atheniensium civitatis, quæ misericordiam non pro affectu, sed pro numine accepit; ut ait Fabius lib. v. cap. xi. Ac Eumenius quoque, orat. de scholis reparandis, aræ meminit, quam Misericordiæ statuerint. Vide & Baptistam Pium Annotat. Post. cap. XLVI. Romani quoque quanti eam fecerint, argumento est, quòd ij, ac imprimis posterioris ævi scriptores, clementiam soleant signare nomine pietatis. Claudianus Panegy. de IV. consul. Honorij:

Sis pius imprimis: nam cum vincamus in omnibus

Munere, sola Deos æquat clementia nobis.

Ita ob clementiam, ut aliqui voluere (nec enim de eo consentiunt veteres) Pij cognomen meruit Antoninus Imp. teste Spartiano, & Eutropio. Similiterque eâ voce usi Dracontius lib. i. Salvianus lib. i. de gubernat. Cassiodorus loco paullo antè indicato. Aliqua etiam de hæc ejus vocis acceptione annotavit Desiderius Heraldis in Arnobii lib. i. & VII.

Adversarius verò, utente reo deprecatione, dicit, in istiusmodi delictis nullum relinqui misericordiæ locum: quòd pertinet illud Epicæti, Stobæo etiam memoratum serm. XLIV: *Ὁ σὺ πρὸς ἀλλήθῃ, ἀκρίτως αἰτῶν τί σε ἔστι ἰδίω, ἢ δουρατῆ· ἄρα μηδὲ ἔχλον ἀδικῶς σε δουρατῆ τε πατεροπῆς.* Ut vulgus, semere si quippiam postulet ex rebus tuis, non movet te; sic nec quavis in re plebem iniuste aliquid orantem reverearis. Idem dicit, jurasse iudicem, se cum observatione legum iudicia dispositurum; ideoque non in hoc sedere eum, ut reis capularibus (ita capulo dignos à Cæcilio, Lucilio, ac Plauto vocatos, è Nonio & Fulgentio discimus) flagrantissima condonet flagitia; sed ut secundum leges iudicium ferat. οὐ γὰρ ἐπὶ τὰ τοιαῦτα ἡ δίκαιος, ἐπὶ τῷ καθαρῷ ἔργῳ γὰρ δίκαια, ἀλλ' ἐπὶ τῷ κρίσειν πάντα, ut est apud Platonem in Apologia. Ita Lysias, oratione contra Alcibiadem, monet iudices, ut meminerint, se in iudicium venisse, non ut novas leges ferrent; sed ut secundum

dum leges latas judicarent. Tull. quoque *1. de Invent. Indicia*, inquit, *qui ex lege iurati iudicatis, legibus obtemperare debent*. Id ipsum & *ἴσχυρος* indicat iudicis †. Nam ita dictus est ab officio, quod sententiam dicere debeat juri & legibus consentaneam, ut autor est Varro lib. *IV. de L.L.* & Isidorus lib. *X. Etym. cap. VIIII. Quemadmodum & iustitia est à jure*, ut iudicat Priscianus lib. *IV. non jus à iustitia*, uti scripsit Vlpianus: qui non tam attendit juris vocabulum, quam doctrinam juris, seu iurisprudentiam Romanam.

Exemplo in hoc statu fuerit Ligariama Ciceronis: quam merito pulcherrimam appellat Pomponius *I. C. * Quantopere etiam placuerit Attico, Balbo, Oppio, docebunt epist. XII, & XVIIII. lib. XIII. ad Att.* Et sanè quanta ejus sit venustas, quam mirifici ac illustres adfectus; vel eventus documento esse potuit. Nam, perorante Tullio, perspicuè cognitum, varios Cæsaris vultum colores subijisse, ac cum Pharsalici quoque prælij injecta esset mentio, aded contremuisse, ut & libelli quidam de manibus exciderint. Vide Plutarchum in vitâ Ciceronis.

XI. OCCURRITVR IIS, QUÆ OBIICI POSSINT
ADVERSVS SVPERIOREM DOCTRINAM
DE STATIVS ASSVMPTIVIS.

DIXIMVS, quæ imprimis necessaria sint ad naturam statuum assumptivorum cognoscendam. Deinceps producam, & inducam, quæ contra ea partim adferuntur ab aliis, partim posse adferri videntur.

Ac primò quidem accuratiùs intuenti videri possit translatio non tam ad juridicalem, quam ad conjecturalem statum pertinere. Nam in eâ de factò constat, de facti auctore quæritur. Estque in eâ sententiâ Iul. Scaliger †. Verùm nec ratione mihi defecti videntur, qui ad statum assumptivum retulerunt. Movit illos, quòd in coniecturali statu reus factum ita à se dimoveat, ut fecisse neget: at in translatione reus se fecisse non it inficias.

Alius alios scrupulus pungit. Videtur ijs *μετάληψις*, sive *translatio*, non esse status, eò quòd ab Aquilâ Romano, ac Martiano quoque Capellâ, referatur inter figuras sententiarum. Verùm, ut rectè inquit uterque, tum tantùm *μετάληψις* status est, cum rem aliò ita transmovemus, ut ibi totam constituamus causam: id eum non fit, *ἡ ἴσχυς* est *ἰσχυρός*.

Sunt

† Castiodorus lib. *11. Var. part. 40.*

* *L. L. D. de origin. iur. tit.*

† *lib. 2. de re poet. cap. 1.*

Sunt etiam, quibus divisio generis juridicialis rectæ rationis quasi scalpello circumcidenda videatur. Quippe comparationem, remotionem, translationem, & concessionem, subijcere malunt pathologiæ, quàm statui assumtivo: de quo, uti & de universis scitibus, non tam agunt, ut capiant alij, quàm ut carpant. At nos haut diffitemur, orationes omnes assumptivi status ad *παθητικῆς* quoque pertinere, quatenus in ijs orator concitat adfectum: verumtamen propriè eas, & primò, huius esse loci, existimamus. Neque ficulnâ subnixi sumus ratione, cum sine quo res esse possit, id neutiquam ad rei pertineat essentiam: at causa Orestis, ac similes, locum habuerunt in Areopago, in quo, ut superiùs quoque dicebamus, nullus affectibus erat relictus locus.

At saltem, inquirunt, illud extra omnem controversiam poni debet, statum venialem, sive deprecationem, esse alius loci, cum omnis in eo sit, ut cieat misericordiam. Verùm argumentum hoc ijs occinant, qui operosè huc inferciunt misericordiæ locum: nos ea res vix tangit. Quippe de misericordiâ vellicatim quidem aliquid nunc delibamus: verùm cum curâ de eâ, Aristotelis exemplo, dissertamus lib. proximo. Debuisse autem hîc quoque aliquid dici de statu veniali, argumentum nobis est, tum quòd in eo quædam quoque sunt argumenta *ἀποδεικτικὰ* *, sive *ἀδύνατα* †: tum quòd absque eo imperfecta sit statuum enumeratio; ut parebit ex ijs, quæ paulo pòst disputabimus adversus Trapezuntium.

Vnum præterea alterumque est, de quo iudicium meum suspensâ manu proferam: si non ob aliud, at ut eliciam, ac quasi exterebrem aliorum sententiam; à quibus, si erro, lubens ad verum converti me sinam. Tradunt omnes, qui aliquid de remotione scriptis confignarunt, eam vel in personam fieri, vel in rem: ijdem verò in purgatione quoque concedunt culpam conferri in rem. Itaque non immeritò quaritur, quomodo purgatio differat à remotione eâ, quæ in rem fit. Visus sibi hunc nodum solvere Tullius, cum primo de inventioni scribit, in remotione *alicui rei causam attribui, quæ voluntati fuerit impedimento sine concessionis partibus. Nam earum quædam major vis est.* Sensit igitur Tullius, ad purgationem referri imprudentiam, quæ fallit; casum, qui prohibet; necessitatem, quæ cogit: cætera ad remotionem referri debere, quia eorum minor vis est. Verùm, si mihi quoque sententiam dicere liceat, non ut patricio, aut consulari, sed tanquam ex ordine equestri meliorum inopiâ adlecto: non tam in Ciceronis, quamquam consularis viri, sententiam

* demon-
strativa.
† rationes.

pedibus ivero, quam adferam, verum mihi germanumque inter ea-
discrimen videri, quod in remotione concedatur facti intentio; in-
purgatione verò negetur. Sunt enim ea, quæ homines committunt,
partim *involuntaria*, seu *voluntaria*; partim *involuntaria*, five *non voluntaria*. In-
voluntaria culpa est, in *voluntaria* erratum. Si culpa fuerit, vel eam trans-
ferimus in personam, aut rem, ut in remotione fit: vel ignosci peti-
mus, quod deprecatione fit. Error verò ad purgationem pertinet,
quæ culpam remouet, ac voluntatem defendit. Itaque Ovidius fa-
ctum suum, non scelus, sed errorem haberi cupit. Sic enim loquitur:
Tristium lib. I. eleg. III:

Cælestique viro, quis me deceperit error;

Dicite, pro culpa ne scelus esse putet.

Et lib. III. eleg. I:

In quo poenarum, quas se meminisse fatetur.

Non facinus causam, sed suus error habet.

Item lib. I. de Ponto eleg. VII:

Quicquid id est, ut non facinus, sic culpa vocanda est.

Prævaricatur hæc in parte, ac quodammodo pro me pugnat ipse
Tullius. Siquidem apud eum istiusmodi adfertur exemplum re-
motionis in rem. Adolescens quidam accusatur, quod, Imperatore
turpissimum cum hoste foedus feriente, tenuerit porcã. Ita enim,
non *porcum* (ut hoc *De rebus animalibus* moneam) à Cicerone scri-
ptum est, tum MSSis, tum prælo excusis codicibus attestantibus: ut
omnino vigilanti placere non possit doctissimi Servij, penè dixerim
somnia: qui, quod in feccialium libris scriberetur, porcã ferien-
dum; nec meminisset, eampse porci vocem etiam dici de feminã
(unde & apud Tullium lib. II. de Leg. est: *Porco feminã piaculum
dare*) porcã semper in feriendo foedere adhibitum ait, lapsumque
(in supercilium Grammaticum) Maronem ipsum, cum ait, *Casã jun-
gebant foedera porcã*. Errãrit igitur Cicero quoque: errãrit Sueto-
nius, cum in Claudio scribit: *Cum regibus foedus in foro icit porcã ca-
sã, ac veterè feccialium præfatione adhibita*. Verum redeamus ad id,
unde abduxit nobilis Grammaticus. Adolescens sanè haut diffite-
tur, se tenuisse porcã; verum eo crimen depellit, quod; quia id
ætatis, insuperque privatus erat, planè sibi parendum fuerit il-
li, qui summo cum imperio & autoritate missus esset. Ac ido-
neum quidem hoc exemplum est remotiois in rem. Res enim, cui
culpam assignat, est ætas ac conditio vitæ; quod adolescens, priva-
tus; alter summo cum imperio esset. Verumtamen, hoc qui argu-
mento

obiter.

cap. 25.

mento utatur, haut levi adeò tibicine suam mihi videatur suffulci-
 re sententiam, quàm qui, uti in purgatione fit, imprudentià a liquid-
 à se factum adserat, atque ita necesse habeat confugere ad calcatum,
 illud, **NON PVLTARAM**. Quippe hoc in adolescentibus quidem
 veniam meretur, at in natu grandibus nequaquam locum habet,
 quemadmodum aliquot veterum *de moribus* † ostendit P. Victorius
 lib. v. Var. Lect. cap. xix. Argumento huic alterum quoque succe-
 daneum addam: Hominem puto neminem tam à communi sensu
 sequestratum reperiri, qui inficias eat, isthoc, quod paulò antè è
 Tullio exemplum remotionis adducebamus, languidius imbecil-
 liusque esse, quàm si sacerdos, quòd Calendis sacrum haut fecerit,
 culpam impingat in oblivionem. At hoc planè purgationis exem-
 plum est, cum Martianus Capella imprudentiæ subijciat ignoran-
 tiam, ebrietatem, oblivionem, ac dementiam: Fortunatianus verò
 oblivionem quoque locum faciat à tribus purgationis capitibus di-
 stinctum: in quo, utrum sequamur, parum interest. Quare, ut ves-
 tigia mea relegam, censeo, remotionem in rem, ac purgationem,
 eo differre duntaxat, quòd illa voluntatem sive intentionem facti
 concedat; hæc consultò quid factum neget. Ita in exemplo Tullia-
 no adolescens haut eo se excusat, quòd aut ignorantia, aut invitus
 tenuerit porcam; verum totum hoc, quod crimini datur, hautqua-
 quam ad se pertinere ait, quia & adolescens, & privatus erat. Hæc
 igitur remotio fit. Itidem remotione utetur, si quis, cum missus es-
 set ad expugnandam hostium civitatem, cum eam invidisset labo-
 rare pestilentia, exercitum reduxerit. Neque enim negabit id cer-
 to à se confilio factum: verum culpam transferet in luem. At con-
 trà purgatione utetur orator, qui, ab hostibus captus, eorum laud-
 es scribere sit coactus. Nam se invitum fecisse dicit. Par ratio,
 si quis morbo impeditus culpam avertat in infortunium. Nam vol-
 untatem atque industriam defendet, quam morbus sufflaminarit.
 Spisè verò errat Martianus Capella, qui id remotionis in rem
 exemplum facit. Fortassean nec hilo rectius Fortunatianus (cui
 inter alios subscribit Petrus Nunnescius) remotioni subijcit leges,
 cum scribit; *In legem possumus removere? Possumus: sed hoc idem acci-
 pinus, quod est, cum in rem removemus.* Certè cum iudicium sit legi-
 bus obtemperare; non video, quomodo in iudicio culpa in leges
 impingi possit. Nam cujus causa legum patrociniò subnixæ est, is
 haut extrinsecus facto colorem quæret; sed *etiam* se ex legum præ-
 scripto fecisse dicit. Et profectò ipse Fortunatianus aliquanto antè

† locis.

quatuor fecerat loca statuti absoluti; legem, morem, sectam, artem. Potest quidem lex ad assumptivum quoque statum referri; ut, cum Antiphonem Terentianum patri Demiphonti purgant de ducta uxore; quod id fecerit invitus, coactus legibus *. Verum hæc proprie non remotio, sed purgatio est; quia simulatur id non consulto factum, sed coactè.

* Adcl.
ad. 2. sc. 1.

Contrà non tam ad purgationem, quam remotionem, pertinere arbitror, cum quis culpam avertit in adfectum: uti cum Chærea Terentianus † eam rejicit in amorem. Ait enim;

† Eunuchi.
ad. 5. sc. 2.

Vnum hoc scito, contumelia

Non me fecisse causâ, sed amoris.

Par ratio fuerit, si in metum, aut iracundiam, culpam transferamus. Nam affectu qui peccat, consulto peccat. Nonnulli tamen hæc, ac similia, ad deprecationem referre malunt, quia affectus culpam neutiquam tollit; ut omnino deprecatione opus sit: estque eâ quoque in sententiâ Nascimbænus Nascimbænius †. Verum ad sensum eâ in re meum haut parum moratur, quod qui affectu quopiam culpam præterit, is facto colorem quærat: deprecatio verò sit status ἀρεῶν †, quia solum ignoscendi continet postulationem. Nec iccirco deprecatio statuum sive constitutionum numero expelli debet, quæ Georgij Trapezuntij * sententia est. Nam etsi nec factum defendit, nec facti causam, nec ipsam intentionem, eoque jure ἀρεῶν † dicitur: non tamen iccirco ἀρεῶν † † credi debet. Siquidem reus rationes adhibet, quibus se, ut ignoscatur, impetraturum sperat; ut, quia illud, in quo deliquit, planè fuerit operosum atque arduum. Atqui, ut Tertullianus ait *, *Difficilius facilius est venia. Item* quod judices & alij antea in simili ignoverint delicto: quod majora sint sua, suorumque beneficia, quam ea, quæ commisit: tum autem, si huic delicto venia detur, non exiguum ex se emolumentum percipi posse. Ita Chærea ille Terentianus ait †:

† comment.
in Cic. lib.
de invecti-
one.

† coloris
expers.
* lib. 1.
Rhet.

† coloris
expers.
† inavertis-
ialis.
* in initio libri
2. ad uxori.

* Ad. 5.
sc. 2.

*At nunc dehinc spero aternam inter nos gratiam
Fore, Thais. Sæpe ex huiusmodi re quapiam, &
Malo principio magna familiaritas
Conflata est. quid si hoc quispiam voluit Deus?*

Adversarius autem negabit, ei ignosci debere, quia ipse sit immisericors; quia maiora sint malefacta, ac pro benefactis jam antè præmium reportarit; aliaque id genus, quæ liquidò arguunt, in deprecatione etiam accusationem ac defensionem, eoque statum inveniri. Quare nec deprecatio ἀρεῶν est ἀρεῶν: sed talis quidem est, si
species

fectes voluntatem, quæ haut defenditur; non item, si veniam, quæ rationibus postulatur. Vtrumque ex ipsâ huius definitione planum fit. Nam, ut ἐναργῶς ἢ ἐναργῶς † scripsit Fortunatianus † *clare, & efficaciter*, deprecativa venia fit, cum nulla potest esse defensio; sed eum, cui liceat ignoscere, tantummodo deprecamur; quoniam negare non possumus, nos voluntate fecisse id, propter quod arguimur. Ita eum locum emendo, pro quo in Aldinâ & Pythæcanâ editione malè legitur: non possumus non voluntate fecisse. Similem (ut hoc mantissæ loco huic capiti appendam) fraudem mihi fraus videntur librarij apud Tullium lib. II. de Invent. quo loco de concessione pertractat. Legitur enim vulgò: *Concessio est, per quam non factum ipsum improbat ab reo, sed ut ignoscatur, id peritur.* Quem locum ne quidem gentium Deus Hermes possit *ἀπυλωθεῖν* †. Nam concessionem dividit Tullius in † *interpretari* purgationem & deprecationem: purgatio verò ei definitur, per quam eius, qui accusatur, non factum, sed voluntas defenditur. Pugnatio autem hæc; in concessione voluntatem improbari; in purgatione, quæ concessionis pars est, voluntatem defendi. Itaque concessionis definitionem leniter leviterque immuto, ac lego: *per quam non factum ipsum probatur ab reo &c.* Et hæc hæcenus: nunc videamus de qualitate *ρομῆς*, sive legali.

CAP. X.

DE STATIBUS LEGALIBUS.

STATVS legitimus est quadruplex. Primus est scripti & sententiæ, cum aliud scriptum est, alia mens videtur scriptoris; & unus scripto, alter sententiâ scriptoris nititur. Hic æquitas & summum jus committuntur.

Alter est ratiocinatio, quæ ex eo, quod scriptum est, aliud non scriptum colligimus, quod par ejus sit ratio.

Tertius est legis contradictio; cum nempe vel lex eadem secum, vel leges due inter se pugnant.

Quartus est ambiguitas orationis, quæ oritur vel mutatione ascentus, vel divisione dictionis, vel ob varias vocis significationes.

Vicina huic, vel fortasse eius species est, quæ Ciceroni definitio vocatur. Differt ea à statû definitivo, quatenus nomen hoc etiam convenit uni ex quatuor statibus primarijs, quia illo de facti nomine, hic de vi verbi queratur.

Adjungit Hermogenes statibus legalibus *μετάφρασην*, sive translationem.

nem, quia tum demum perfecta est, quando lege mittitur. Differt autem à cæteris statibus, quod illi sint de re, hic de actione. Siquidem translatio nihil aliud est, quam iudicis, aut iudicij remotio. Fit ea quadrifariam. Primo à personâ; cum non is agit, quem oportet, aut cum eo, quicum oportet. Deinde à loco; cum alibi, non apud quos convenit, intenditur actio. Tertio à tempore; ut, si quem olim dicamus accusari potuisse, nunc non posse. Postremo à re; cum negatur agendum hæc lege, hæc pœnâ, ob hoc crimen.

I. DE STATV LEGALI VNIVERSE, ET SPECIATIM DE EO, QVI SCRIPTI ET SENTENTIAE DICITVR.

STATVS Qualitatis vocatur, sive legitimæ, Ciceroni in Partitionibus est triplex; ex ambiguo, ex scripto & sententiâ, & ex contrarijs legibus. Hermogenes his tribus adijcit syllogismum. Cicero verò, lib. II. de Inventione, quinque enumerat species, ac superioribus quatuor addit definitionem. Auctor ad Herennium lib. I. etiam sextam speciem adjungit, quæ translatio dicitur. De singulis videamus.

* *questio dicti*, & *sententia. † dictum. ‡ pro scripto.* Primus Hermogeni status est ἡ ἐκ τῆς ἀπορίας καὶ διαβολῆς ἐπινοία*: quo loco *ἀπορία* † ponitur *ἀρετὴ τῆς ἐπινοίας* ‡: unde Latinis vocatur status scripti & sententiæ. Illustre eius exemplum habemus apud Cornelium Nepotem in Epaminonda: *Lex erat Thebis, quæ morte multabat, si quis imperium diutius retinisset, quam lege præfinitum foret. Hanc Epaminondas cum Reip. causâ latam videret, ad perniciem civitatis conferre noluit, & quatuor mensibus diutius, quam populus jussisset, gessit imperium. Postquam domum reditum esset, collegæ eius hoc crimine accusabantur, quibus ille permisit, ut omnem causam in se transferrent. &c. Meminere huius rei etiam Tullius in primo de Inventione, Plutarchus in apophthegmatis regum ac ducum, Ælianus lib. XIII. Var. Hist. cap. xlii. Nempe actores τῆς ἀπορίας urfere: Epaminondas defensio τῆς διαβολῆς. Etiam aliâ quædam huius status exempla adfert Hottomanus lib. VI. observationum Juris cap. XXI. Apud Hermogenem exemplum est istiusmodi. Lex est; Si alienigena murum ascendat, mortis afficiatur supplicio. Peregrinus quispiam in civitatis obsidione murum conscendit, contra hostes pugnavit, fortiter rem gessit, oppidumque, & cives conservavit, atque hac propter præmium expectat. At alij, seu invidiâ, seu incitiâ, præmio ornandam*

ornandum negant; quin exemplum in eum fieri petunt.

Κεφάλαια hoc in statu sunt quatuordecim.

I. Προβολή, sive *intentio* est, Violaſti legem; quia murum conſcendiſti.

II. Διάδοια sive *αεσαίρεσις*, *ſententia* sive *propoſitum*. Eſtque partim legiſſatoris, partim rei. In legiſſatoris ſententiâ tria ſunt exquirenda. Primum τὸ ὅτε, *quando*: ut, Tempore pacis noluit legiſſator quemquam murum adſcendere, quòd res eſſet mali exempli: at conſeſſit, ut id fiat tempore belli, quia tum neceſſitas exigit. Deinde videndum ἐπὶ τίς, *quibus in rebus*: ut, Muros licet conſcendere, cùm jubet tribunus, ut omnes ſequantur. Eſt enim tum mandatum, cùm tribunus non exceperit peregrinos. Præterea inſpiciendum διὰ τί, *propter quid*: ut, Non licet aſcendere voluptatis gratiâ, vel aliâ levi de cauſâ: at licet, ſiquis id faciat, ut cives defendat: aut aliâ, ut vitam alterius eripiat ab iniuſtâ cæde: quomodo Racheab ꝑ cupa, sive copa (ita Latini ꝑ vocant eam, quæ cauponiam exercet) exploratores ſune demifit per fenestram ædium ſuarum, quæ in mœnibus erant: quomodo item B. Paulus * Damafci periclitans per ſportam demifſus eſt. Nam convenit, leges latas eſſe ob publicam ſalutem: hanc ſupremam eſſe legem. Quod igitur utile & ſalutare eſt Reip. id legibus non adverſari.

ꝑ Toſ. 2. 25;
ꝑ Cic. in
Diſ. ꝑ am-
tor carmi-
nis, quod
Copa in-
ſcribitur.
* Act. 9.

III. Προδοεισμός Ἐξαλειφθῆς, *exceptio præterita*. Eſt hic locus eius, qui utitur τὸ ἐπιτό, sive ſcripto. Vt, Nihil tale expreſſit legiſſator: ſed tantummodo ait, Ne alienigena muros conſcendito.

IV. Β' τῆς διάνοια, *altera ſententia*: qui locus eſt utrique parti communis. Nam reus dicit, Non adſcripſit hoc legiſſator, quia in rebus apertis non opus eſt exceptione. At actor dicit, Imò non adſcripſit, quòd prorſus noluerit peregrinum muros conſcendere.

V. Συμφορμός, sive *ratiocinatio*. Ita reus dicit, Parum referre, utrùm id ſit adſcriptum, nec ne; cùm exceptio legis ſit, ubicunque aliud jubet neceſſitas. At actor contendet, permagni referre, ſitne adſcriptum, nec ne. Eſt igitur hoc caput τήμωνις τὸ ἴσον, *aſſimatio reum parium*. Nam reus paria eſſet vult, imparia actor.

VI. Ὁρισμός, sive *definitio* defenſoris: quòd plurimum interſit, num muros conſcendamus cùm hoſtes adſunt, an aliâs; puta tempore non neceſſario.

VII, Ἀντίθεσις, h. e. aliqua è qualitatibus aſſumptivis. Ita μεταθεσις, sive *translatio* ſit. Feci propter ſalutem patriæ, juſta tribuni, hortatu eorum, qui peregrini non erant. Ἀντίθεσις verò,

five *comparatio* fuerit : Satius est legem violari , quàm urbem per-
di.

VIII. *Μετάνησις*, five *transumptio* : h. e. vituperatio modi ,
quo quid actum. Vt, Poteras te adfociare iis , qui pugnabant intra
muros.

IX. *Τὸ ὄψιν π.* ad aliquid : estque comparatio maleficij cum be-
neficio. Actor dicet , maius esse delictum , quàm beneficium , quia
alijs janua sit patefacta ad violandum legem. Reus adferet , majus
esse beneficium suum , quàm maleficium : nam legem negligendo
nihil se damni dedisse cuiquam : at urbem conservando optimè se-
de cunctis civibus esse commeritum.

X. *Ὁ ἄστυ*, *definitio violentiæ* , quæ utrique parti est com-
munis. Dicit accusator , Legem violare est quasi vitam eripere ci-
vitati , quia leges sunt velut anima Rerumpubl. At reus hæc inver-
tet : Civitatem , inquiet , servare , est leges colere , quia salus populi
suprema lex est.

XI. *Ὁμοίωσις*, five *positio* utriusque. Estque locus cõmunis , de officio
militari : itẽ de legibus , earumque interpretatione. Pertinet huc illud
Paulli l. ad exhibendum. ff. ad exhibendum. *Non oportere ius civile ca-
lumniari : neque verba captari : sed quã mente quid diceretur , animadvertere
convenire.* Nam , ut ait pro Cæcinã Cicero ; *Quæ lex , quod senatus con-
sultum , quod magistratus edictum , quod sedus aut pactio , quod testamen-
tum , quæ iudicia aut stipulationes , aut pacti conventi formula , non infirma-
ri & confelli potest , si ad verba rem despectere velimus ; consilium autem eo-
rum , qui scripserunt , & rationem , & auctoritatem relinquamus ?* Atque
hæc ratio fuit , cur Lycurgus † paucas tulerit leges , verùm litium
disceptationes iudicum reliquerit fidei. At alter dicet , non inter-
pretari legem , sed divinare eum , qui verbis legis non insistit ; imò
ex iudice fieri legislatores.

† Plutarch.
in Lycurgo,
& Apophth.

XII. *Ἐπίθετος μετάνησις*, *altera transumptio*. Vt , accusator dicet ,
Debuiſti veniam petere à magistratu. Reus adferet , se , angustiã
temporis exclusivum , id facere non potuisse.

XIII. *Ποιότης* , *qualitas* ab attributis personæ.

XIV. *Γνώμη* , five *animus*. Vt roque de loco diximus in statibus
antecedentibus.

Proximum est , ut , velut in superioribus statibus factum est , ita
hic quoque ostendamus , quas Ciceronis orationes hoc in genere
imitari conveniat. Ac illustris quidem est illa pro Cæcinã , cuius
isthoc elogium legere est apud ipsium Tullium in Bruto : *Tota mihi
causã*

caussa pro Cacinâ de verbis interdicti fuit: res involutas definiendo explicavimus, jus civile laudavimus, verba ambigua distinximus. Est & magna ex parte huius generis oratio pro Balbo. Nam quæritur eâ, de sententiâ legis Gelliæ ac Cornelix. Item illa de haruspicum responsis, quâ disceptatio est de interpretatione responsi aruspicum: quippe hi, factis prodigijs, dixerant, deos esse iratos, quòd loca sacra & religiosa profana haberentur. Itaque Clodius, occasione hâc arreptâ, concionem habuit, quâ Ciceronis domum inter eâ esse dixit, quæ è sacris reddita essent profana. At Tullius postredie in senatu ostendit, Clodij facta notari haruspicum responsis. Est etiam pars Plancianæ huius loci; ut quâ disputer de lege Liciniâ, cuius caput unum erat de sodalitijs; alterum de ambitu. Erat autem Plancius à Iuventio Laterensi ambitus accusatus. Incidit quoque hic status in eam partem orationis pro Quinctio, quâ Cicero contendit, Quinctij bona à Nævio non esse possessa ex edicto Prætoris. Agnoscit quoque hunc statum pars ea Milonianæ, quâ interpretatur Tullius decretum Senatus. Nam Clodiani dicebant, Senatum iudicasse eadem Clodij contra Remp. esse factam; qui tamen haut aliud deereverat, quàm ut Lepidus Interrex, Tribuni Pleb. & Pompeius, viderent, nequid Resp. caperet detrimenti. Hæc de statu scripti & sententiæ.

II. DE SECVNDO STATV LEGALI, QVI RATIO-
CINATIO DICITVR.

PROXI MVM locum obrinet *συλλογισμὸς*, sive ratiocinatio. Ita appellatur, juxta magistrum Herennianum *, *cum res sine propria lege venit in iudicium, quæ tamen ab alijs legibus similitudinem quandam accipitur.* Cicero in Rhetoricorum, ex ratiocinatione ait nasci controversiam, *cum ex eo, quod usquam est, ad id, quod nusquam scriptum est, pervenitur.* Exemplum huiusce status fuerit: Lex est, ne meretrice prognatus habeat concionem ad populum. Causam agere vult filius lenonis: sed prohibetur à magistratu, non aliâ de causâ, quàm quia sit filius eius, qui lenocinium fecerit. Respondet ille, tantummodo lege cautum esse de eo, cujus mater corpus in vulgus dederit: se natum esse ex legitimâ patris sui coniuge. Verùm rectè oggerit magistratus, finem fuisse legislatoris honestatem publicam. Cùm autem, & qui prostituunt, & quæ prostant, sint *δυσχερῆματα* * (unde inter Cæsaris Caligulæ probra meritò reponitur, quòd

* *personæ infames.*

† Sueton.
Calig.

quodd lege sanxerit †, ut tenerentur publico, & qua meretricium, & qui lenocinium fecissent) honestati publicæ non minùs adversari, si filius concionetur lenonis, quàm si natus muliere quæstuariâ. Ab istiusmodi causâ haut multùm abludivit oratio ea Æschini, quâ Timarchum à concione arcendum contendit, cùm ob patrimonium profusum, tum imprimis ob crimen impudicitæ in se admissum. Sed & alios inibi enumerat, quibus publicè verba facere non liceret. Exemplum quoque fuerit συλλογισμῶν, si pater filium ebriosum homicidij accuset, quia tantundem sit semel sibi manus adferre, & plurius se actibus occidere; ut dicebat Parisiensis cancellarius, Ioannes Gerson.

† lib. 7.

Fit autem ratiocinatio quadrifariam, à pari, à majori, à minori, five, ut Quintilianus † vocat, ab eo quod antè ad id quod postea, ac denique à contrario. A pari est, si quis matricidam eodem contendat afficiendum supplicio, quo patricidam. Lex autem sub imperatoribus erat, ut, qui patre'n interemisset, culeo cum gallo galinaceo, viperâ, & simiâ infueretur, & vectus plastro, nigris bubus juncto, in mare præcipitaretur; aut flumen, si mare vicinum non esset *. A maiori est; Cùm lege liceat interimere transfugam redeuntem; non peccavi eum verberibus cædendo. A minori est; Cùm præmium debeatur ei, qui militem defendit; meritò petit præmium, qui servavit Imperatorem. A contrario est; Cùm ei, qui in bello bene rem gerit, præmium à duce decernatur; meritò quoque ab eodem poena irrogatur è proelio fugientibus.

* Instit. tit.
ult. lib. 4.
paræq. Alia
deinde. l. 1.
C. de iis qui
parentes. l.
9. ff. de lege
Pompeia de
paricid.
Αδελανῶ
Συμφάσις
in Gloss.
vet. ab H.
Steph. e-
dito. Vide
inter alios
Colerum
παρέρρωρ
cap. 3. &
imprimis
Guldastum
in notis ad
Dositheum.

In hisce omnibus modis ijdem sunt loci, qui in statu definitivo: tantum est hic κεφαλαίων ἀναλλογή, five ordinis commutatio: nempe in quatuor primis capitibus. Nam ἀποβολῶν hic excipit ἔνταθ, five scriptum. Hinc collocatur συλλογισμῶς, quem accusator opponit τῷ ἔνταθ. Sequitur deinde ἡ γνώμη τῶ νομοθέτου, sententia legislatoris: quæ utriusque parti communis est. Reliqua capita Hermogenes petere jubet è statu definitivo: nempe quia & eadem sunt, & eodem tractantur ordine. Atque hæc ratio est, cur nonnulli de ratiocinatione continuò tractent post statum definitivum. Nos insistere maluimus ordinì Hermogenis, ne commisceantur status rationales, ac legales.

Monet autem Syrianus, quemadmodum hic status in quosvis incidit status; ita in hunc quoque statum incidere statum coniecturalem: ut cùm coniecturâ est indagandum, quæ mens fuerit legislatoris.

Nulla existat Ciceronis in hocce statu oratio: incident tamen nonnulla

nonnulla apud eum, quæ huc referri possint. Istiusmodi est illud pro Cæcinâ : *Quibus enim rebus plerumque vis fit, eiusmodi res appellantur interdicto : si per alias res eadem facta vis est, ea tamesi verbis interdicii non concluduntur, tamen sententiâ juris atque auctoritate retinentur.* Sunt & quædam alia inibi huiusce generis ; uti illud : *Lex usum, & auctoritatem, fundi jubet esse biennium: at utimur eodem jure in adibus, quæ in lege non appellantur.* Sed de ratiocinatione hæcenus.

III. DE STATV CONTRARIARVM LEGVM.

TERTIVS status est ἀρρηκία, legis contradicção. Ea vel oritur ex duabus, pluribusve legibus pugnantibus; vel etiam ex unâ lege, cuius plura sunt capita, quæ casu contraria fiunt. Primi modi exemplum est. Lex una est : *Mas templum Cereris ne ingrediatur.* Altera est : *Qui opem parentibus non tulerit, gravi poenâ multator.* At in templo Cereris vapulanti matri opem tulit filius. Accusatur. Itidem lex una est : *Qui tempestate coortâ solus in navigio remanserit, is navem possideto.* Altera est : *Ne filius abdicatus paterna possideat bona.* At remansit in navi filius, quem pater abdicaverat. Hic igitur ratione prioris legis vindicat sibi navem. Sed dicam ei scribit alter filius, ed quodd lege alterâ, qui exhæres sit, haut patrimonij particeps esse possit. Posterioris modi exemplum est istiusmodi. Lex est : *Siquis virginem imminuerit, illa potestatem habeto eligendi eius vel mortem, vel coniugium.* Est qui duabus vitium obtulerit, quarum una violatorem capit *uri virgis, ferroq; necari*, ut inquit Flaccus †; †lib. 2. altera non viripotens fortè, sed virosa magis, matrimonium expe- Sat. 7. tit. Itaque hoc casu in unâ eademque lege contradicção est.

Κεφάλαια in hoc statu Hermogeni sunt tredecim.

Primum est ἀποβολή, sive intentio accusatoris. Vt, Non debetur tibi navis, cum pater te scripserit exhæredem.

Alterum est διάνοια, sive sententiâ. Vt, Non peto navem, ut filius; fed ut alienus: non iure sanguinis; sed virtutis ergò, quia navem conservavi.

Tertium est ἐπέεσ ἀποβολή, altera propositio: quæ petitoris διάνοια confirmat. Vt, Lex jubet, ut navis eius sit, qui tempestatu tempore solus in eâ remanserit.

Quartus est ἐπέεσ διάνοια, altera sententiâ: quæ petitoris διάνοια refutat. Vt, Lex navim alienam dari vult remanenti in navi: at prohibet dari navem paternam filio exhæredi.

Quincta est ἀρτίστος, *qualitas assumptiva*: estque communis utri-que parti. Accusatoris ἀρτίστος est, At pater exhæredem te fecit bonis suis. Rei ἀρτίστος est, At solus remansi in nave.

Sextum est μετάληψις, *translatio*, seu præscriptio. Estque tum iudicij, tum facti. Iudicij, ut, Non jam tempus est obijciendi, quod pater me exhæredarit. Facti, ut, Si pater superstes foret, me quoque hæreditatem vellet cernere, ob hoc egregium facinus. At accusator dicit, potuisse eum maiora virtutis suæ documenta dare, pugnando cum enormibus vitijs, ob quæ pater exhæredem fecit; quàm temere sese navi committendo, pugnandove cum mari, ac infans fluctibus.

Septimum est, τὸ ὀλίγον, *sive quantitas comparata*: estque nihil aliud, quàm duarum legum comparatio. Ea fit quadrifariam. Primum ratione temporis. Nam pro quo facit antiquior lex, is huius dicit ob vetustatem votissimum esse habendam rationem. At cui favet, quæ posterius lata est, is adferet, novis legibus veteres antiquari. Deinde ratione personarum. E. G. Lex de abdicatis lata est à Solone, legislatore sapientissimo: tuam vel Chærephon constituit, vel Midias tulit, uterque prætor improbus. Tertio ratione amplitudinis. Vt, Illa de exhæredatis lex est communis: tua unius est civitatis. Quarto ratione effectorum. Vt, Maior utilitas est legis de exhæredibus, quàm alterius de navis possessore.

Octavum est ἡ βία δρῶν, *violenta definitio*. Actor dicit, Eius est navis, qui possedit; nec vendidit, aut alij donavit. Petitor inquiet, Non patris erat navis, sed tempestatis: non ut hæredi navis de- tur mihi; sed ut donata à Neptuno, aut ut præmium virtutis.

Præter hosce locos incidunt & alij quinque; ἰδέσθαι *sive locus communis*, μετάληψις ἑτέρα *sive altera translatio*, ἀντιλήψις *sive qualitas absoluta*, ποίως *sive quantitas*, quæ petitur ab attributis personæ, & γνώμη *sive consilium ac voluntas rei*. Verùm de hisce remittit nos Her- mogenes ad status assumptivos.

IV. DE STATV AMBIGVI.

PROXIMUM est, ut dicamus de statu ambigui, cuius tres sunt modi: unus ἑρσοσίδης, *sive accentus*; alter διασείσθαι, *sive διαρῆσθαι*, h. e. intervalli, ac divisionis; tertius ἑμνομηίας, ἢ ἀμφιβολίας, *sive vocabuli plura habentis significata, aut ancipitis constructionis*.

Ambiguitas accentus est in lege istà, ΕΤΑΙΡΑ, ΧΡΥΣΙΑ
ΕΙ ΦΟ-

ΕΙΦΟΡΟΙΗ, ΔΗΜΟΣΙΑ ΕΣΤΩ. *Meretrice auream gestante coronam, publica esto.* Accusator pronunciat δημοσία accertiuncula in penultimâ (neque enim veteres apponebant has vocum notas) ac proinde lege vult præcipi, ut publicetur meretrix. h. e. ut mancipium fiat civitatis. At rea acuit antepenultimam, ut sit δημοσία: ac proinde legis mentem esse dicit, ut: corona, non ipfamet, publicetur.

Ambiguitas σὺβήσιον ἢ διαπίσιον est, si quis duos habens filios, Leontem & Cunctaleontem, ita testamento caveat: ΒΟΝΑ ΜΕΑ ΔΟ ΛΕΓΟ ΚΥΝΚΤΑΛΕΟΝΤΙ. Nam Cunctaleon se nominari vult: at alter, διαπίσιον faciens, legit, ΒΟΝΑ ΜΕΑ ΔΟ ΛΕΓΟ ΚΥΝΚΤΑ. i. omnia, ΛΕΟΝΤΙ. Simile istud apud Theonem Sophistam, Αὐλητὴς πᾶσαι ἔσω δημοσία; &, Αὐλὴ τῆς πᾶσαι ἔσω δημοσία. Quæritur enim, an tibia, si ceciderit, an verò olla, quæ ter ceciderit, debeat publicari. Πρωῦτα † autem legi debere, non πᾶς ἔσω*, † qua ceciderit. prout est in editione Camerarij, (quam secuta est Lugdunensis) * qua publicata sit. jamdiu optimè observavit Ioannes Checus; epistola de pronunciatione linguæ Græcæ, adversus Stephanum, Episcopum Wintoniensem. Clareque liquet ex Fabij lib. vi. cap. ix. ubi hoc ipsum exemplum Latine interpretatur. Simileque est exemplum alterum, quod idem Theo subdit, οὐ Κορταύροισ ὁ Ἡρακλῆς μάχη. * &, οὐκ ἔρ ταύροισ ὁ Ἡρακλῆς μάχη. †.

Ambiguitas ex ἑμμουμίᾳ est; Quidam taurum legavit amico. Itaque hic, post mortem testatoris, petit servum nomine Taurum; at hæres bovem ei legatum dicit. Αμφιβολία verò est in illo, quod affert Herennianus magister lib. i. *Tullius heres meus Terentii a uxori mee xxx. pondo vasorum argenteorum, quæ volet, dato.* Nam incertum est, utrùm is damnâs sit, dare vasa, quæ Terentiæ adlubescant, an quæ volet ipse.

Κεφάλαια juxta Hermogenem sunt novem.

Primum est ἀποβολή, sive intentio accusatoris. Ut, Proscribi meretricem postulo, ac divendi, quodd coronam gestârît auream.

Alterum est ἡ ἐρέξ ἀποβολῆ, sive intentio defensoris. Ut, Non meretrix vendenda, sed aurum.

Tertium est ἡ γράμματα νόμοδετα, sententia legislatoris. Estque is locus utrique parti communis. Accusator dicet, æquas delictis poenas legibus irrogari; at verò maximopere adversari bonis moribus, si meretrix gestet coronam auream. Defensor afferet, leges esse populares.

† qua ceciderit.

* qua publicata sit.

* Non Cunctaleon bellum movet Hercules.

† Non in tauris bellum movet Hercules.

populares, & æquas; non crudeles; cuiusmodi forent, si ob unum delictum mulier redigatur in servitutem.

Quartum est *μελέων ἢ μετ' ἄλλων*: quod caput uno nomine à Fortunatiano appellatur *continentia*. Eo autem significatur, aliquoposito, aut sublato, utrumque poni, aut tolli. Ita dicit accusator, cuius hoc caput proprium est: Si meretricis publicetur, vestis quoque publica erit; non item, publicatâ veste, publica est meretrix.

Quintum est *ἀντίθεσις*, sive *oppositio* accusatoris. Vt, Non convenit, ut prostibulum sese condecoret schemate, aut ornamentis matronarum. Hanc ob causam apud Athenienses, meretrices *ἀνδροῖς*, seu versicoloribus utebantur veste, teste Artemidoro lib. II. cap. III. item Suida: & Romæ matrona, quæ à maritis ob adulterium repudiabatur, *togam accipiebant*, sublata stola propter ignominiam; ut scribit Acron in illo Horatij †:

† Sat. 2.
lib. 1.

Quid inter-

Est in matronâ, ancillâ, peccesse togatâ.

Vbi tria conjungit genera, matronas, sive nobilium uxores, quas amabat Cupiennius; libertinas, in quas insaniebat Sallustius; meretrices, quas sequebatur Maræus. Quodque de meretricibus Acron ait, idem firmatur illo Iuvenalis sat. II. de matronâ stupri reâ:

— *Carfina talem*

Non sumet damnata togam.

Et hoc Martial. lib. II. epig. xxxix.

Coccina famose donas, & janthina lena.

Vis dare, qua meruit, munera? mitte togam.

Et lib. x. epig. lxx:

Thelin viderat in toga spadonem

Damnata Numæ dixit esse mæcham.

Sextum est *ποιότης*, sive *qualitas facti*: ubi de rei turpitudine differendum.

Septimum est *γνώμη*, sive *sententia*: ubi videndum, quo consilio id egerit meretrix.

Octavum est *μελέων ἢ μετ' ἄλλων*, sive *transsumtio* defensoris: cui insperguntur, quæ faciunt ad ciendam misericordiam. Vt, Crudelis est miseræ miseriam accudere: abunde misera est prostituerum conditio, cum matronarum careant ornamentis, aut, si utantur, ea amittant. Habet hoc genus multiplicem *ἐπίθεσις* *: ideoque & in hypothesi hæc multa locum habent *γνώμας ἢ ἐπιχρηματισμοῖς* †. Vt, bella multos involvere

* *recensio-*
nem, ac dis-
ceptatione.
† *sententia*
& *epiche-*
remasia.

involvere miseris : majores meretricis aliquid aliquando nomen gessisse; sed belli ad veritate, militum rapinis, incendiariorum scelerem, redactos esse ad sortem paupertinam : vim illatam virgini à centurione : una cum cæteris in servitutem redactam : coactam facere quæstum corpore. Accusator verò instituet *ἀρτίδων*, quæ hæc impugnet, ac culpam impuditiæ in ipsam impinget feminam.

Atque hinc cognoscere est, rectè a Sopatro * scriptum esse, cum loci statuum legitimorum vel proprij sint cuiusque generis, vel omnium communes : priori quidem loco proprios exponi : hinc verò cætera capita repeti è statu aliquo rationali, sive is absolutus fuerit, sive assumptivus.

* in divi-
sione quæ-
strorum.

V. DE STATV LEGALI, QUI DEFINITIO-
NIS DICITVR.

QUATVOR statibus legalibus ab Hermogene memoratis, de quibus hæctenus dictum nobis, tum Tullius, tum Cornificius, definitionem adjungunt, ut antea retulimus. Sed Cornificius exemplum adfert status definitivi, quo de facti nomine quæstio est: Tullius autem eo distinguit, quod illic de facti nomine, hæc de vi verbi quæretur. Atque idem liquidius fit ex exemplo à naufrago, quod Cicero adducit. Cui simile sit istud. Quæri possit, an, si quis alteri legarit vinum, eo comprehendatur passum; quomodo, teste Varone †, nominabant, *si in vindemiâ novam diutius coctam legerent, eamque passi essent in sole aduri*. Qui passum contineri negat, eo argumento uti potest, quod mulieribus * vini usu fuerit interdictum, at passi usus fuerit concessus. Athenæus lib. x. ex sexta Polybij historia: *Ἡ ἀρχὴ Ῥωμαίων ἀπέκρουσε γυναικῶν πίνειν οἶνον, τὸν δὲ καλεῖσθαι πείλαρον αἴμαρον*. Contrâ tamen Ulpianus in leg. ix. Dig. De tritico, vino, vel oleo legato, disertim scribit, passum quoque posse intelligi vini appellatione: ac Plinius, lib. xiv. cap. xix. passum ponit inter vina dulcia. Decidit hæc quæstionem doctissimus Casaubonus lib. x. Animadv. cap. xi. Ait autem, passum quidem vini nomine comprehendit: at mulieribus Romanis haut planè interdictum fuisse usum vini, sed solum eius, qui *ῥυμιος*, ἢ *ἀρσπιος* ἢ *οἶνος* Erotiano dicitur: h. e. temeti, quam vocem in Romuli lege, eâ de relatâ, positam fuisset, conjicere est ex Gellij lib. x. cap. xxiv.

Porro hæc legitimi status species (ut Cicero † ait) *isdem eor locis omnibus, quibus definitiva constitutio, tractabitur.*

† lib. 2. de
Inveni.

VI. DE STATV TRANSLATIVO.

CORNIFICIO sexta species status legitimi est μεταλλῆς, five translatio. Sed si tum status legitimus est, ut ipse agnoscit, cum aut scripta, aut ex scriptis, aliquid controversia nascitur: sanè μεταλλῆς propriè status legitimus non erit, quia eo non de scripti sententiâ, sed de actione judiciali, quæritur. Atque hoc impulisse Hermagoram videtur, ut, quemadmodum ex Curio Fortunatiano † discimus, eam faceret quartam speciem status rationalis. Nihilominus legalibus eam statibus subijcit quoque Hermogenes: nimirum quia vis ejus lege niti debet.

† libro 7.
artis scho-
lica.

Est autem μεταλλῆς nihil aliud, quàm constitutio judicij, h. e. controversia quædam judicium præcedens. Cic. in Partitionibus: *Atque etiam ante judicium de constituendo ipso judicio solet esse contentio: cum aut sitne actio illi, qui agit, aut jamne sit, aut num jam esse deserit, aut illane lege, illiusne verbis sit actio, quæritur.* Μεταλλῆς vocatur, quia judicium à giudice in judicem, ab accusatore in accusatorem, à tempore in tempus transfertur, aut aliâ quacunque ratione actio, aut judicium recusatur. E. G. si coniux alicuius neget, se adulterij amplius à marito accusari posse; non quia inficias ire possit, se stupri gratiâ cum quopiam caput limâsse; verùm quia coniux juri suo renunciât; cùm tam longum intercesserit temporis intervallum, ex quo eam ductârît alius, & marito certo confiterit; ut à quo eo nomine in os sæpe: cufata sit. Similis exceptio est in oratione pro Cælio, quia causa illa agebatur die festo. Et primâ Verrinâ disceptatur de constituendo accusatore: unde & divinatio dicitur: quâ de re Agellium vide lib. 11. cap. 14. Ac apud Demosthenem quoque multæ sunt huiusmodi causæ.

Fit autem μεταλλῆς bifariam. Nam vel omnino excluditur actio: vel tantùm ex aliquâ circumstantiâ. Prioris exemplum est, si, qui cædis semel postulatus, absolutus fuit, pòst, cognitis certioribus cædis indicij, iterum in jus vocetur. Ille enim, cui dica scribitur, negabit se ullâ ratione in jus vocari posse, cùm lex vetet bis eadem de re judicium fieri. Fortunatianus hanc μεταλλῆς speciem vocat præscriptionem: jurisconsulti nominant exceptionem rei judicatæ. Posterioris generis est, si, qui adulterum cum uxoreprehenderat, priùs solum adulterum occidat: pòst verò occidat adulteram in monumento adulteri inventam. Quippe reus negabit, secum

secum jure agi posse, quòd lex permittat eadem utriusque : actor verò transferet illud ad tempus, ac locum : nam lege permissam negabit, ut alio tempore aut loco occidantur, quàm quo in adultério deprehenduntur. Hæc species sibi apud nonnullos proprium *μετάληψις* nomen vindicavit. At Hermogeni id nomen tum hanc, quàm presè *μετάληψιν* vocant, tum etiam præscriptionem comprehendit. Hermogenem quoque sequitur Sulpicius Victor, dissentiente Zenone, consentiente Marcomano nescio quo. Ita enim scribit : *Hæc quæ ad præscriptionem pertinent, quamquam ab instituto Zenonis remota, non tamen alienum fuit persequi ex his, quæ tradidit Marcomanus; ex cujus commentariis hæc prope ad verbum translata sunt.*

Sunt qui *μετάληψιν*, ac præscriptionem, referri putent ad statum *νομικόν* sive legalem, eosque hæc movit ratio, quòd illa tantùm *μετάληψις* perfecta sit, quæ legis autoritate nititur. Vt in exemplo antea allato, quod erat, si quis homicidij, vel alterius criminis accusatus, judicium detrectasset, quia semel hæc de re iudices sententiam tulerint : lex autem sit, ne eadem de re bis habeatur judicium. Quomodo Crito apud Comicum *†* ait :

Μίβι non videtur, quod sit factum legibus,

Rescindi posse.

*† Adelpb.
act. 2. sc. 4.*

Sed nimis hæc sententia satisfacit. Vtique *μετάληψις* duplex est. Nam vel *ἀπλῶς* negamus, nobiscum in jus ambulari posse; quæ *τελευτία*, sive perfecta translatio dicitur : vel aliquo modo rejicitur judicium; ut, si negemus, hoc tempore, hæc lege, eâ judicij formâ, nobiscum agi posse. Sed sive hæc, sive illa *μετάληψις* consideretur; cum utrobique de re futurâ disceptetur, puta de actione, vel accusatore; si ad statum alium referenda est, non tam ad statum *νομικόν* pertinere videtur, quàm ad *πραγματικόν* sive negotialem, qui proprius est generis *συμβουλευτικῆς* sive deliberativi; utpote cuius solius sit considerare tempus futurum.

Sunt alij, qui *μετάληψιν* statibus generalibus annumerent, ut Quintilianus lib. III. cap. VIII. & Cicero ipse libro I. de Inventione. Eos autem in hanc sententiam adduxit causarum tuendarum ordo ac ratio. Nam primùm reus, si potest, se fecisse negat : sin minùs, proximum est, ut dicat, se non fecisse, quod objicitur. Tertio loco, quæ defensio honestissima est, rectè fecisse contendit; aut non tam gravem intulisse injuriam, quàm credat adversarius. Quæ si deficient, una superest salus, aliquo juris adiumento elabendi, quod sit per translationem. Hæc sententia apud multos eò minoris est ponderis,

deris, quod autores illius parum sibi constiterint. Vterque enim alio loco tribus illis generalibus statibus acquiescit; neque ullius mentionem facit, præterquam coniecturalis, finitivi, & juridicialis. Mihi tamen haut improbat: quamquam propius fidei videatur, eam esse statum, non tam ἀπλόε ab omnibus, quam ab alijs generis, seu qualitatis statibus, disunctum. Siquidem qualitatis status, est negotialis, vel juridicialis. Iuridicialis vel rationalis est, vel legitimus. Rationalis vel absolutus est, vel assumptivus. Assumptivus vel est comparatio, vel relatio, vel remotio, vel concessio. Legitimus vel est scripti & sententiæ, vel ratiocinationis, vel legum contradictionis, vel ex ambiguo. Sed hi omnes qualitatis status sunt ἐπὶ ἀεὶ γυμνασίου, de re, sive negotio ipso: ut μεταλλεύς proprie horum nihil sit; quandoquidem ea est non ἐπὶ ἀεὶ γυμνασίου, sed ἐπὶ ἀγῶνι h.e. de iudicio constituendo.

Nunc κεφάλαια μεταλλεύς, perfequamur.

Primo loco constituenda προσβολή, sive intentio. Vt, Homicida es.

Sequitur deinde ἀπαγογή, sive præscriptio. Vt, Semel sum absolutus; eoque me in jus vocare non potes; cum lex vetet, bis eadem de re causam dicere.

Huic succedit δίκαια νομοθέτου, sententia legislatoris. Ita dicit actor, Consideranda est mens legislatoris, non scriptum. At defensor dicet, legislatorem adscripturum fuisse, si hæc ejus fuisset sententia.

Quartum est συλλογισμὸς, sive ratiocinatio. Vt, Nihil interest, num adscripserit legislator, nec ne, cum mens ejus sit manifesta è lege.

Quintum est ὄρος, sive definitio, quæ semper contraria est ratiocinationi. Itaque definitio ostendit, plurimum inter ea interesse, quæ paria videntur actori.

Incidit & hic status coniecturalis. Nam dicit reus; Quid quod, licet me lex iudicio non liberaret, pœna à me homicidij reposci non posset? Neque enim homicidium commisi, atque iccirco superiori causâ sum absolutus. Alij quoque status incidere possunt. Atque id cum sit, propria ejusce status capita adeunda sunt, quod ex ijs profligetur quæstio. Verùm, nisi urgeat necessitas, continebit se reus intra μεταλλεύς, ac contendet, non debere hanc causam iterum ventilari.

Sunt & alia præscriptionis capita: verùm ea peti possunt ex statu scripti & sententiæ. Nam, ut supra dicebamus, omnis τὰ λεία
* perfecta
præscriptio, ἀπαγογή, scripto & lege nititur. Hoc tamen discriminis est, quod
capita.

capita actoris tribuantur reo, & contra: atque id ex capitibus, quæ paullo antè commemorabamus, manifestum est.

Reo autem adferente *πρωτογρηλι* *, sive *μεταληψι* †, accusator ostendit, litem *εισαγωγίμων* † *. Qua de re vide Carolum Sigonium lib. III. de Rep. Athen. cap. de judicijs Helixæ, & Budæum in Commentarijs linguæ Græcæ.

* prescrip-
tionem.
† transla-
tionem.

* eiusmo-
di esse, ut
contra eam
prescriptio
jure obici
non possit.

VII. DE SUPERIORVM CAPITVM IN TRANSLATIONE, AC STATIBVS ALIIS, DELECTV, ET EORVNDem PERMVATIONE.

PORRO ex capitibus hætenus memoratis non omnia semper incidunt. Quædam etiam, si incidant, nihil interdum continent, quod magnopere causam iuvet. Quamobrem & hæc, & cæteris in capitibus, utendum iudicio, ne, dum omnia consecramur, cogamur *μικρολογείδης* †. Hoc ut planius fiat, operæ sit sumere causam quamprimò a Demosthene, Cicerone, aliòve oratore tractatam; ac primò videre, quæ capita in eam incidant, juxta doctrinam Hermogenicam: deinde verò notare, quæ solum argumenta usurpet Demosthenes, Tullius, aut quisquis is orator est. Nam quæ negliguntur à præstantissimis oratoribus, ea orationem reddidissent exilem; nonnunquam etiam causæ obsuissent.

† *minutias*
consilari.

Interdum quoque usu venit, ut loco ejus capitibus, quod præteritur, aliud alio ex genere adhibeatur. Ita in statu assumptivo, ut Metrophanes, & Sopater monent, plurimum definitio inter præscriptiones locum habet: aliàs in compensatione uti possumus istiusmodi præscriptione: Quid verò hoc rei? in iudicium vocabor, qui beneficium dedi?

Interdum etiam in capitis deficientis locum succedit aliud ei geminum. Ita, ut in divisione quæstionum Sopater tradit, cum *δωροια* sive *ρομοβίτη*, sive *consilium ac mens legislatoris* manifesta est, disceptatio institui potest de consilio eorum, qui illud, quod agitur, fecerunt. Rem eam exemplo hujuscemodi Sopater declarat. Lex erat: Quisquis non initiato aperuerit Cereris mysteria, capite pœnas luito. At quidam, cum in somnis vidisset mysteria, amico non initiato somnium aperuit, ac num ea essent mysteria, rogavit. Annuit is. Accusatur itaque impietatis. Hic de mente legislatoris dubitari nequit: verum quæstio erit, quo consilio Dij immortales hoc ei somnium immiserint. Atque erit is coniecturæ status. At definitio erit, cum

adferet reus, cui Dij mysteria aperire fuerint dignati, hunc meritò initiatum videri. Quando verò quid, & quod caput in alius locum quasi succedaneum adhibeatur: id non tam præceptis tradi potest, quàm pendet à iudicio ac prudentiâ oratoris.

VIII. DE VARIIS ASSUMTIVORVM STATVVM APPELLATIONIBVS: ITEM, RECTENE STATVTVR ALIQUIS RATIOCINATIONIS, VEL AMBIGVI STATVS.

HACTENVS de statu qualitatis, ejusque speciebus, ac capitibus, quæ omnia, ne juventutem turbaremus vocabulorum novitate, consuetis vocabulis semper appellavimus: quamquam & aliæ existunt apud alios appellationes. Nam statum assumptivum, ut ex Sopatro cognoscimus, quidam vocant *defensionem verisimilem*: nempe quia præ cæteris causam faciat verisimilem. Etiam status hic, eodem Sopatro teste, tum *translatio causæ* nominatur, puta quòd in causam honestam culpa transferatur: tum *color*, nimirum quia, ut Porphyrius ait, quasi color quidam ac quædam honestatis species factò prætexatur. Iuvenalis sat. VII.

*Quis color, & quod sit causæ genus, atque ubi summa
Quæstio.*

Ac similiter appellat sat. VI, ut supra vidimus. Etiam coloris nomen crebrò legere est apud M. Senecam; qui & deridet colorum libros, quos scripserat Otho Iunius, Tiberiani temporis Rhetor, Tacito etiam memoratus in III. Annal. Videri queant eodem modo dictæ controversiæ coloratæ: nisi cui magis verisimile fiat, ita vocatas, quas Philostratus in Polemone *ἱζηματισμὸς ἐπιθέσις*, ac Fabius figuratas appellat controversias: aut, ut alij malunt, quarum argumentum est *παροδοξόν* *. At hoc quidem *εἰς τὸ μέσον κείσθαι* †. Κεφάλαιον quoque, quod nos *συλλογισμὸν* sive ratiocinationem cum Hermogene vocamus, id Fortunatianus nominat *collectionem*: nempe quia ex certo colligitur incertum. At Sulpicio Victori nuncupatur *par*: quæ appellatio non displicet, tollendæ ambiguitatis causâ. Nam non defuerunt, qui ratiocinationem ideo excluderint è statuum numero, quòd sit argumentatio Logica; cùm tamen liqueat ex ijs, quæ diximus, aliter Rhetoricos, aliter Rhetoras, hoc uti nomine. At, inquit, ut angustiùs usurpent Rhetores, tamen aliud omnino est thema à thematis probatione. Verùm ignorare mihi videntur,

* *admira-
bile.*
† *in medio
relinquatur.*

videntur, status alios esse principales, alios incidentes; cuiusmodi non modò ratiocinatio est, sed & status ex ambiguo, atque aded omnis status legitimus: quæ & sententia est Thomæ Corràii lib. III. de Eloqu. cap. XXI. Sed ijdem de statu quoque ex ambiguo controversiam movent. Negant enim, statum esse posse, quia ambiguitas omnis tolli debeat, antequam tractetur controversia. Verùm cogitare debebant, controversiam quoque esse posse de modo tollendæ ambiguitatis. Ut, cum tota controversia est, num **EVNCTA** **LEONTI**: divisim, an conjunctim, legi debeat. Et hæc hæctenus. Nunc ad alia accedo, ad quæ me tacita vocat lectoris expectatio.

CAP. XI.

- DE STATV QVANTITATIS.

IN statu quantitatis cognoscendum, quæ sint graviore injuria: quæ minores. Ostemus autem, magnas esse, vel quia ob causas leves illata, vel quia eas magna sunt consecuta detrimenta, vel quia affecti his optimè meriti, vel quia quis egit primus, aut solus, aut cum paucis, aut sepe, aut datâ operâ, ac pluribus alijs modis.

I. QVOMODO IN STATV QVANTITATIS AMPLIFICENTVR INIVRIÆ. ITEM IN POENA AGGRAVANDA QVANDOQVE SPECTARI, NON ANIMVM PECCANTIS, SED VTLITATEM REIP.

QVVM, juxta Aristotelem, quadruplex fit status; conjecturæ, definitionis, qualitatis, & quantitatis; de tribus primis hæctenus egimus. Superest status quantitatis, in quo considerandum est, quæ majores sint injuriæ, quæ minores. Nam in demonstrativo quidem genere locum ea res etiam habet, ut supra ostendimus: verùm nunc de eo tantùm agimus, quatenus pertinet ad genus juridiciale.

Sunt autem majores injuriæ, quæ arguunt animum maximè depravatum. Ita Melanopum oratorem accusabat Callistratus, quod eos, qui templum exstruebant, fraudâset tribus semiobolis sacris. Nam qui tam exigui lucri gratiâ injurius est, nullam metuet inferre cuiquam iniuriam. Atque hinc liquet, longè aliam iniustitiæ, quam justitiæ.

justitiæ, esse rationem. Nam justitia maxima est in re maximâ: at maxima injustitia non tantum in re maximâ, sed etiam in minimâ esse potest. Quid enim non audebit, quem

--- *parva poterunt impellere caussa In scelus?*

† lib. 2. in
Eutropium.

Quemadmodum seu jure, cui iniuria, cecinit Claudianus † de

--- *Istrogobis, mistisque Gotbunnis:*

ut etiam expressit Delrio. Sive, ut legendum puto,

--- *Ostrogotinis, mistisque Gotbinis.*

† Alioqui
nec displicet
Gronun-
gi isen, ut
apud Am-
mianū est,
C. iun-
di, qui iudō
ac V. sigothii.
Sed Co-
thini pro-
prios abie-
cissis.

Nam Gothini Tacito, qui Dionii Κοττωί†. Gravior quoque illa injuria, cui par nulla pœna est; aut quæ nullis remediis emendari potest; aut quam ulcisci non potest, cui injuria inferitur; aut propter quam sibi quis mortem conscivit; aut ob quam aliqui in fraudem capitalem inciderunt. Itaque Demosthenes, pugno cæsus in theatro à Midia Atheniensî prædivite, quò injuriam hæc apud populum oratione exaggeraret, refert inter alia, quomodo Euxon, Leodamantis frater, Bœorum inter epulas, ac in conventu publico, obtuncârit, unicum ob colaphum inflictum; ac subjicit, οὐδὲ ἡ πληγὴ παρέσθαι τῷ ὄργῳ, ἀλλ' ἡ ἀτιμία: ἐστὶ τὸ τυπείσθαι τοῖς ἐλθόντοισι ἐστὶ δ' ἐνὸς, ἐστὶ περὶ δὲ δεινὸς, ἀλλὰ τὸ ἐστὶ ὕβρις. i. Neque verò unica plaga ira impetum, sed ignominia civit: neque cadi ingennis grave est, tamen si est ipsum grave; id enim vero demum grave est, ad contumeliam cadi. Quem ipsum locum Iuriskonfultus quoque citat in l. aut facta §. qualitate. ff. de pœnis.

Major quoque injuria est, quam quis solus egit, vel primus, vel sæpe, &c. Ideoque homines facinorosi ad imminuendam facti turpitudinem afferre solent, quòd vulgò id faciunt. Sed recte Demosthenes contra Androtonem, Σὺ δὲ μὴ λέγε, ὅς γέρονε τὸ πολλάνεις, ἀλλ' ὅς ἐποσώσθη γέρονες. Οὐ γὰρ εἴ τι πρότερον μὴ καὶ τὰς νόμους ἐπέλαβον, σὺ δὲ τὸ ἐπιμήσω, διὰ τὸ ἐσφύρις ἀνδρακάως, ἀλλὰ πῶς μᾶλλον ἀέλοιο διὰ τὰυτα. Ωσπερ γὰρ τις ἀκρίων ἀέλω, σὺ τὰς εἰς ἀνέγχευας, ἕως ἀν σὺ νῦν δὲ αὐτὸς δῶς, ἀλλὰ ἐγέσθη. Tu verò noli dicere, id sapenunero factitatum, sed ira convenire fieri. Neque enim, si quid unquam haut juxta leges factum est, ac tu id imitatus es, iccirco juste absolvi debeas; sed multo magis condemnari. Quemadmodum enim, si quis fuisset condemnatus, tu non scripsisses id plebiscitum; ita, si tu condemnaberis, scripturus alius non est. Eandemque rem legere est apud eundem in Philippicis, ut monet Theon *, Egrejiè autem Tullius hunc imitatus est locum tertio accusationis libro: Quid igitur dicet? fecisse alios? quid est hoc? utrum criminis defensionis, an comutatus exsilio queritur? Tu in hac Rep. atque hac hominum

* in pro-
gymnasia-
f. n.

libidine,

Ibidine, & , ut adhuc habuit se status judiciorum, etiam licentiâ, non ex jure, non ex equitate, non ex lege, non ex eo quod licuerit; sed ex eo quod aliquis fecerit, id quod reprehenditur, rectè factum esse defendis? Et aliquanto potest? Ut ego adsentiar orationi; tamen defensionem non probabo. Potius enim, te damnato, ceteris angustior locus improbitatis defendende relinquetur: quàm, te absoluto, alij, quod audacissimè fecerunt, rectè fecisse existimetur. Hæc eo lubentiùs adduximus, quod hujuscemodi exemplorum collatione, rectam veramque perspicere sit imitandi rationem; ut optimè monet elegantissimus Muretus †. Plura verò de hisce amplificandi modis apud Aristotelem vide Rhetor. lib. I. cap. XLIII †.

† lib. 13.

cap. 10.

Var. L. 1. 1.

† juxta

Nec tantùm eo exaggerare crimen licet, quod iniuria sit major: sed etiam, quia Reip. interfit, gravius illud puniri. Quomodo Pittacus, unus septem sapientum Græciæ, principatum adeptus apud Mitylenæos suos, legem sanxit, ut qui peccassent ebrij, gravius cæteris punirentur: non quia putaret injuriam intulisse majorem (ignorantes enim deliquerunt) sed quia insula Lesbos vino abundaret, & ebrij magis proclives sint ad inferendam injuriam, quam sobrij: eoquæ gravitate supplicij cives suos à nimis poculis vellet abterrire. Aristoteles lib. II. Polit. cap. ult. Ἐπιπυραὶ δὲ καὶ Πιττακὸς νόμον ἀναμύθητος, ἀλλ' ἢ πολιτείας. νόμος δ' ἴδιος αὐτῶ, τὸ τὰς μεθύοντας, ἀν' ἀπειρώσει, πλείω ζημίαν ἀποτίθειν ἢ ἀφρόνων. διὰ δὲ τὸ πλείω ὑβρίζειν μεθύοντας, ἢ ἠφρόνας, ἢ ὄρεσι τιμὴν ἀγγνώμην ἀπέβλεψα, ὅτι δὲ μεθύων ἔχει μάλλον, ἀλλὰ ὄρεσι τὸ συμφορῶν. Fuit & Pittacus legum conditor, at non Reip. Lex verò ejus propria erat, ut ebrij, si quem pulsaverint, majori poena afficerentur, quàm sobrij. Nam propterea quod ebrij plures contumeliam inferant, quàm sobrij; non ad veniam respexit, quàm ebrij magis dari convenit, sed ad conducibile. Atque idem etiam in secundo Rhetoricorum refert: uti & Laërtius, & Suidas, uterque in Pittaco.

diff. Dan.

Barbari:

sed secundum

vulgatam

cap. 14.

EPILOGVS

DOCTRINÆ DE STATIBVS: VBI PRIMO HEPON-
TVR, A QVIBVS OLIM EA TRADITA EVE-
RIT, ET QVÆ LOCORVM SIT RHETO-
RICORVM VUTILITAS.

AT QVÆ hæc est partim Aristotelea, partim Hermagorea, ac Hermogenica statuum doctrina. Nam prima ejus quasi lineamenta duxit Aristoteles, cum quadruplicem facit controversiam. At Hermagoras accuratiùs capitibus distinxit, ac præclaris adauxit præceptis. Minubianus quoque eandem excoluit, & Porphyrius commentationibus illustravit. Quorum scriptis plurimum adiuuit Hermogenes, plenius planiusque totam hanc rationem exposuit. Quemadmodum & post Hermogenem alij eam artis partem exornarunt: uti Græci Hermogenis interpretes, Syrianus, Sopater, Marcellinus, & alius anonymus. Quin & alij complures, partim ante Hermogenem, partim post eum, hanc rem sunt persecuti. Istiusmodi sunt Apſines uterque, Aristides, Phœbammon: tum item Io. Doxapater, Gemistus, & anonymus Græcus Rhetorices scriptor: quorum trium necdum in lucem editis commentationibus se usum in Rhetoricis suis scribit melioris notæ Rhetor, Petrus Iohannes Nunnescius Valentinus: qui felicitiùs aliquanto nobis Hermogenicam artem tradidit, quàm factum à magni nominis Rhetore, Georgio Trapezuntio. Nec partem hanc neglexere antiqui Latinorum Rhetores; ut ostendunt, cum Tullius, & Fabius; tum Fortunatianus, qui egregiè expressisse videtur Hermagoreorum disciplinam: Marius Victorinus, qui Rhetoricos Ciceronis libros commentario illustravit: Sulpicius Victor, cujus oratorias institutiones ad M. Silonem generum, cum alijs aliquot antiquis Rhetoribus, primus à Spirensi bibliothecâ in lucem prorraxit vir optime de totâ antiquitate meritis Beatus Rhenanus; post autem ab Æmaro Ranconeto recognitas edidit P. Pithœus: adhæc Aurelius Augustinus, cujus exstant principia Rhetorica: ac Iulius Severianus, quem (si & inscriptioni editionis Plantiniana, & Belgicis Auberti Miræi elogijs credimus) primus divulgavit egregius adolescens, ac longiori vitâ dignus, Lucas Fruterius: item alij, quibus commemorandis, ne longior sim, supersedeo.

† Postea
cõperimus,
primum
edidisse O.
porinus anno
1556. At
Plantinus
denum ex-
cudit anno
1584.

Et merito profecto doctrina hæc tanto semper in honore fuit, Nam etsi plurimum oratori profunt loci Dialectici: tamen, quia vagantur liberius, neque certis circumscribuntur limitibus; inde est, quod aut locis Rhetoricis præterea opus sit, aut ingenio subactò, multoq; usu erudito. Atque hoc quoque apud Tullium * sen- * lib. 2. de Orat. sit Antonius, cum ait: *Hi loci ei demum oratori prodesse possunt, qui est versatus in rebus, vel usu, quem etas denique adfert; vel auditione, & cogitatione, qua studio & diligentia præcurrit etatem. Nam si tu mihi quamvis eruditum hominem adduxeris, quamvis acrem & acutum in cogitando, quamvis ad pronuntiandum expeditum: si erit idem in consuetudine civitatis, in exemplis, in institutis, in moribus ac voluntatibus civium suorum hospes: non multum ei loci proderunt illi, ex quibus argumenta promuntur. Subactò mihi ingenio opus est, ut agro non semel arato, sed novato & iterato, quo meliores fetus possit, & grandiores edere. Subactio autem est usus, auditio, lectio, litera.* Neque inficias eo, hæc in illo etiam requiri, qui locos noverit Rhetoricos. Verùm si & is, qui propria cuiusque generis habuerit perspecta, nomen suum absque multijugâ eruditione, longoq; rerum usu, tueri nequit: quid de ijs judicandum erit, qui tantum norint locorum Dialecticorum sylvam? Quamobrem nos quidem consilij non pœnitet, qui singulis causarum generibus, cum generalia, tum specialia, attribuerimus *καθ' αὐτὴν* sive locos; quos & plurimam exemplis illustravimus.

OSTENDITUR, ANTIQVOS, TVM IN EXPLICANDA
STATVVM DOCTRINA, TVM IN TRACTANDIS
CONTRIVERSIIS, NVNC VERIS VTI
EXEMPLIS, NVNC FICTIS,
SOLERE.

NE QVÆ est, quod culpet quisquam, quod fictis exemplis usi sumus. Nihil enim refert, verane sint, an ficta, modò ex ijs cognosci queat, quo pacto seriæ causæ tractari debeant. Adde quod hoc quoque à nobis factum est antiquorum Rhetorum exemplo; quos juventutem fictitijs exemplis exercere solitos, auctor est Tranquillus †. Hujusmodi autem commentitijs causis præparari juventutem ad veram eloquentiam, tum in civilibus, tum etiam facris: fidem nobis fecerit Laetantius, qui libro 1. cap. 1. sic de se ipso scribit: *Multum nobis exercitatio illa fictarum litium, contulit, ut nunc majori copia, & facultate dicendi, causam veritatis perceremus: qua*

† lib. de claris Rhet.



licet possit sine ciuicentia defendi, ut est à multis saepe defensa; tamen claritate ac nitore sermonis illustranda, & quodam modo differenda est, ut potentius in animos influat, & vi sua, & mixta religione, & luce orationis ornata.

Nec tamen vera planè exempla in exercendo aspernabantur. Duplici enim, vel triplici potius, utebantur exemplorum genere. Alia omnino vera erant, cuiusmodi est Sallustij ad Casarem de Rep. ordinandâ; & quæ malè Ciceroni adscribitur, in Sallustium declamatio; uti & quæ falsò Sallustio tribuitur in Ciceronem: quamvis aliter Quintilianus. Sed hæc in re assentior Pet. Victorio, quem vide lib. xv. Var. Lect. cap. III. Vbertim quoque hæc de re Sebast. Corradus in Egnatio seu Quæsturâ: ubi & Porcij Latronis, qui se istiusmodi argumentis exercere solitus, utramque declamationem esse suspicatur. Quod si nullas exerceuerint inimicitias, præterquam in negotio Milonis, in quo Sallustius primò à partibus Clodij stetit, sed (si vera fuit suspicio, de qua Asconius scribit) mox cum Cicerone, ac Milone, in gratiam redijt; mixti declamatio utraque generis fuerit. Metuo certè, ne B. Hieronymus hic imprimis adductus declamationibus lib. I. aduersus Iovinianum, Sallustium Ciceronis inimicum vocet. Vera quoque illa Bruti pro Milone, de qua superius diximus; & Cestij Rhetoris Smyrnæi in Milonem, cuius meminit M. Seneca in præfat. lib. v. II. controverf. & Fabius lib. x. cap. IV.

Alia erant omnino ficta; ut quas scripsit, vel potius ab alijs scriptas digessit, & præloquijs atque interloquijs distinxit M. Seneca, L. Senecæ Philosophi pater; itemque illæ, quæ numero cxxxvi. à Tideo Vgolino Parmensi in lucem sunt editæ, ac à Pithæo I. Cto, ope antiquissimi exemplaris, sunt meliores factæ; ac novem nunquam antè editarum accessione adauctæ. Eas quidam suspicantur esse Quintilianii patris; de quo hæc legimus lib. ix. Orat. Inst. cap. III. *Et cur me prohibeat pudor uti domestico exemplo? Pater meus contra eum, qui se legationi immoriturum dixerat, deinde vix paucis diebus infumtis re infecta redierat, Non exigo uti immoriaris legationi, immorara.* Verùm cum Quintilianii declamatoris mentio quoque fiat apud M. Senecam patrem*: non minùs corû placet sententia, qui eas avo hujusce Quintilianii adscribere malunt. At undeviginti illæ declamationes, quæ & ipsæ Quintiliano vulgò inscribantur, ac Rhetoricis Fabij libris subijci solent, neque ejus sunt, qui declamationes alteras fecit (nihil enim simile) neque illius, qui institutiones

Orato.

* proœnio
lib. 10. cõtr.
& cõtra
vesf & eius
de libris.

Oratorias scripsit; cui eas Erasmus quoque abjudicat in Ciceroniano suo: & meritò, quandoquidem, ut monuit Ludovicus Vives lib. IV. de corruptis disciplinis, planè alienæ sunt à Fabij præceptis, & tales, ut contra istiusmodi potissimàm invehatur. Imò multò ante Erasmum, ac Vivem, Philelphus epistolâ ad Ioannem Tuscanellam vehementissimè eas perstrinxit. Adde quòd in codd. quibusdam MSSis M. Floro tribuantur, ac à nonnullis etiam esse credantur: Posthumij Iunioris, eò quòd Trebellius Pollio dicat, scriptas ab eo esse declamationes, quas ævo suo Quintilianii esse putarent. Eas *quantivis precij* esse, iudicium est Barthij advers. lib. LVII, cap. XIV. Nimis sanè benignè: ut indicio sunt, quæ diximus. Sunt & ficti generis illæ Calpurnij Flacci à Pithæo editæ, quæ *Excerpta decem Rhetorum minorum* inscribuntur, quòd distinguantur ab excerptis Senecæ patris, quæ sunt decem Rhetorum majorum: unde Iohannes Salisberienfis lib. VII. Policratici, sive de nugis Curialium, *Legantur*, inquit, *& libri illi, quos Seneca decem oratorum sententijs, sub imagine declamationum scholarium, illustravit.*

Alia denique veterum exempla erant mixti generis, cum nempe historiæ adderent figmentum: ut si Syllæ aut Cæsari auctores essent, ut perpetuam deponeret dictaturam: cujusmodi suasoriæ meminit Iuvenalis Satir. I.

*Et nos ergo manum ferula subduximus, & nos
Consilium dedimus Syllæ, privatus ut alium
Dormiret.*

Item si deliberatio instituatur de Hannibalis ab Alpibus recessu: cujusmodi declamationis idem mentionem facit Sat. x:

--- I demens, & seras curre per Alpes,

Vt pueris placeas, & declamatio fias.

Ad quem locum ita vetus scholiastes: *Vt de te pueri studentes disant. In Scholis deliberativa, Hannibal utrum ab Alpibus recederet.*

Simile quid tentarunt aliqui, etiam in sacro argumento. Ut Hesy chius, presbyter Constantinopolitanus, in quatuor libris de æneo serpente. Nam in his, ut Photius * auctor est, orationes finxit, * *in myric. biblo cod.* tum Mosis ad populum, tum populi ad Mosen, horum item utriusque ad Deum, easque precationis & purgationis formâ. Quibus magnam magni voluminis partem impendit, oratione utens ad affectus movendos idoneâ, planeque ad ostentationem compara-

Denique nonnullis placuere themata de Poëticis fabulis hausta, siue hæc mera essent Poëtica commenta, siue historiæ fabulis permixtæ. Calvus certè, siue, prout edidit alijs, Catulinus, Rhetorices Professor, ex Virgilio controversiarum exempla ad dicendi usum conformavit: ut auctor est Servius in x. Æn. Itidem, ut inibi idem refert, ex eodem argumenta descripsit Titianus, non is, quem B. Hieronymus in Chronicis virum appellat eloquentem; quemque Gallias administrasse, scribit ad annum Christi cccxlviii: verùm ille fortasse, quem Aufonius epist. ad Probum, præfectum prætorium, appellat fandi artificem; quemque idem in gratiarum actione pro consulatu ad Gratianum Imp. scholam municipalem apud Visontionem, & Lugduanum, rexisse, auctor est: aut certè alteruter eorum, quos commemorat Capitolinus in Maximino Iuniore: quorum prior erat Maximini in arte Oratoria præceptor, Oratorum simia, ut eum Sidonius Apollinaris * vocatum scribit: alter prioris filius.

* lib. 3.
epist. 1.

Quemadmodum autem Ciceronis tempore maximè gaudebant exemplis veris: ita posteriori seculo magis usurpabant ficta, rarissimè omnino vera. Quin tum nugalia fere tractabant, & à forensibus causis remota: quæ res gravem illam censuram extorsit Petronio initio eorum, quæ è Satirico supersunt.

Pluribus hæc prosequi visum fuit, non ed tantum, ut liqueat, cur in statuum doctrinâ fictis usi exemplis simus: sed præcipue, ut sciat juvenus, quibus è scriptoribus plura statuum exempla haurire queat: adhæc quoque, quia lucem inde accipiant plurima loca veterum scriptorum. Sanè hujus rei ignorantia quosdam in errorem eum impulit, ut Rhetoricos ad Herennium libros iccirco Ciceronis esse existimarent, quod in ijs * exemplum huiuscemodi legere sit: TVLLIUS, HERES MEVS, TERENTIÆ, VXORI MEÆ, TRIGINTA PONDO VASORVM ARGENTEORVM DATO, QVÆ VOLET.

* lib. 8.

CAP. XII.

DE ARGUMENTIS
ATEXNOIS.

ARGUMENTA inartificialia sunt, quæ non quidem parit ars Oratoris; sed tamen foris ad se delata, arte tractat. Istiusmodi in genere juridiciali sunt quinque; leges, testes, pacta, quæstiones, & iusjuranda; à quibus omnibus pro variâ causâ natura diversi sunt argumentandi modi.

I. DE ARGUMENTIS INARTIFICIALIBUS
GENERATIM.

HACTENVS de argumentis egimus *ἡτο δεικτικοῖς* *, quæ primum ^{* probantibus.} locum obtinebant inter *ἑπιχειρήματα* †. Proximum erat, ut ageremus de *παθητικοῖς* †, & *ἠδικοῖς* *, quæ & ipsa *ἑπιχειρήματα* sunt. Sed interlumpit Aristoteles hanc doctrinam argumentorum *ἑπιχειρήσεων*; & prius ^{† artificialia.} agit de *ἀρχαῖς*, quàm de *ἠδικοῖς* & *παθητικοῖς*. Causâ autem, quæ eum ^{† affectuum moventibus.} movit, hæc est, quod postremò egisset de genere juridiciali: loci autem *ἀρχαῖς*, ut ipse testatur, hujus generis essent proprij. Iure igitur, ut generis Iuridicialis locos continuaret, locis *ἑπιχειρήσεων* statim subijcit *ἀρχαῖς*. Nos quoque eâ in re magistrum sequemur: sic tamen, ut usum eorum accommodemus etiam ad alia dicendi genera. ^{* argumentis, quæ pertinent ad mores: hominum exprimentibus.}

Vocantur autem argumenta *ἀρχαῖς*, non quia omnino artis sint expertia; sed, quemadmodum supra ex Aristotele dicebamus, quia ea non pariat ars oratoris, eliciendo è naturâ causâ: quippe qui ea foris ad se delata tantummodo arte tractet. Lapsus igitur Cicero adolefcens lib. II. de Inventione et ubi, Aristotelem fugillans, vult testimonia, quæstiones, similiaque argumenta, tam quod ad inventionem, quàm rationem tractandi, esse inartificialia. Id enim innuit, cùm scribit in hunc modum: *Quare nobis & ij videntur errare, qui hoc genus suspicionum artificij non putant indigere, & ij, qui aliter hoc de genere. ac de omni coniecturâ, præcipiendum putant.*

Locis *ἀρχαῖς* Aristoteli sunt quinque; leges, testes, pacta, quæstiones, & iusjuranda. Auger hunc numerum Fabio; auger item Tullius lib. II. ad Q. Fratrem. Sed frustra; cùm responsa & oracula comprehendantur sub testimonio, Fabio quoque teste: eademque planè

planè ratio est rerum judicatorum, rumoris, ac famæ: pacta verò, conventa, ac tabulas, *συμβολαίων* nomine ab Aristotele intelligi, quivis videt: sub legibus autem, quas Fabius præterit, Senatufconfulta, & decreta comprehenduntur. Quin ad quatuor capita revocari hi loci possant, cum Aristoteles ipse quæstiones esse testimonia quædam dicat.

II. QUOMODO A LEGE, VEL ADVERSUS EAM, ARGUMENTEMUR.

† mente
sententia-
que optima
judicare.

PORRÒ hæc argumenta *ἐπιχειρημα* non uno tractantur modo. Nam, ut de singulis ordine dicamus, si lex causæ nostræ adversetur, dicemus, eam ambiguam esse; vel petemus, ut velint non lege, sed *γνώμη τῆ ἀρετῆς κριθῆναι* †: legem enim haud adversari juri communi, cui magis vir bonus obedire debeat, quàm legibus scriptis, quæ sæpe injuræ sunt, ac proinde mutabiles. Ita apud Sophoclem se defendit Antigone, cum accusaretur, quòd Polynicen fratrem sepelisset contra edictum regium. Nam cum Creon eam hunc in modum compellaret, *Καὶ δὴ τ' ἔπολεμα τῆς δ' ἑσπε; καὶ ἔννομος;* Et quomodo ausa transgredi leges eras? respondet animosè, quòd licet peccarit contra legem Creontis, minimè tamen deliquerit contra legem non scriptam, quæ non nunc aut heri, sed semper fuit: hujus se fuisse studiosam, non hominis. Aut denique ostendemus, eam repugnare alteri legi, aut consuetudini.

At si lex nobis favet; negabimus judici à legum præscripto discedendum esse; frustra eas latas, nisi observentur; nec oportere nos plus legibus sapere. Vide orat. Dionis Chrysostomi de lege.

Legi subijcimus consuetudinem. Nam, ut Tertullianus ait lib. de coronâ militis cap. iv. *Consuetudo in civilibus rebus pro lege suscipitur, cum deficit lex.* Adi omnino ejusdem Dionis orationem de consuetudine.

III. DE ARGUMENTIS A TESTIBVS, VEL CONTRA TESTES.

TESTIMONIUM vel divinum est, cujusmodi veteribus habebantur Deorum oracula, aruspicum responsa, &c. vel humanum, quod ipsum multiplex est. Nam testium alij veteres sunt, alij
NOVA

novi; alij participes periculi, alij extra periculi aleam; alij de re, alij de personæ moribus.

Oraculo sententiam suam confirmat Æschines contra Ctesiph. Est & ab auctoritate divinâ illud Cicer. † de Iudæorum gente: † *pro Flacc*
Quam carâ Diis esset immortalibus, docuit quod est victa. Item illud de
 causâ Cæsari: †: *Causa tum dubia, quod erat aliquid in utrâque parte,* *co.*
quod probari posset: nunc melior certè ea judicanda est, quam etiam Di *† pro Ligna*
adjuverunt. Vti & illud Velleij lib. 1: *Factum ejus à Diis comproba-* *vio.*
tum, spatio vita, & felicitate imperij, apparuit. Sermo est de Oreste ma-
 tricida, quem vixisse ait annis xc, regnâsse LXX. Nec abludit illud
 Lucani in primo:

--- *Quis justius induit arma,
 Scire nefas. magno se judice quisque tuerur.
 Victrix causa Diis placuit, sed victa Catoni.*

Cui sententiæ qualescumque ex eo pondus accedere videtur, quod Boëthius de Consolatione Philosophiæ lib. iv. cap. iv. sic ipsam Philosophiam loquentem inducat: *Et victricem quidem causam Diis, sed victam Catoni placuisse, FAMILIARIS noster Lucanus admonuit.*

Vtimur etiam testimonijs humanis: quomodo Homeri, & Euripidis auctoritate adversarium urget Æschines contra Timarchum: & Demosthenes orat. de falsâ legat. aliquam multos jambos ex Sophoclis Antigonâ, integramque Solonis elegiam recitari jubet.

Cui testimonia defuerit, is negabit, argumenta pecunijs corrupti; at testes dicit sæpe improbos esse atque intellatibiles, aut Comicos ac leves, auroque corruptos, sive testes arenarios, prout Iuriconsulti vocant, hoc est, qui in arena circensî, vel amphitheatrali, depugnarint, eoque sint infames. Arcadius l. ob carmen. §. Si ea re. ff. De testibus: *Si ea rei conditio sit, ubi arenarium testem, vel similem, admittere cogimur.* Hancce ob causam majorem argumentis, quam testibus, habendam fidem, contendit Tullius pro M. Cælio; *Equidem, inquit, vos abducam à testibus: neque hujus judicij veritatem, qua mutari nullo modo potest, in voluntate testium collocari sinam, qua facillime effingi, nullo negotio flecti ac detorqueri potest. Argumentis agemus, signis omni luce clarioribus crimina resellemus, &c.* Et sanè si testes sufficienti, sufficere quoque, ut judex non sit surdus.

At cui contrâ testes fuerint, is dicit, argumenta, ut falsa fuerint, non tamen supplicij esse obnoxia; at testes pœnæ metu continerit: cum argumentis res satis cognosci non possit, necessarium esse, ut

res testibus agatur. Nec debere magis ingenio, quàm sensui, credi. Vt cunq̄ue verisimilia sint, quæ obijciantur; non tamen aliud inde colligi, quàm mira esse, quæ dicamus: at minimè sequi, falsa esse; cùm homines multa faciant mira atque absurda. Illo etiam comprobari, quàm parùm ratiunculis sit tribuendum, quodd nihil tam absurdè dici possit, quin argumento possit defendi: ut tot absconæ adeò philosophorum sententiæ ostendunt.

Quod si utrimque testes asserantur, poterunt testes opponi testibus; poterit item pars una fidem testium partis adversæ elevare: quippe qui falsum dicant testimonium, sive favore, vel odio inducti; sive ob conjunctionem sanguinis, aut affinitatis; sive spe muneris, sive etiam ob ætatem; ideoq̄ue, ad eorum fidem probandam, alijs esse testibus opus; quæ maximè res testium fidem infringit. Ita Cicero pro Valerio Flacco rejicit universum Græcorum testium genus; *De quibus, inquit, vos alijs testes esse debetis, de iis ipsi alios testes audietis? At quos testes? primum dicam (id quod est commune) Græcos: non quò nationi huic, &c.* Et aliquantò post; *Verumtamen hoc dico de toto genere Græcorum: tribuo illis literas, do multarum artium disciplinam, non adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam: denique etiam, si qua sibi alia sumunt, non repugno: testimoniorum religionem, & fidem, nunquam ista natio coluit, totiusq̄, hujusce rei, que sit vis, que auctoritas, quod pondus, ignorant. Unde illud est, Da mihi testimonium martium? num Gallorum, num Hispanorum putatur? totum istud Græcorum est: ut etiam, qui Græcè nesciunt, hoc quibus verbis à Græcis dici soleat, sciant.* Qui illustris planè locus est de Græcorù testimoniorum fide. Neque est, quodd quis hanc oratoriam *ἄλλοι* putet. Nam levitas

† *Afin.*
act. 1. sc. 3.
* lib. 7. e.
pist. 13.
† lib. 4.
Advoc.
cap. 13. &
lib. 12. cap.
68.

Græcanica in proverbium abiit: atque inde est apud Comicum †, Græca fide mercari: & apud Tullium *, *Gracula chirographi cautio.* Quæ perperam ad gentis ejus laudem trahebat Turnebus †. Nihil enim certius, quàm eò hæc spectare, quodd leves Græci ipsi inter se nonnisi præsentem mereantur pecuniã; aut minimùm syngraphã caverent. Imò vix syngraphis satis cautum credebatur. Quã de re, nequis dicat, proclive esse homini Romano, Græcos postponere Romanis; Græcum, eumque luculentum scriptorem dabo, qui gentis suæ fidem elevet, ipseque Romanæ postponat. Is est Polybius in sexto Histor. *οἱ τὰ κοινὰ χειρίζονται παρὰ τῆς ἑλληνικῆς, ἐὰν τάλαντον μόνον πεισθῶσιν, ἀντὶ τῆς ἔχουσης δέκα. ἢ σσεργιδας τσαῶνται, ἢ μαρτύρου διαπαιτίας, ἢ δύναμι τῆς τῶν πείσῃ. Παρὰ τῆς Ρωμαίων, κατὰ τῆς τῶν ἀρχαίων ἢ τῶν ἐπιπέσῃ, πλὴν τῆς πλείου ἡμεῶνται χειρίζονται, δι' αὐτοῦ τῆς ἑλληνικῆς*

ἄλλαν πίστιν, πῆξιν τὰ καθήκον. *Qui publicam pecuniam tractant, apud Græcos quidem, si vel unum tantummodo talentum iis creditum sit, utcumque vel decem fuerint rescriptores, ac totidem sigilla, ac bis totidem testes, ne sic quidem ab iis consequi licet, ut servent fidem. Apud Romanos autem, cum ydem in magistratibus & legationibus magnam pecunie vim tractent, tamen ob solam iuramentandi religionem, officium præstant. Nempe Græcis studium erat de virtute differere; Romanis, præcis illis dico, juxta eam vivere; ut non omnino nationi suæ palpatus sit Romanus, at incertus scriptor, cujus isthoc:*

Cive Romano per orbem nemo vivit justius.

Quippe malo unum Catonem, quam trecentos Socratas.

Et hoc παρέρως. Redeamus ad testes & accusatoris & defensoris. Vtrique certè, tum ab eò, qui producebat, tum ab eo, contra quem producebantur, interrogari & examinari solent; ut testatur Ascœnius Pedianus; qui & autor est, his non nisi interrogatis loqui licuisse. Inde est, quòd & integra accusatio *συνειδοχῆνος* dicta fuerit interrogatio. In interrogando (ut è Fabio totam *αὐτοπλοῦ* ascribam) *primum est nòsse testem. Nam timidus terreri, stultus decipi, iracundus concitari, ambitiosus inflari potest. Prudens verò, & constans, vel tanquam inimicus, & perversus, dimittendus statim; vel non interrogatione, sed brevi interlocutione patroni refutandus est; aut aliquo, si contingeret, & urbanè dicto refrigerandus; aut, si quid in ejus vitam dici poterit, injuriâ criminum destruendus.* Hæc Fabius lib. v. cap. vii. Illa verò *peffime artes* (ut idem inibi ait) *testem subornatum in subfelliâ adversarij mittere, ut inde excitatus plus noceat; vel dicendo contra reum, cum quo sederit; vel cum adjuvissè testimonio videbitur, faciendo ex industria multa immodestè, atque intemperanter, per que non à se tantum dictis detrahat. fidem, sed ceteris quoque, qui profuerant, auferat autoritatem. Quorum mentionem habui, non ut fierent, sed ut vitarentur.*

Quia autem testes non producebantur nisi jurati, inde est, quòd & juratores appellantur. Plautus prologo Pœnul. *Vos juratores estis, quæso operam date.* Seneca in *Ἐπιλοχουθῶσι*: *Quis unquam ab historico juratores exegit?* Ita enim in omnibus legi MSSis, monuit I. Lipsius lib. xi. epist. quæst. De testibus dixi: nunc reliqua confideremus.

IV. QUIBUS ARGUMENTIS PACTA AUT FIR-
MENEVR, AUT ELVDANZVR.

PROXIMUM locum obtinent *συνθήκαι*, sive pacta, seu pactiones, pro quo & antiqui *pactiones* dicebant. Hæ confirmantur, cum aliquem dicimus, quæ stipulatus fuerit, dare facere oportere ex fide bonâ: nam pacta esse leges quasdam privatas, ut si hæ conservandæ sint, utique & illa: & si illa tollamus, ipsas tolli leges. Adde quod, sublato fundamento eorum, quæ homines inter se contrahunt, ac stipulantur, convellatur ipsa societas humana.

Infirmantur autem pacta tribus præcipuè modis. Primò quod, si legibus latis malo dolo obtemperandum non sit, multò minus semper pactis stare necesse est. Deinde quod iudicibus ex normâ iustitiæ agendum sit, cum illa non sit obnoxia fraudibus, aut coactioni; ut quæ naturâ sit hominum animis insculpta: non autem ferendum iudicium secundum pacta; quia hæc sæpe vel fraude, vel coactè fiunt. Denique videndum, an pacta non adversentur legi scriptæ, vel pactis alijs, quæ antecesserunt, aut subsecuta sunt.

V. QUÆ PRO TORMENTIS, VEL CONTRA EA,
AFFERRI SOLEANT.

QUARTUM argumentum *ἀποχρον* est tormentum. Ita Quintilianus appellat: Ciceroni dicitur quæstio. Græcè *βίαση*, *λπί* & Heraclius ab Heracleâ Lydiæ civitate, quamquam aliter hæc de re sensit Hesychius. Siquidem is lapidem eum, qui ferrum attrahit, *Λυδικὸν λίθον*, *Ἡρακλείαν λίθον*, & *σκληρὴν* vocari, adserit: at *Μαγνήτι* esse lapidem argento tantopere similem, ut hæc similitudine oculos decipiat. Vide eam in *Ἡρακλείαν λίθον*, *Μαγνήτις λίθον*, & *Λυδικὸν λίθον*.

Similis autem ratio est tractandi quæstiones, atque alia argumenta ab arte remota. Nam si hæc causam nostram juverint; dicemus, ijs maximè credendum, quia, ut ait Tullius in Topicis, *verberibus torti, & in igni fatigati quæ dicunt, ea videtur veritas ipsa discere*. At si contra nos faciant, dicemus, aut dolorem tolerantans diffessos esse vera, aut eum non tolerantans confessos esse falsa. Prius illud illustratur exemplo Cappadocum, qui à pueris se mutuò torquere

torquere equuleo solent, ut ad falsa se testimonia venundare possint: quemadmodum scribit vetus Persij interpres in sat. vi. Etiam confirmatur idem factō Philippi, serui Fulvij Flacci †, qui octies pro domino tortus, nihil prodidit: item Zenonis Eleatę †, qui nullis potuit tormentis adigi, ut conscios delendę tyrannidis indicaret. Posterioris modi exemplum habes apud Ciceronem orat. pro Sylla; *Quęstiones*, inquit, *seruorum ac tormenta nobis accusator mimitur: in quibus quamquam nihil periculi suspicamur: tamen illa tormenta gubernat dolor, moderatur natura cuiusque, cum animi tum corporis, regit quęstio, flebit libido, corrumpit spes, infirmat metus, ut in tantis rerum angustiis nihil veritati loci relinquatur.* Vide de quęstionibus ac tormentis Radulphum Fornerium lib. III. Rerum quotidianarum cap. viii. De varijs tormentorum generibus vide sis Sigoniarum lib. III. de Iudicijs cap. xviii. Brodęum lib. II. Miscellan. cap. xx. & x. Turnebum lib. iv. Adversar. cap. III. item Antonium Gallonium de SS. Martyrum cruciatibus.

† Val. Max. lib. 8. cap. 4. ubi & simile exemplum Alexandri. serui C. Fannij, vel Fulvii. † Laetius lib. 9.

VI. DE RATIONE QUADRIPARTITA TRACTANDI CONTROVERSIAM DE IVRAMENTO.

TRACTATIONI de quęstione meritō subijcitur consideratio iuramenti. Nam ut seruis loco iurifurandi tormenta; ita liberis loco torturę esse iurifurandum solet. Docet id quoque Plutarchus in Quęstionibus Romanis: ubi quęrit, cur Flamini Diali non liceat jurare: *Ἡδίστην ἔστι βέλτερος τῆς ἐλαδέρων ὀφειλόμεν δὲ ἰδὲ ἀλασάριστον ἔσθ' ἢ τὸ σῶμα, ἢ τὸ ψυχὴν τὸ ἰστέον.*

† An quęstio tormentum est liberorū iurifurandū: sacerdotis autem & animus, & corpus, oportet esse torturę expers. * peierant. † Ad decipiendū iurifurandum idoneum est. * quęd Gellian. lib. 1. 6. cap. 7.

Iurifurandi ratio Aristoteli quadrupartita est. Primō negamus, nos ab adversario exigere, ut verbis conceptis det iurifurandum: id quę primō, quia multi sunt sordidi homines, qui facillē *ἔπιπαθεῖ ** Salviaus lib. III: *Plures invenias, qui sepius peierent, quān qui omnino non jurent.* Et lib. IV: *Si pejeret Francus, quid novi faceret? qui perjurium ipsum sermonis genus putat esse, non criminis.* Itaque cęcimus, quempiam, qui jurare paratus est, sperare sese, vel Deum ludendo, pecuniam retenturum: iccirco nos stare malle iudicium sententię, quān adversarij, cūm illis fidem habeamus, huic non item. Huc pertinet illud Simonidis: *Ἠδὲς ἀπ' αὐτῶν ἔρησ' ὁμοίσις ἐστὶν ἀξίβητος ** †: Scilicet hoc Laberij *: *Quid est iurifurandum? Emplastrum aris alieni.* Et Paccavio (ut ex parietini ac ruderibus Festi discimus) iurifurandum

randum est mantile, quo extergentur quotidianæ noxæ.

II. Deinde juramentum delatum respicimus, negamusque, nos ad jurandum adigi posse, tum quia adversario juramentum nostrum prodesse nequeat, eò quòd, si juraveris, certò fraudetur pecunià: tum quia vir malus facilè (ut gentiles loquuntur) Iovem lapidem juret; ideoque, quòd juramentum recusemus, id virtuti, non perjurij metui, ascribendum esse. Itaque rectè Xenophanem, veterem physicam, dixisse, cùm homo impius desert viro probo juramentum, tantumdem esse, quàm si homo validus provocet imbecillum ad pugnam. Nam ut, qui lacertis valet, viribus suis confidit, eoque aucter provocat; at qui imbecillis est, pugnam detrectat: ita impius securè ad jurandum provocat, quia Deum aut non esse, aut non curare humana, censet: pius verò timidè hoc præstat, quia Deum esse scit, qui quæ gerimus auditque & videt. Hoc nomine fusè conqueritur Juvenalis sat. xii: & abunde idem ostendit Plautinus Labrax, qui, etsi jurârat, se talentum magnum Gripo daturum, tamen nec triobolum dedit.

† *Rudente*
act. 5. scen.
Sequere hac.
* *Act. 5.*
sc. 3.

Insurandum, inquit †, rei servande, non perdenda, conditum est.

Eodemque modo Curculione * leno Cappadox, quâ linguâ, inquit, promisi, eadem nunc nego.

Dicendi, non rem perdendi, hæc gratiâ nata est mihi.

Parcissimè verò jurandum, putat Isocrates, non senior ille, Platonis æqualis, sed junior, æqualis Ciceronis, ut ex Dionysio Hali-carnassensi Muretus † jamdiu ostendit. Ejus hæc verba sunt in aureolâ *περὶ νόσου τοῦ Δημόκριτου*: Ὁ μὲν ἐπακτὸν ἀποδίδέχεται διὰ δύο ἀποφάσεις ἢ σαυτὸν αἰτίας ἀρχῆς πολλῶν, ἢ φίλους ἐν κινδύων διασώζων. Ἐπειὰ δὲ χρημάτων μὴ δύναντα δὲν ὀμῶσθαι, μὴ δὲ ἐν ἀπορῆν μείλιχαι. διδῆξαι δὲ τοῖς τῶ ἐπιπορευῶν, τοῖς δὲ φίλο χρηματίας ἔχειν. *Insurandum, si poscitur, avarus de causis des, vel ut te ipsum turpi crimine liberes, vel ut amicos è periculis serves. At pecuniarum ergo per Deum nullum juraveris, etiamsi liquido jurare possis. Nam aliis quidem peierare, alijs verò pecuniarum cupidus videberis.*

At Plato lib. xii. de Legg. utrumque prohibet, nequis juret ipse, & ne ab altero exigat jufiurandū. Etiam Clinias Pythagoricus, cùm jurando posset effugere trium talentorum multam, injuriam pati maluit, quàm jurare. Atque id exemplum commendat etiam B. Basiliius eo libro, quo docet, quid ex gentium libris proficere possimus: atque ait, Cliniam illud de juramento nobis interdicto præceptum audivisse. De Clinia, laudi, an vitio illud duci debeat, non differam.

Sed

Sed de Basilio mirum, quodd & hic, & Psalm. xiv, *ἀπλῶς* omni iuramento interdici à Christo putet Matthæi quinto; non autem eo solum, quod per creaturas fit, vel per Deum quidem, sed ubi nulla urget necessitas. Quamquam Basilio etiam assentiat Isidorus Peliusota lib. i. epist. clv. Pariterque animatus fuit Julius Aufonius, qui, ut scripsit filius eius Idyll. ix,

Iurare, aut falsum dicere, par habuit.

Sed aliter Hieronymus in cap. v. Matth. Augustinus in eundem, & veterum alij.

Vt plurimum autem, qui apud Romanos deferebat iusiurandum, petebat sollemni formulâ iurari, vel per Iovem, vel simpliciter per salutem, vel per utrumque. Formula, quâ per Iovem lapidem iurabant, hoc modo concipiebatur, ut autor est Festus: **SCIENTIUS FALLO, TUM ME DIESPITER, SALVA VRBE ARCEQVE, BONIS EIICIAT, VT EGO HVNC LAPIDEM.** Per salutem suam hoc pacto iurabant: **ITA MIHI DEOS VELIM PROPITIOS.** Habes & iuramentum istud Scipionis apud Livium lib. xxxi: **SI SCIENTIUS FALLO, TUM ME, IVPETER OPT. MAX. DOMVM, FAMILIAM, REMQVE MEAM PESSIMO LETHO AFFICIAS.** Vide Rævardum lib. v. Var. cap. v. Vt per liberos, propinquos, & cineres, soleat iurari, docet Andreas Schottus lib. iiii. Observat. Human. cap. xxxix. Quàm multiplex etiam iusiurandum fuerit apud gentes, docebit Alexander ab Alexandro lib. v. cap. x. & Tiraquellus ibidem in notis.

III. Præterea asserimus, nos ex animi sententiâ, sicut vulgò verbis concipitur, iurare velle; idque propterea, quia pium sit, negotium totum Deo committere; neque opus esse iudicibus aliis, cum litis iudicem faciamus adversarium. Nam, ut scribit Paullus § lib. xxxviii. ad Edictum: *Manifesta turpitudinis & confessionis est, nolle nec iurare, nec iusiurandum referre.* † manifeste, ff. de iur. reuocando.

IV. Adhæc, si iuratum sit, vel à nobis factum est, vel ab adversariis. Si à nobis; vel vera sunt, quæ verbis conceptis affirmavimus; vel falsa. Si falsa; dicendum monent, hautquaquam periurando nos adversarium iniuriâ affecisse, quia iniuria omnis sponte inferatur; nos autem ad iurandum fuerimus coacti. Sin adversarius falsa iuraverit; dicendum, eum omnia tollere, quisquis non ster iuramento: quodd si iudices iurati non possint contra leges, in quas iurarint, iudicia disponere; etiam alios oportere *ἑυαρκείν*; † ideoque apud Romanos *τὰς ὀπορεύετας τὰς Δία* † saxo Tarpeio deiici solere: & iuxta * iusiurandum servare. † qui perierunt.

gentilium

gentilium religionem, Dianam, per quam jurare soliti, *ὡς δὲ θεῶν*
ἢ ἀμαρτὰς καὶ τῶν θεῶν, μάλιστα ἢ τῶν ἀμειβόμενων, ἔστι θεῶν ἀμειβόμενον τιμω-
*ρῆσαι ** : ut scribit Aristænetus lib. i. epist. x. Quin eos, qui peie-
 rant, à Iove solere fulminæ tangi, quam veterum fuisse opinionem,
 ex Aristophane, & Luciani Timone, Turnebus probat lib. Advers.
 xxv. cap. ix. Ab Ifide etiam peierantes oculis solere orbari, ij-
 dem opinabantur : ut ex Ouidio, Iuvenale, & Græco Lucilij epi-
 grammate, Andreas Schottus docet Observat. Human. lib. i. cap.
 vi. Imò apud Ægyptios, ut auctor est Diodorus Siculus lib. i. per-
 juri supplicio capitis afficiebantur, quia duplici se scelere polluis-
 sent : ut qui læsissent pietatem in Deos, & fidem, quæ humanæ so-
 cietatis est firmamentum.

Atque hæc de locis argumentorum inartificialium : quæ sola ferè
 sectantur isti mollicelli oratores, qui lusorijs magis gaudent armis,
 quàm decretorijs. Nam, ut inquit Fabius lib. v. cap. viii. *Pars al-*
tera probationum, quæ est tota in arte, constatq; rebus ad faciendum fidem
appositis, plerumque aut omnino negligitur, aut levissimè attingitur ab iis,
qui, argumenta velut horrida & confragosa vitantes, amœnioribus locis
desident; neque aliter quàm ij, qui traduntur à Poëtis gustu cuiusdam apud
Lotophagos graminis, & Sirenum cantu deliniri, voluptatem salu-
ti pratulisse, dum laudis falsam imaginem persequun-
tur, ipsâ, propter quam dicitur, victoriâ
cedunt. Hæc ille.

FINIS LIBRI PRIMI.

GERARDE

GERARDI IOANNIS VOSSII
COMMENTARIO-
RVM RHETORICORVM,

SIVE

ORATORIARVM
INSTITVTIONVM

LIBER II.

QVI EST
DE INVENTIONE
ΠΑΘΩΝ, ΚΑΙ ΗΘΩΝ.

CAP. I.

DE AFFECTIBVS GENERATIM.



ALTERA Oratoria Inventionis pars tractat affectus. Sunt autem affectus immutationes appetitus sensitivi, ab objecta rei bona vel male specie provenientes. Sive, ut Aristoteles definit, sunt commotiones animi, per quas hi immutati diversimode iudicant, quas sequitur dolor ac voluptas.

Vt affectus ciere valeamus, tria imprimis cognita sunt necessaria; qui, & erga quos, & quibus de causis, hoc, vel illo affectu, soleant homines commoveri.

I. QUOMODO LATINI ΤΑ ΗΘΗ ΚΑΙ ΠΑΘΗ ΑΠΕΛ-
ΛΕΝΤ: ΑΤΩΕ ΑΕΦΕΚΤΥΜ ΔΟΚΤΡΙΝΑΜ ΙΝ
ΡΗΤΟΡΙΚΙΣ ΤΡΑΔΙ ΟΡΤΕΡΕ.

CVM univēsa Inventio Oratoria consistat in ratione docendi, permovendi, & conciliandi; de primo, quod fit probationibus,

Bb

bus,

bus, hactenus adsum est: porro verò de reliquis duobus instituenda est tractatio; puta de affectionibus, & moribus, quæ Græci πάθη καὶ ἦθη appellant. Neque me clàm est, Rhetores uno prope ore afferere, duo esse affectuum genera; mitius, & grandius; illud etiam Aristoteli ἦθος dici, hoc πάθος. Sed, ut cum Poëta loquar, *Longius à veri lapsi ratione videntur.* Nam πάθος affectus omnes, tum leniores, tum vehementiores, comprehendit: ἦθος verò mores significat. Ita enim transkulit ipse Tullius lib. de Fato, & orat. de lege Agraria ad Quirites: quamvis Quintilianus * voce, quâ ἦθος exprimitur, carere censet sermonem Romanum. Sed & vox ipsa indicio, & quæcunque de ἦθους καὶ πάθους ab Aristotele exponuntur. Objectet fortasse aliquis illa Fabij verba lib. vi. cap. lxxi: *Affectuum, sicut antiquitus traditum accepimus, dua sunt species: alteram Græci πάθος vocant, quam nos rectè vertentes, ac propriè, affectum dicimus: alteram ἦθος.* Et aliquanto post: *Affectus igitur hos concitato, illos mites atque compositos, esse dixerunt. In altero vehementer commotos, in altero lenes. Denique hos imperare, illos persuadere: hos ad perturbationem, illos ad benevolentiam prevalere.* Et interjectis nonnullis: *Illud adhuc adicio, πάθος, atque ἦθος, esse interim ex eadem natura: ita ut illud majus sit, hoc minus: ut amor πάθος, charitas ἦθος. Interdum diversa inter se, sicut in epilogois. Namque πάθος concitat, ἦθος solet mitigare.* Sed si Fabius censet, τὸ πάθος, καὶ ἦθος, solum gradu differre, quia illa sint vehementiora, hæc mitiora; totà errat vià, cum ipsà differant ἰσότη, ut arguunt definitiones amborum. Imò nec semper πάθος sunt vehementia; sed etiam mitis & compositus amor, πάθος nomen meretur. At ne videamur λογισμαχίον, de eo non pugnabimus, quod ait, affectum complecti πάθος sive affectum propriè dictum, & ἦθος. Nam dicere possumus, similiter ἦθος comprehendere πάθος, & ἦθος propriè dictum. Nam & mimi Tullio † dicuntur ethologi, quia mores affectusque exprimant: ut non uno agnoscit loco Budæus ‡. Ac Cæsar Scaliger lib. iv. de re poëtica cap. x. quo agit ἠθῶν ἦθος, adducit pro hac sententia Hermogenem: ut qui inter dicendi formas etiam reponat τὸ ἦθος, quod unicuique suam tribuit naturam: atque hoc ἐπιδαδειος nominet, quia mores † affectus quidam sint, & univèrsalior est ἰσότης.

† in Oratio-
re.
‡ annotat.
prioribus in
Pandect. &
commen.
lingue Gr.
pag. 795.
edit. Rob.
Steph.
† Scaliger
de re poët.
pag. 466.
edit. Santà-
dreana an.
1594.

Vulgò πάθος appellant *passiones*; quam vocem qui jam Plinii ætate obtinuisse, contendunt, multùm aberrant. Nam apud eum quidem lib. xx. cap. v. ubi de staphylini femine sermo est, legi solet, *illitum quoque passionibus ventri earum proficit.* Sed jam olim Hermo-
laus

ſaus Barbarus † veterem reſtituit lectionem, quæ eſt, *illitum e paſſo*. † *gloſis Pliniani voce Paſſiones. *lib. 1. cap. 10. ſect. 5.*
 Vbi *paſſum* ſumitur, ut à Iuvenale ſat. xiv. Quæ de noſtione abunde dictum ſuperius *. *Παſſον* verò non rectè *paſſiones* transferri, agnovit jam olim B. Hieronymus : cui & Valla ſubſcribit annot. in cap. x. ad Rom. Nec Ciceroni aſſentio, qui *παſſον perturbaciones* vertit. Nam *perturbatio nomine ipſo declarari vitioſa videtur* : ut ipſe fatetur lib. xxi. de Fin. Nimirum tranquillitatem turbat, ſi verè perturbatio dici mèretur. Nec meliùs cum eodem dicas *morbum animi*, vel *agritudinem* : quia quod *agrotatio in corpore*, id in animo *agritudo* : ut idem ait Tuſcul. iv. Nempe huiusmodi appellationes conveniunt tantùm motibus animi, quando rationi non obtemperant. Requiritur autem vox, quæ locum etiam habeat, quando motus conſiſtit intra modum : quem *μετεωραδεις* Synefius *, & Græcorum alii, appellant. Quare placet *affectuum* nomen, quo uſus Ovidius, Livius, Valerius, Seneca, Plinius, alij : ſive *affectionis*, quod eſt apud Cic. x. de Invent. lib. x. Gell. lib. i. cap. ult. Quamquam nec improbem *commotiones animorum*, quod eſt apud Tuſcul. lib. xxi. de Fin. vel ſimpliciter *permutationes*, ut idem in Lucullo appellat. * *epiſt. 149.*

De affectibus, uti & *αἰσθησῶν*, agitur à dicendi ſapientique magiſtro libro Rhetoricorum ſecundo, qui profectò auro contra carus non eſt, ut pote totus aureus. Sed obſtrepit nobis nuperus Sophiſta. Quippe grandi cum ſupercilio adverſus Ariſtotelem inſurgit, atque in Rhetoricis de affectibus agi potuiſſe negat, quia de ijs in Ethicis ſit pertractatum. Mirum verò, niſi hoc ignoravit, non adjeciſſe etiam in Phyſicis de eo agi potuiſſe, atque aded actum videri. Neque enim levi tibicine hanc mihi videor ſtatuminare poſſe ſententiam, cùm ſciam, ab Simplicito † citari Ariſtotelis librum de naturalibus affectibus. Is licet deperierit nobis, haut difficilis tamen conjectatio eſt, omnino fuiſſe *ψυτολογικόν*, quia Ariſtoteles in phyſicis eum ſequitur ordinem, quo Timæum Pythagoricum libros ſuos de naturâ conſcripſiſſe, ex Platonis Timæo liquidè cognoviſſimus. Egerat autem Timæus de affectibus libro de ſanitate & agritudine. Itaque inibi quoque Ariſt. tractaſſe videtur de affectibus. Eſtque in hæc quoque ſententiâ Felix Accorombonus. Ut ut eſt, pluribus ab Ariſtotele locis de affectibus actum eſſe, haut diffitemur ; neque aliter fieri debuiſſe, nobis perſuaſiſſimum eſt ; cùm id diverſo factum ſit ſine, ac modo. Nam in Phyſicis agendum eſt de affectibus, quia accidunt certæ corporis naturalis ſpeciei, puta animali : in Ethicis de ijs tractatur, quia virtutis opus eſt moderari af-

† *componet. in Epicetæ.*

fectus : in Rhetoricis denique de ijs docuit , quia oratoris est ciere affectus in auditoribus . Itaque non quidem omnes affectus considerat in Rhetoricis ; sed , cæteris præteritis , eos solùm explicat , qui conferunt ad persuadendum .

II. QUID SINT AFFECTVS

SUNT autem *τὰ πάθη* , seu affectiones , nihil aliud , quàm ea , per quæ animi , cùm se immutant , in iudicatione differunt , quos sequitur molestia & voluptas . *Ἐστὶ δὲ τὰ πάθη δι' ὅσα μεταβάλλονται διαφέροσι καὶ τὰς κρίσεις , οἷς ἐπιλύται ἡ γνώμη* . Animus certè affectibus mutatur , cùm videamus , nobis aliud dicere mentem , affectionum exæstantem fluctibus , aliud iam sedatam . Hinc Parmeno apud Terent . Eunuch * ; *Quid hoc morbi est ? Adeo homines immutari ex amore , ut non cognoscas eundem esse , &c.* Et M. Antonius apud Cicero nem lib. II. de Orat . *Plura enim homines iudicant odio , aut amore , aut cupiditate , aut iracundiâ , aut dolore , aut lætitiâ , aut spe , aut timore , aut errore , aut aliquâ permotione mentis ; quàm veritate , aut præscripto , aut juris normâ aliqua , aut iudicij formulâ , aut legibus* . Idem Cicero pro Marcello : *Servi igitur ijs etiam iudicibus , qui post multis seculis de te iudicabunt , & quidem hanc scio , an incorruptius , quàm nos . Nam & sine amore , & sine cupiditate , & rursus sine odio , & sine invidiâ , iudicabunt* .

Atque hinc caussa liquet , cur , quamdiu affectus durat , homines præcipiti cursu ad scelus ferantur : at , eo commisso , rem iusto pondere æstiment , Menander apud Stobæum :

Οὐδέ τις ἔωιδεν ἐξαμαρτάνων , πόσον

Ἀμαρτάνῃ τὸ μέγεθος ἔσται δ' ὄργη .

Quantum suum sit crimen , hanc quisquam vider ,

Quam peccat : istud re peractâ conspicit .

Cujus rei exemplum Tacitus ponit in Nerone , cùm matrem interemisset . Sic enim de eo scribit xlv. Annal . *Sed à Cesare , perfecta demum scelere , magnitudo eius intellecta est* . Nec Iusto Lipsio aduerser , qui hæc ex Menandro expressa censebat .

Fortasse autem ed , quod pro affectibus animus mutetur , Stoici illi spectabant , qui dixere , affectus esse iudicia atque opiniones : ut liquet ex Cic . iv. Tusc . Quæst . Nempe ut verba eorum intelligamus , non propriè , sed per *μετανομήναι* , sive , ut vulgò dicimus , non formaliter , sed causaliter : quomodo eclipsis dicitur esse interpositio terræ inter Solem & Lunam , quia interpositio hæc est deliquij illius .

illius causa. Galenus tamen, libro de placitis Platonis & Hippocratis, ait Chrysippum propriè illud intellexisse. Quod si est, immane quantum ratio eum fugit: quia opiniones & judicia pertinent ad facultatem animæ cognoscentem: affectus autem resident in facultate appetente: quippe quorum objectum sint bonum & malum, non verum falsumve.

Iure autem, cum in assignatâ paullo antè affectus definitione, tum etiam lib. I I. Nicomach. dicitur, affectuum pedisequas esse molestiam & voluptatem. Neque enim semper ab affectu est, quod à priori iudicio delectamus; verum interdum, quia magis penicillando melius certiusque rem cognoscamus, juxta illud Euripideum; *Δούρειο ΰγαστιδι σφάτρεσι, Cura secunda sapientiores*: atque hoc P. Syri; ** Discipulus est prioris posterior dies*. Quare optimè Aristoteles in definitione suâ asserit, affectum esse, non quandocunque de eadem re non eodem iudicamus modo, sed quando insuper animi commotionem sequitur voluptas, aut dolor.

Nec obitat, quod voluptas etiam nascatur, si sententiam mutemus, ubi præelari aliquid edocti sumus. Nam voluptas ea sequitur iudicium rationis, non proximè, & per se; sed per accidens & remotè; nempe interveniente appetitu sensitivo, qui prout res bona fuerit, aut mala, ita cor hominis afficit, unde & *affectus* dicitur. Nam boni apprehensione cor hominis se dilatat: apprehensione mali idem se contrahit. Unde est, quod affectus à multis definitur, motus appetitus sensitivi ex apprehensione boni vel mali eum aliqua non naturali corporis mutatione. In quam sententiam legere potes, quæ differunt Thomas uterque, Aquinas, & Cajetanus, in prima secundæ Summæ Theologiæ, quæst. xxii, capite, sive, ut loquuntur, articulo I. I. I. I. I.

Iure autem prudentissimus Deus animis nostris indidit affectus, ut sint quasi adminicula ad præclaras actiones. Quod enim ventus navigio, id nobis affectus: in quorum temperie animi nostri tranquillitas, imò vitæ hujus felicitas consistit. Nimirum his ferimur ad ea, quæ recta ratio dicat. Sin ratio ipsa clavo excuti se patiat; non jam illi ad virtutem ducunt, sed ad vitia; ut verè tum morbi sint animi. Quod minimè fit in homine prudenti, qui non affectu vacat, sed affectui imperat. Eoque Stoicorum finitioni, quâ *πάθος* esse dicitur *ὁππότεν ἄλογόν ἐστιν* †, jure nigrum Theta præfigimus: eum in affectibus modus servari possit, certè debeat. Vide Theophrastum in I. I. de Anima: item quæ partim de hac Stoicorum

† *impetus
immodicus,
accidit
dicitur.*

sententia, partim contra eam, differunt, Cicero pro Muræna, Seneca de Tranquillitate animi, Galenus lib. de curandis affect. atque ex Ecclesiæ doctoribus, Lactantius lib. vi. cap. xv. Ambrosius lib. de incarnatione Dom. cap. vii. item de obitu Gratiani, Augustinus lib. xiv. de Civ. Dei cap. viii. & ix, atque alij magno numero. Quod si quis contentus sit juniorum rivis, instar multorum erit Piccolominæus Moral. Philos. gradu i. cap. xxiii. & xxiv.

Quam verò hæc de affectibus doctrina Oratori necessaria sit, indicat hic Taciti locus, vel quisquis auctor est dialogi de Oratoribus: *Facilius iram iudicis, vel instiget, vel leniat, qui scit, quid sit misericordia, & quibus animi motibus concitetur. In his versatus orator, sive apud infestos, sive apud cupidos, sive apud invidentes, sive apud tristes, sive apud timentes dicendum habuerit, teneat habenas animorum, & prout cuiusque natura postulabit, adhibebit manum, & temperabit orationem, parato omni instrumento, & ad omnem usum reposito.*

III. DE NUMERO AFFECTVVM, ET QVOS EX IIS
CONSIDERET ARISTOTELES IN RHETORICIS, ET QVÆ IN IIS
SPECTET.

* 1. 2. qu.
23.

AFFFECTVS, ut optimè Thomas Aquinas * differit, vel locum habent in facultate *βηδουμικη*, sive concupiscibili, vel *θυμωδῃ*, sive irascibili. In concupiscibili sedem obtinent sex affectus. Nam si offerat se res bona, oritur ejus amor: ac si absens sit, desiderium ejus existit: ubi verò illud consecuti sumus, gaudium exsurgit, seu delectatio. Iidem siquid se obtulerit sub specie mali, ejus nascitur odium, quod amor opponitur: si malum absit, fuga sive averfatio ejus erit, quæ repugnat desiderio: si malum præfens erit, exoritur dolor sive tristitia, quæ gaudio adversatur. At affectus, qui in irascibili sedem habeant, quinque numero sunt: duo ratione boni, tres ratione mali. Nam bonum arduum (quod irascibilis facultas respicit) vel ejusmodi est, ut aliquis se credat illud consequi posse: atque exoritur spes: vel tale est, ut credat aliquis, se id non valere adipisci, ac nascitur desperatio. Ratione verò boni ardui præfentis, nullus in irascibili est motus, quia, quod quis jam obtinet, ardui habere rationem desijt. Ratione autem mali ardui, tres exsurgunt affectus: quia aut malum arduum est absens, aut præfens. Si absens, vel

vel refugimus, & est metus sive formido: vel obviam ei imus, & est audacia. Sin præfens sit, fuerit ira, quâ exardescimus ad malum depellendum.

Atque hi sunt XI. affectus principes, ad quos cæteri referuntur. Quomodo ad dolorem pertinent pudor, misericordia, invidia, æmulatio: lenitas autem refertur ad iram, cujus privatio est: de gratia, verecundia, inverecundia, inferiùs dicemus.

Ab Aristotele tredecim ex hisce affectibus exponuntur in Rhetoricis; idque hoc ordine: ira, lenitas, amor, odium, metus, confidentia, verecundia, inverecundia, gratia, misericordia, indignatio, invidia, & æmulatio.

Considerandæ autem sunt in hisce affectibus personæ duæ; quæ afficitur, & ea erga quem afficitur; ac præterea affectionis causa. c. g. quis irascatur, & cui, & quamobrem. Ac tria hæc in singulis penè affectionibus tractat Aristoteles. Insuper verò definitionem eorundem præmittit, ex quâ tria illa velut resultant & efflorescunt. Aristotelem hæc in re fere omnes sequuntur: inter alios autem Antonius Minturnus, qui libro III. de poëta, ex fontibus Aristoteleis sua se deduxisse, ingenuè agnoscit. Nec sanè meliora Aristoteleis, vel ille, vel alius, asserere potuisset. Nonnunquam verò quatuor ijs subjungit Aristoteles, quomodo Oratores hæc ad usum revocent. Nos etiam hæc quinque in affectibus omnibus deinceps considerabimus. Atque operam dabimus, ut nostra hæc sint libri commentarij loco in ea, quæ brevius obscuriusque dicuntur ab summo illo & ssetore & philosopho. Ac primò de ira videamus.

CAP. II.

DE IRA.

IRA est quidam cum dolore appetitus vindictæ, quam videamur nobis posse exsequi ob non convenientem nostris nostrorumve contemtum.

Est vero is contemtus triplex, κατασπόννησις, ἐμπρακτός, ἢ ὀφείσις †.

Κατασπόννησις est merus despectus. Ceteri insuper requirunt, ut quis adverteatur alteri, non quo sibi profit, sed ut alteri obsit. Atque ἐμπρακτός quidem est in consilio, vel emolumento impediendo: ὀφείσις autem finis est pudor atque ignominia.

† despectus,
incommo-
datio, &
contumelia.

I. VARIÆ APPELLATIONES IRÆ.

† in Il. a.
pag. 8.
Rom. edit.

† ira per-
manens.
* traictis
literis.

* quiddam
diutius per-
manens.

* Definitio-
nes rerum
simplices.

† notis in
Gregorium
notissimum
de hominis
opificio.

† Fict est
apud Leu-
clavium,
meteo non-
nihil ad-
versante.

* 5. Æn.

* Adl. Æt.
3. sc. 2.

† L. divortia
3. ff. de di-
vort. c. l.
4. 8. quic-
quid. ff. de
Reg. Iuris.
* col. 2857.

DIFFERUNT, juxta Eustathium †, θυμὸς sive ἔργη, ἡ μίση, quod prius duobus significetur levis exandescencia, facileque resistens : μίση vero diutissime insit. Ac θυμὸς quidem dici putat δαδὸν τὸ θυμὸν, quod est ἔργη, hoc est, subito commoveri : ἔργη autem δαδὸν τὸ ἔργηται, hoc est concupiscere, quia est appetitus vindictæ : μίση vero δαδὸν τὸ μίσηται, quia est χολὴ δάκρυον †, ut Didymus interpretatur. Fortasse tamen verius sit, ἔργη καὶ μετάδουον * fieri à Chaldaico & Syriaco ῥογεχ, hoc est ira. Nonnulli vero ed θυμὸν & ἔργη distinguunt, quia, ut ibidem Eustathius monet, ἔργη habeat μοιματῆρες τε *. Cui sententiæ etiam favet Gregorius Nazianzenus libello, qui inscribitur Ὁ ποι παχυπεῖς †. Unde hos senarios exscripsimus:

Θυμὸς μὲν ἐστὶ ἀσπὸς ζήσος φρεσὸς.

Ὁ ῥηὶ δὲ θυμὸς ἡμίμων. ὃ δ' εἰς κακὸν

Μημίμων, λοχῶντε, μμοικανία πυχαίνε.

Quæ sic reddebat Io. Leunclavius †:

Est fervor animi subitus iracundia.

Sed ira durabilior hac. addas cui

Si damna, & insidias, erit † μμοικανία.

Adde sis,

Injuriarum memoriam quam dixeris.

Sed θυμὸν, ut puto, haut satis commode iracundiam vertit: cùm ira, & iracundia, differant, ut iratus, & iracundus: unde Donatus Adel. Act. IV. Sc. VII. Ira de causa est, iracundia de virio multum irascentis. Nec videntur Romani habere vocabula, quibus iræ gradus distinguant. Nisi quod gravior ira, καὶ μεταφρεσὸν vocatur furor. Unde Venus apud Maronem *, cùm dixisset, Iunonis gratia ira: pōst subijcit, --- Causas tanti sciat illa furoris. Imò Horatio ira ἀπλάσ brevis esse furor dicitur. Et Geta apud Comicum ait *: Με μισηρὸν! vix sum compos animi: ita ardeo iracundiâ. Sanè quia irati non sunt animi satis compotes, ed nec satis, quid dicant, sciunt: ut de voluntate eorum nihil statui possit, priusquam ira refederit. Unde Paullus lib. xxxv. ad Edictum †: Quicquid in calore iracundia vel sit, vel dicitur, non prius ratum est, quàm si perseverantiâ apparuit, iudicium animi fuisse. Quæ verba perperam Paulo abjudicat Barthius Adversar. lib. L x †.

II. Quo-

II. QUOMODO DEFINIATUR IRA AB
ANTIQUIS.

VARIÆ sunt iræ definitiones apud veteres. Diogenis definitio à Laërtio affertur in Zenone. Tres etiam definitiones iræ ex Senecæ de irâ libris (in quibus tamen eas frustra hodie quæras) Laëtantius affert lib. de irâ Dei. Ciceroni quartâ Tusculanâ ira definitur, *libido puniendi ejus, qui læsisse videatur iniuriâ*. Alij item aliter describere. Aristoteles, qui rectam definiendi rationem pro singularum disciplinarum naturâ solus perspexit, lib. I. de animâ duo facit definitionum genera, unum Physicum, alterum Dialecticum. Physica definitio vel perfecta est, vel imperfecta. Imperfecta solam exponit materiam. Ejus exemplum apud Aristotelem est, cum ira definitur; ζῆλος ἢ ὄρεσι καρδίας αἰμαλῆς * : cui similem adfert Damascenus lib. I. Orthodoxæ Fidei cap. xv. Perfecta non materiam solam affert, sed simul formam complectitur; ut si imperfectam physicam cum dialecticâ jungas. Nam dialectica definitio solam formam explicat, quia cum Dialecticus circa quidlibet versetur, nec certo sit generi adstrictus, minus materiam moratur. Porro dialectica definitio apud Aristotelem est istiusmodi: ὁρῶν ἔστιν ὀρέξις καὶ λύπη πικρίας φαινομένη διὰ φαινομένην ἀλεγορίαν ὅτι εἰς αὐτὸν, ἢ εἰς αὐτὸς τίνα μὴ ὁμοιωμένους. *Ira est coniuncta cum dolore cupiditas sperantia ultionis, propter apparentem contentum, quod quis vel se, vel suorum quempiam, contra quam oportuit, affectum esse putat.*

III. PARTICVLATIM EXPENDUNTUR, QUÆ ARISTOTELES DEFINITIONE IRÆ COMPREHENDIT.

IN Aristoteleâ hac definitione consideranda sunt sex. Primum est genus ipsum: quod est ὀρέξις, sive appetitio, pro quo libido est apud Tullium, ut paullo antè vidimus.

Deinde dicitur ea fieri μετὰ λύπης, cum dolore. Hinc divinus Poëta I. Æn.

--- *Causa irarum, sævique dolores.*

Et lib. IX:

Ignescunt iræ, & duris dolor ossibus ardet.

Itemque Horatius lib. I. epist.

I. VAR.Æ APPELLATIONES IRÆ.

† in Il. a.
pag. 8.
Rom. ed. i.

DIFFERUNT, juxta Eustathium †, θυμὸς siue ὄργη, ἡ μίαις, quod prioribus duobus significetur levis excaudescencia, facileque refidens: μίαις verò diutissime insit. Ac θυμὸς quidem dici putat Διὸς τὴ θυμῶν, quod est ὄργη, hoc est, subito commoveri: ὄργη autem Διὸς τὴ ἀπέχασθαι, hoc est concupiscere, quia est appetitus vindictæ: μίαις verò Διὸς τὴ μίαιων, quia est χολῶν ὀπίμων †, ut Didymus interpretatur. Fortasse tamen verius sit, ὄργη καὶ μεταδάμων * fieri à Chaldaico & Syriaco rogez, hoc est ira. Nonnulli verò ed θυμὸς & ὄργη distinguunt, quia, ut ibidem Eustathius monet, ὄργη habeat μοιμαῖα τῶν τι *. Cui sententiæ etiam Faust Gregorius Nazianzenus libello, qui inscribitur Οἱ ποὶ παχικερεῖς †. Vnde hos senarios exscripsimus:

† ira permanens.
* iracitiss
liveris.

* quiddam
diutius per
manens.

* Definitio
nes rerum
simplices.

† notis in
Gregorium
Nyssenum
de hominis
opificio.

† Fieret esse
apud Leu-
clavium,
meo non
nihil ad-
versante.

Θυμὸς μίαι ἔστι ἀπόδος ἕκτος φερῶς.
Ὁ ὄργη ἢ θυμὸς ἐμύμων. ὁ δ' οἷς κἀκὸς
Μήμων, λοχῶντι, μοιμαῖα τῶν τι.

Quæ sic reddebat Io. Leunclavius †:

Est fervor animi subitus iracundia.
Sed ira durabilior hac, addas cui
Si damna, & insidias, erit †, μνομαλία.

Adde sis,

Injuriarum memoriam quam dixeris.

Sed θυμὸς, ut puto, haut satis commode iracundiam vertit: cum ira, & iracundia, differant, ut iratus, & iracundus: unde Donatus Adel. Act. IV. Sc. VII. Ira de causa est, iracundia de vitio multum irascentis. Nec videntur Romani habere vocabula, quibus iræ gradus distinguant. Nisi quod gravior ira, καὶ μεταφορῶν vocatur furor. Vnde Venus apud Maronem *, cum dixisset, Iunonis gravis ira: post subijcit, --- Causas tanti sciat illa furoris. Imò Horatio ira ἀπλοῦς

* 5. En.

* Adel. act.

3. sc. 2.

brevis esse furor iicitur. Et Geta apud Comicum ait *: Με μιση-
rum! vix sum compos animi: ita ardeo iracundiâ. Sanè quia irati non sunt animi satis compotes, ed nec satis, quid dicant, sciunt: ut de voluntate eorum nihil statui possit, priusquam ira refederit. Vnde Paulus lib. xxxv. ad Edictum †: Quicquid in calore iracundia vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quam si perseverantiâ apparuit, iudicium animi fuisse. Quæ verba perperam Paulo abjudicat Barthius Adversar. lib. LX †.

† l. divortii
3. ff. de di-
vort. c. l.
48. quic-
quid. ff. de
Reg. Iuris.
* col. 2857.

II. QUOMODO DEFINIATUR IRA AB
 ANTIQVIS.

VARIÆ sunt iræ definitiones apud veteres. Diogenis definitio à Laërtio affertur in Zenone. Tres etiam finitiones iræ ex Senecæ de irâ libris (in quibus tamen eas frustra hodie quæras) Lactantius affert lib. de irâ Dei. Ciceroni quartâ Tusculanâ ira definitur, *libido puniendi ejus, qui lassisse videatur iniuriâ*. Alij item aliter describere. Aristoteles, qui rectam definiendi rationem pro singularum disciplinarum naturâ solus perspexit, lib. 1. de animâ duo facit definitionum genera, unum Physicum, alterum Dialecticum. Physica definitio vel perfecta est, vel imperfecta. Imperfecta solam exponit materiam. Ejus exemplum apud Aristotelem est, cum ira definitur; ζῆσις ἢ αἰσὶ καρδίας αἰμαλῆσιν. * : cui similem adfert Damascenus lib. 1. 1. Orthodoxæ Fidei cap. xvi. Perfecta non materiam solam affert, sed simul formam complectitur; ut si imperfectam physicam cum dialecticâ jungas. Nam dialectica definitio solam formam explicat, quia cum Dialecticus circa quidlibet versetur, nec certo sit generi adstrictus, minùs materiam moratur. Porrò dialectica finitio apud Aristotelem est istiusmodi: ἡ ἐστὶν ὄρεξις ἐπὶ λύπῃς πικρίας φαινομένης διὰ φαινομένου ἡλιγορίας ἐπὶ εἰς αὐτὸν, ἢ εἰς αὐτὸ τίνα μὴ ὀρεσκόοντος. *Ira est coniuncta cum dolore cupiditas sperantæ ultionis, propter apparentem contemptum, quo quis vel se, vel suorum exemplum, contra quàm oportuit, affectum esse putat.*

* ferus sanguinis circa cor.

 III. PARTICVLATIM EXPENDVNTVR, QUÆ ARI-
 STOTELES DEFINITIONE IRÆ COM-
 PREHENDIT.

IN Aristoteleâ hac definitione consideranda sunt sex. Primum est genus ipsum: quod est ὄρεξις, sive appetitio, pro quo libido est apud Tullium, ut paulò antè vidimus.

Deinde dicitur ea fieri μετὰ λύπῃς, cum dolore. Hinc divinus Poëta 1. Æn.

--- *Causa irarum, sævique dolores.*

Et lib. ix:

Ignescunt ira, & duris dolor ossibus ardet.

Itemque Horatius lib. 1. epist.

--- Qui non moderabitur ira,

Infectum vult esse, dolor quod suaserit, & mens.

Tertium est τιμωρίας παρομένων, ultionis sperata, sive, eum puniendi, de quo poena posse sumi videtur. Hinc x. Æn.

--- Spes addita suscitatur iras.

Cæsari certè, vel Regi, non irascimur, quia ulcisci non possumus; nisi fortasse linguâ, in quâ imbellium arma sunt. Differunt autem propriè ὑβλάσις, sive castigatio, & τιμωρία, sive vindicta: illam quis expetit, quò emendetur is, qui poenas luit: hanc verò non propter alium, sed propter se, sumit; puta, ut animum suum expleat ulciscendo eum, qui antea læserat. Id voluit Aristoteles, cùm scribit 1. Rhet. cap. xxxix: ἢ ἢ ὑβλάσις ἢ πάχοντι ἐπεικέειν, ἢ ἢ τιμωρία τῷ μίῃτος. h. e. poena, sive castigatio, sive animadversio, fit eius causâ, qui patitur; vindicta verò ejus causâ, qui agit, ut expleatur. Vtrumque conjunxit Maro lib. 11. Æn.

--- Subit ira cadentem.

Ulcisci patriam, & sceleras sumere poenas.

Quamquam & dici queat, vindictam, ac poenam, hinc pro eodem sumi; quomodo & Aristoteles tertio Eth. Nicom. cap. vñ. de legislatoribus scribit: κολάζεις γδ, ἢ τιμωρῆντας τῆς δρῶντας, μαχθῆς.*

At parum rectè vindictam ac poenam confundit Tullius, cùm 1. de Invent. vindicationem esse ait, per quam vim & contumeliam defendendo, aut ulciscendo, propulsamus a nobis, & à nostris, qui nobis esse cari debent, & per quam peccata punimus. Nam postremum isthoc non vindictæ est, sed poenæ. In definitione autem voces propriè ac presè sumi debent. Ex his liquere arbitror, cur Aristoteles iram definiat cupiditatem vindictæ. Atque inde etiam est, quòd Terullianus sic adversus Marcionem disputet lib. 1. cap. xxv1: Si offensus, debet irasci: si irascitur, debet ulcisci. Nam & ultio fructus est ira, & ira debitum offensa, & offensa, ut dixi, comes frustrata voluntatis. Iulius tamen Scaliger mavult iram definire appetitum depulsiõnis, quàm ultionis. Ratio ejus est, quòd in periculis quoque irascamur, nullo dum perpetrato maleficio. Vide Exercit. cccxix. ubi & refutat definitionem iræ à Ludovico Vive assignatam; quemadmodum & eam, quam Melanchthon attulerat. Sed Scaligeri argumento non incommodè occurri videtur, si dicamus, cùm solùm depulsiõnis est appetitus, nonnisi laxè atque impropriè iram vocitari.

Quartum est, ἀπὸ παρομένων ἀναγωγίας, propter eum, qui apparet,

contens-

contemptum. Hinc I. *Æn.* afferuntur caussæ irarum Iunonis, spreta forma à Paride; & quòd Hebe filia Ganymedi esset posthabita. Sic enim ait;

--- *Manet altà mente repòstam*

Iudicium Paridis, spreteque injuria forma,

Et genus invisum, & rapti Ganymedis honores.

Quinto loco in definitione ponitur, *ἢ εἰς ἀνδρῶν, ἢ εἰς ἀπῶ τινα*, vel in se, vel in suorum quempiam. Neque enim quælibet læsio iram efficit; sed quæ commissa, aut committenda in nos, vel nostrum quemquam. Nam istiusmodi perpeti contemptum, non liberi est hominis, sed mancipij; ut vult Philosophus in IV. Nicomach. Certè, ut ait ille; *Contumeliam nec ingenuus fert, nec fortis facit.*

Denique in eadem est, *ἢ ἀεὶ ἀκόμωτος*, inconvenienter, injurià, immeritò. Ita Iuno irata fuit, quòd injurium esset, Heben, reginæ Deùm filiam, Ganymedi, hominis filio, postponi.

Et hæc de definitione, ex quâ cognoscere est, in irâ tum præsentis, tum præteriti, tum futuri temporis, considerationem concurrere. Præsentis quidem, cùm eam dicitur esse *ὑπερβίη*: præteriti, quia est *δὴ ἀφαιρέσις ἀλαζουρίας*: futuri, quia est *τιμωρίας ἀφαιρέσις*. Porro etsi hanc definitionem lib. I. de animâ reprehendat Aristoteles, tanquam Dialecticam & inanem, quòd formam quidem iræ declaret, at materiam negligat: tamen in Rhetoricis jure optimo fertur, in quibus minimè requiritur accurata illa definiendi diligentia.

IV. DE HIS, QUI IRASCI SOLENT.

IRASCUNTUR varia hominum genera.

Primò illi, qui dolent, se, aut suos, non eo reputari loco, quo oportebat. Ita post excessum Alexandri M. cùm duces decrevisissent, ut Roxanes partus expectaretur, atque equites in tutorum obsequia jurassent; *pedites* (verba sunt Iustini *) *indignati, nullas sibi consistorum partes relictas, Aridaum, Alexandri fratrem, regem appellabant.* * lib. 8 §.

II. Quibus directò quis, atque apertè, aut non directè, sed clam & obliquè, resistit; veluti cui quis adversatur in bibendo, sive id prohibeat, sive impediat, sive etiam non adjuvet, cùm possit. Notum illud Theocriti Idyll. xv: --- *μὴραντὶ γὰρ μὴδ' ἄποτ' ἔρθης, ἐστὶν οἴκῳ κείνῳ ἔστιν οἴκῳ κείνῳ*.

III. Qui morbo affliguntur; aut premuntur paupertate, aut

amant, aut ficiunt, & quotquot vehementer aliquid cupiunt, neque id consequuntur. Seneca lib. II. de irâ: *Senes, inquit, difficiles, & queruli sunt, ut agri, & convalescentes, & quorum aut lassitudine, aut de- tractione sanguinis, exhaustus est calor. In eadem cassâ sunt sicut fameq; rabidi, & quibus ex sanguine corpus est, maligneq; alitur, & deficit.* Et lib. III. cap. x: *Vetus dictum est, A lasso rixam quari. Equè autem & ab esuriente, & à sitiente, & ab omni homine, quem aliqua res urit. Nam ut ulcera ad leuem tactum, deinde etiam ad suspicionem tactus, con- dolescunt, ita animus affectus minimis offenditur. Cui geminum illud Am- miani Marcellini lib. XXVII: *Iram esse ulcus animi, prudentes desiniunt, nasci ex mentis mollicie consuetum; id asserentes argumento probabili, quòd iracundiores sunt incolumibus languidi, & femina maribus, & juvenibus senes, & felicibus arummosi.* Planiora hæc fient, si particulatim quoque de plerisque eorum loquamur.*

De morbo est hoc Hocratis in Æginetico: *Και ὅ φύσει χαλεπὸς ἄν, ἐπὶ δυσκολώτερον διὰ τὴν νόσον δέχεται.* Nam cum natura satis asper erat, tum morbo longè erat morosior factus. Itaque Horatius epist. XII. lib. I. inter alia, quæ Vinnium Afellam observare jubet in carmi- nibus suis Augusto offerendis, illud quoque ponit, *Si validus. Sè-* quitur autem,

*Ne Studio nostri pecces, odiumq; libellis
Sedulus importes, operâ vehemente minister.*

† Amphitr. De amore est apud Plaut. † Mercurij istud de Iove Alcmenam
act. I. sc. 3. depereunte, eoque ἔξυχάλω: *Ex amore hic admodum quam scyus est!*
† Pencilo Apud eundem ait Milphio †: *Servire amanti miseria est, presertim qui,*
act. 4. sc. 1. *quod amat, caret.* Et eadem comediâ † Agarastocles, anori suo
† Pa. act. metuens moram, omnis est in accusando testudineam advocato-
3. sc. 1. rum tarditatem. Est & Terentij Heaut. * *Novi ego amantium ani-*
† Act. 3. *rum: advertunt graviter, quæ non censeas. Sive, ut Palmerius † legit,*
sc. 3. *Novi ego amantis. † animum advertunt graviter, quæ non censeas.* Itidem
† Spicilegio Cicero ad Trebatium *: *Quam sint morosi, qui amant, vel ex hoc intel-*
ad Euchar- *ligi potest.* Et apud Lucianum, conquerente Mercurio de immensis
dum. laboribus, jubet eum Maia properè exsequi mandata Iovis, ne pla-
† ut amā- gas auferat: ac rationem hanc sibi jicit, *Ὁ ἔχολος ἰδὸς ἐπ' ἄντης †.*
antis sit pro
amanteis.
* lib. 7.
epist. 15.
† nam ira-
cundi sunt,
quia amant.

De paupertate est istud Maronis Georg. II:

*Aut unde iratus sylvam devexit arator;
Et nemora evertit multos ignava per annos.*

De fame laborantibus, argumento est, quòd, qui semel de die su-
munt cibum, morosiores illis sunt, qui eum bis capiunt: quod &
expe-

experientia testatur, & ex deperditis Aristotelis Problematis ab Apollonio refertur in Historijs mirabilibus cap. ix. Idem firmat incertus auctor versuum, qui Plautinæ Amphitryoni inferuntur: *Veni st adagium, Fames & mora bilem in nasum conciuunt.* Vbi ednarium meminit, quia ijs spiritus æstuosius ebullit in iratis. Quod & respicit Persius sat. v: *Disce: sed ira cadat naso, rugosaq; sanna.* Imò Hebræis quoque eadem vox *aph*, & nasum, & iram notat.

Denique sitientes, jure, cùm ab Aristotele, tum à Seneca, reponi inter eos, qui aliquid vehementer cupiunt, ac proinde facile irascantur, vel indicio fuerit, quòd scribit Athenæus lib. x: *Τῆς δίψης ἡ δὲν ἐστὶ πολυποθτότερον. Siti vero nihil magis concupiscit.* Atque, ut ibidem est, *Διὸς δὲ τὸ Ἄργῳ πλουσίμων ὁ πεινῆς ἔστι πολυπόθτων διὰ τὸν ἄνθρωπον.* *Incirco & poeta Argos vocat diu multumque sitiitum, cùm dicere vellet, diu multumque desideratum, ob longi temporis absentiam.* Hæc enim mens est Athenæi, quã non cepit Dalecampius: ut qui *πλουσίμων στυγίον* vertat: ac *πλουσίμων διὰ τὸν ἄνθρωπον, omni tempore avidum.* Etiam Artemidorus lib. i. cap. lxxviii, cùm dixisset, bonum esse, si quis somniat, se sitire, & fontem reperire, causam addit, *τὸ δὲ δίψης ἢ ἄλλο ἐστίν, ἢ ἐπιθυμῆν.* *Sitire enim nihil aliud est, quàm concupiscere.* Sanè & Latinis *sitire* sic accipitur sæpe, & Hebræis *sanna*, ut Psal. xlii. 3. & lxi. 2.

IV. Irascuntur itidem, quorum quis præsentem contemnit statum: uti, quòd quis ægrotus, aut miles, aut pauper.

V. Adhæc, quibus mali aliquid evenit præter opinionem. Quæ quomodo enim magnopere delectant bona, quæ præter expectationem contigerunt; ita maximum afferunt dolorem mala repentina, & improvisa.

VI. Denique in ijs, qui facile irascuntur, spectatur circumstantia; veluti anni, aut dici tempus, quomodo caprarius apud Theocritum facile ait Pana irasci meridie, cùm à venatione defatigatus quiescit: itidem tempora tristiora, sive publicæ, sive privatæ rei calamitas evenerit: adhæc *διαθέσεις* sive affectiones, cujusmodi est moror: aut ætas, uti senectus, quæ naturâ est morosior.

Porro, qui irascuntur, tum dolent, tum gaudent; quemadmodum & amantes. Nam ut hi dolent ob absentiam amatæ; at gaudent, quia in spe habent, se eam adepturos, atque aded, sibimet ablandientes, spe eam præcipiunt: ita & dolent irati ob illatam ignominiam; gaudent autem ob spem vindictæ, in quâ immoratur

cogitatio. Cujus rei luculentum præbet exemplum Geta Terentianus *, quando imaginatur sibi quasi præsentem vindictam, atque eâ cogitatione suaviter se oblectat. Sic enim, totus in fermento cum esset, fermocinatur secum:

*Nihil est, quod malim, quam illam totam familiam dari mihi obviam,
Vt ego iram hanc in eos evomam omnem, dum agridudo hæc est re-
cens:*

*Satis mihi id habeam supplicij, dum illos ulciscar modo.
Seni animam primum extinguerem ipsi, qui illud produxit scelus.
Tum autem Syrum impulsorem, vah, quibus illum lacerarem modis.
Sublimem medium primum arriperem, & capite in terram statuerem,
Vt cerebro dispergat viam:*

*Adolescenti ipsi eriperem oculos: post hæc præcipitem darem.
Careros ruerem, agerem, raperem, tunderem, & prostermerem.*

Quid hæc aliud dicas, quam somnium esse vigilantis? Et tamen ferio his capitur, & imaginando ista tantum non triumphat. Nimirum verissimè Iuvenalis sat. XI I I.

At vindicta bonum vitâ jucundius ipsâ.

Et Achilles quoque, apud Homerum, iram ait liquenti melle dulciorem in hominum pectoribus gliscere. Locus est Iliad. Σ:

Ὅτι πολὺ γλυκίωσ μάλιστα καταλιχομένοιο
Ἀργῶν ἐν στήθεσσι ἀλέξει*.

* Dulcius
hæc multò
manat, quàm
mellaliquan-
ta, Mortale
in pectus.

Certè non Aristoteles modò in Rhetoricis hoc Homeri testimonio utitur: sed ante illum Plato quoque in Philæbo ostendit eo, in irâ esse mixtionem voluptatis, ac doloris; unde iratos idem venustè inibi confert cum illis, qui, dum tragedias spectant, simul & gaudent, & dolent. Iccirco memorem iram dixit Virgil. initio primi Æn. quomodo & Æschylus in Agamemnone dixit *μνημόνα μῆτιν*. Nam quæ jucunda sunt, ea & *εὐμνημόνα* †. Nisi malis odium significari, quod est ira inveterata, ut suo loco dicemus.

† facile
memoria
tenetur.

Quia autem, qui irascuntur, sperant, non obscurum est, cur iidem non metuant, cum spes tantum sit boni futuri. Certè Peripatetici iram ceteris fortitudinis esse dicunt: ut auctor est Tullius in IV. & V I. Tuscul. itemque IV. Academ. Quæst. & Lactant. lib. XIX. Quin etiam virum negant (inquit idem Tullius) qui irasci nesciant. Et rectè sanè, quicquid contrâ disputet Tullius. Nam fortitudini adversatur metus, cum is futuro ex malo sit: irati autem non habeant rationem mali futuri; quia, quem timemus, eum non speramus à nobis posse puniri. Hæc enim ratio est, cur pacati in eos simus, quos

quos metuimus, timore iracundiam restinguente, ut scribit Plutarchus *αὐτὸς ἀσπυγίος*.

Quemadmodum autem metus, si ingens sit, sedatur irā: ita, si iracundia excedat, tollitur metus. Illustre hujusce rei exemplum habemus in Priamo, cum Politem, filium suum, à Pyrrho, Achilles filio, interfici videret. Ita enim de eo Poëta †:

*Hic Priamus, quamquam in mediâ jam morte tenetur,
Non tamen abstinuit, nec voci iraque pepercit:
At tibi pro scelere exclamat, pro talibus ausis,
Di, si qua est cælo pietas, que talia curet,
Persolvant grates dignas, & premia reddant
Debita, qui nati coram me cernere letum
Fecisti, & patrios sadassti funere vultus.*

† 2. Æn.

Adi Aristotelem lib. III. Eth. Nic. cap. VIII. ubi sententiam suam isthoc Homericè confirmat: *Θένος ἐμὲ αὐτὸς θυμῷ* *. Eâdem in sententiâ est Plato, quem vide lib. II. de legg. Dissentiunt Stoici. Causas pete de Senecæ libris de irâ, ubi hanc Peripateticorum & Academicorum opinionem impugnat. Plutarchus quoque vult, ut calor est in febrî, sed intemperatæ, ac noxius; ita robur esse in irâ, sed improbum. Imò Arnobius non alienus ab hâc sententiâ videtur. Nam lib. I. ostendere conatur, iram non esse absque ægritudine, eoque non cadere in Deos. Vicissim Stoicorum dogma diluit Lactantius lib. de irâ Dei cap. XVI. ubi docet, sine irâ peccatum non corrigi; eademque in sententiâ sunt cæteri doctores Ecclesiastici. Quin in puero plurimi damnant *ἀσπυγίος* *, tanquam animi hebetis indicem: quâ de erudita exstat epistola Angeli Politiani ad Laurentium Medicem. Illud quoque non abs re fit adscribere, vehementiùs irasci viros bonos, hoc est, simplices. Cic. de Epicureis loquens †: *Solent enim, id quod virorum bonorum est, admodum irasci*. Hinc Horat. *

* robur animo iniecit.

* lenitudo animi, sive iracundia.

† lib. I. de Legg.

* lib. 2.

sat. 3.

--- *At est truculentior, atque*

Plus æquo liber: simplex forisq; habeatur.

Nam pro simplici haberi vult iracundum, quia tales esse solent, qui simplicioris sunt ingenij. Aristoteles quoque lib. I. Rhet. rationem purgandi monstrans, quâ sumimus *τὸ ἀσπυγίος* *, exempli loco adfert, si vocemur *τὸν ἀσπυγίον τὸν μακρὸν, ἢ πλῆν* †. Et hæc de ijs, qui irascuntur: deinceps videamus, quibus irascantur.

* que com sequuntur ven.

† iracundia ac infamia, ac simplicem.

V. QVI

V. QVIBVS SOLEANT HOMINES IRASCĒ

VIDIMVS, qui irascantur: nunc consideremus, quibus irasci & succensere homines consuerint. Irascuntur autem,

I. Alicui singularium. Nam, ut inquit Aristoteles, Cleoni quis irascitur, non homini. Vbi Cleonis potissimum meminit, qui homo erat garrulus, inquietus, & audax: inque seditione ex coriario factus fuerat imperator: ut cognoscimus ex Aristophane in *Nepheles*, ac Plutarcho in comparatione Nicæ, & Crassi.

II. Irascuntur præterea ijs, qui parvi faciunt, cum magni facere debeant. Istiusmodi sunt duo hominum genera. Prius est eorum, qui sunt inferiores genere, potentiâ, aut virtute. Nam opulentus ob diuitias, eloquens ob facundiam, & quisvis ob id, quo excellit, dignum se honore putat.

Ac quod quis magis excellit, hoc major est injuria, & contemtus. Salvanus lib. vi: *Semper enim per dignitatem injuriam perferentis, crescit culpa facientis: quia necesse est, quanto major est persona, qua contumeliam patitur, tanto major sit noxia ejus, qui facit.*

Alterum genus eorum est, à quibus non afficimur beneficijs, contra quam debebamus, quandoquidem vel nos de ijs bene meriti sumus, vel aliquis è nostris, sive hic cognatus fuerit, sive affinis, sive amicus. Ita irascitur Dido Æneæ, quod non respondeat beneficentiæ:

*Nusquam rata fides, ejectum litore egentem
Excepi, & regni demens in parte locavi;
Amisssam classem &c.*

Verum latius hæc deducit Aristoteles, cum quindecim facit hominum genera, quibus irascimur. Ea sunt,

I. Qui derident, aut subsannant, aut cavillis laceffunt. C. Cassius epistolâ ad Ciceronē ꝑ de Cn. Pompeio, Cn. Magni F. loquens; *Scis*, inquit, *quam se semper à nobis derisum putet: vereor, ne nos rusticè gladio velit armare meos* *. Sanè quia maledicta ac contumeliosa oratio iram concitant, inde est, quod veteres dicere solent *iram in auribus hominum habitare* ut est apud Herodotum in Polyhymniâ.

II. Qui damna dant non aliâ de causâ, quam ut alius gaudeant dedecore.

III. Qui vituperant ea, quibus maximè incumbimus: ut, si quis inychatur in Philosophiam apud eum, qui ejus studio sibi mirificè placeat.

* lib. 5.
epist.
* vicissim
irridere.

placeat. Istiusmodi autem vituperationem maximè iniquo ferunt animo, qui sibi probè sunt conscij, se non excellere in eo studio. Nam qui excellunt, cavillos ac ludibria minimi putant.

IV. Qui amicitia sunt conjuncti, nec ullo eam obsignant benevolentia signo. Putamus enim, hos benefacere nobis perpetuè debere. Itaque Servius Sulpicius malè ferebat, L. Murænam contra se à Tullio defendi, quòd sibi summa cum eo intercederet necessitudo. Certè, ut hæc ipsa in orat. Cicero ait: *Cum græve est verè accusari in amicitia; tum etiam, si falso accuseris, non est negligendum.* Pertinet huc quoque illud Petronij: *At enim amici fuerunt mei. eò majora meruerunt supplicia. Nam qui ignotos ledit, latro appellatur: qui amicos, paullo minus, quam parricida.* Sanè oportet & dictis, & factis, quantum jus fasque concedit, amicis obsecundare. Atque hinc quoque est, quòd fratres, propinqui, atque omnes qui valde amant, valde etiam oderint, ut postea * dicemus. * cap. 7.

V. Qui honorare desinunt. Nam contemnere videntur, qui non exhibent honorem, quem solebant.

VI. Qui, cum beneficio sunt affecti, non student parem facere rationem; & ἀπλῶς, quicumque acceptorum beneficiorum sunt immemores.

VII. Qui, adversantur aliorum conatibus, licet sint inferiores. Nam & hi superiores despiciunt.

VIII. Qui, cum amici sint, aut certè haberi velint; non tamen laudant, aut bene de nobis merentur. Et multò magis ijs irascimur, si vel vituperent, vel damnum dent, vel non sentiant nos egenos esse. Neque enim hoc eos lateret, si de nobis solliciti essent. Prudenter itaque Cicero ad Brutum: *De sororis tuae filijs non expectavi, Brute, dum scriberes.* Quasi dicat, se, nec monente Bruto, sensit se, quid expeteret. Contrà Horatius lib. i. sat. ix. irascitur Fusco Aristio, quòd studio hoc ageret, ut nesciret, quorum indigeret Horatius. Parque ratio, si in re necessaria multis apud amicum precibus sit opus. Vnde Bruto stomachus epistolà ad Ciceronem: *Nam si in tanta re, tamque necessaria, verbis mihi opus est ad te excitandum; nulla spes est facturum, quod volo. Quare noli expectare longas preces.*

IX. Qui calamitatibus nostris gaudent, aut in nostris infortunij securo sunt animo. Illud inimici, hoc contemtoris est indicium. Hinc Demosthenes, orat. in Zenothemin, exprobat ei, quòd se vino tantopere ingurgitasset. Verba eius sunt: *εἰ ἤδ' ἐν κακοῖς ἡ χεῖμασι τοῦ οὐτοῦ οἴνου ἐπιπῶ, ὡς τὸ μοῖον ἐν μαλίσ; τί ἐκ αὐτῶν εἶν παθεῖν;* Cui ut optimè obser-

† Nā si verbis
in adversis,
& ista pro-
cella, tantū
vini bi-
bit, ut si-
milis fieret
ipsi insania;
quid non
ille digna
perpetuè

* lib. 8.
Var. Lect.
cap. 4.
* Adolph.
act. 5. sc. 1.

observat Victorius *, planè geminum est illud Demæ ad Sy-
rum *:

*In ipsa turba, atque in peccato maximo,
Quod vix sedatum satis est, potasti, scelus.*

X. Qui non curant, num molestiam nobis faceffant, aut dolo-
rem afferant. Iccirco etiam irascimur mala nunciantibus.

† Nam ne-
mo amaris
nunciis
rei mala.
* Andr.
act. 2. sc. 5.

Ξίγρη δ' ἀδελφῶν κακῶν ἰπῶν †.

Vnde Byrria Terentianus, rei ingrata hero suo iudicium factu-
rus, ait *:

Renunciabo, ut pro hoc malo mihi det malum.

† Arcem
urbis.
† cap. 12.
ex Amel-
sagora A-
theniensis.

Exemplum etiam hujusce rei habemus in Iunone, quæ cornice,
ut aiunt, nunciante, Erichthonium esse detectum, irata hanc pec-
nam toti irrogavit cornicum generi, ne qua earum deinceps ἀπόστο-
λις † ingrederetur. Auctor Antigonus in congerie narrationum mi-
rabiliū †. Etiam in Euripidis Phœnissis Iocasta vix adduci potest,
ut post narrationem rei bene gestæ, addat aliqua ingrata, de fr-
trum singulari certamine. Eandem ob causam irascimur ijs, quibus
pensi nihil est, uti oratione scævā ac mali ominis, cuiusmodi erant fu-
nesta omnia, quorum mentionē veteres abominabantur. Vnde Suet-
tonius in D. Claudio: *Et in ultimā cognitione pro tribunali, accessisse se ad
finem mortalitatis, quamquam abominantibus qui audiebant, semel atque
iterum pronuntiavit.* Iccirco κατ' ἀφαιρέσειν hujuscemodi exprime-
bant. Tertullianus lib. de testimonio animæ cap. 15: *Si de aliquo
jam pridem defuncto tanquam vivo quis requirat, pre manu occurrit dice-
re: ABIIIT IAM, & REVERTI DEBET.* Quin &, cām conscribere

* Bene qui-
dē, ut spero,
erit: verum-
tamen, si-
quid scelus
contigerit,
ista statuit
Aristoteles.
† in Theo-
phraso.
* Bene qui-
dē, ut spero,
erit: ceterū
si quid
scelus acci-
derit, ita
statuimus.

rent testamentum, prius bene ominabātur sibi, quām eo quippiam
caverent. Aristoteles initio testamenti sui apud Diogenem Laër-
tensem: *ἔσαι ἦ δ', ἐὰν δὲ τι συμβῆ, τὰ δὲ δίδωτο Λεισοβλῆς **. Theo-
phrastus similiter apud eundem †: *ἔσαι ἦ δ', ἐὰν δὲ τι συμβῆ, τὰ δὲ δίδω-
μιμα †*. Itidem irascimur illis, qui sinistros rumores de nobis spar-
sos audiunt, aut sine dolore spectant calamitates, quibus affligimur.

XI. Qui nos despiciunt apud quinque hominū genera: nem-
pe apud eos, quibuscum de honore contendimus; aut quos admi-
ramur; aut a quibus suspici volumus; aut quos veremur; ac denique
qui nos verentur.

XII. Qui contemunt illos, quos turpe fit nobis non defende-
re; ut sunt parentes, liberi, uxor, subditi.

XIII. Qui εἰρωνεία ac dissimulatione utantur apud illos, qui ferid
agunt.

XIV. Qui

XIV. Qui, cum benefici sint erga alios, de nobis tamen bene mereri nolunt.

XV. Qui citò obliviscuntur penè nominis nostri. Nam oblitio istiusmodi est incuria; incuria verò est ex contemptu. At contra Andromache apud Virgilium ostendit, se nullis calamitatibus ira fractam, ut oblita sit vel nominis Ascanij, quod Ænæ sciebat gratissimum. Ait nempe †, *Quid puer Ascanius, superârne, & vescitur aurâ?* † An. 5.
Sed & Cyrus, Persarum rex, omnium suorum militum nomina edidit, quò eos nominatim compellendo sibi conciliaret; Cyrumque eâ in re Scipio Africanus, atque alij, imitati fuere.

Expofuimus quindecim hominum genera, quibus succensemus, atque irascimur. Quod si laxiùs iræ voce utamur, quomodo ea appetitus depulsionis ab Iulio Scaligero definitur, fatendum, non hominibus modò irasci nos, sed etiam rebus inanimis. Qua de re sic B. Augustinus epist. cxv: *Ira est turbulentus appetitus auferendi ea, qua facilitatem actionis impediunt. Itaque plerumque non hominibus tantùm, sed calamo irascimur in scribendo, eumq; collidimus atque frangimus: & aleatores tesseriis, & pictores penicillo, & cuique instrumento quilibet, ex quo difficultatem se pati arbitrantur.* Et hæc de ijs, quibus irascimur.

VI. QUA DE CAUSSA IRASCAMVR.

CAUSSA verò, ob quam alij irascimur, est ἀλεγορία, h. e. contemptus, sive, ut vertit Majoragius, negligentia. Certè Terentio quoque ἀλεγορία est negligi, ut liquet ex illo Adelphorum † loco:

Omnes, quibus res sunt minus secunda, magis sunt nescio quomodo

Suspiciosi: ad contumeliam omnia accipiunt magis:

Propter suam impotentiam se semper credunt negligi.

Sunt autem ἀλεγορίας species tres. Vna dicitur κατὰ πρόθεσιν, quam despectionem transferre liceat, cum vocabulo magis accommodato careat sermo Latinus. Altera est ἐπιγεσπιδος, sive ἐπίρρησις, quomodo serpius Demosthenes vocat: Majoragius transfert violentiam, minus commode, ut mihi videtur: melius alij incommodationem: quâ voce quoque utitur Terentius Andr. † quo loco Davum ἐπιγεσπιδος de-

scribit: Quem ego credo manibus pedibusque obnixè omnia

Facturum, magis id adèò, mihi ut incommoder,

Quàm ut obsequatur gnato.

Tertia est ὕβρις, sive contumelia. Κατὰ πρόθεσιν est merus despectus;

puta cum quid parvipendimus ac flocci facimus, licet non incommodemus. Sic Corydon apud Virgilium:

Despectus tibi sum, nec quis sim quaris, Alexi.

† *Mars.*

Εμπροσθός, cui ab *Αγνός* † nomen est, proprie est insultatio bellica. Significat autem hoc loco *ελαφιαία*, quæ aliqui aliorum operas ac studia conantur impedire, non ut ex eo sibi commodi aliquid contingat, sed ne alij, quod cupiunt, perficiant. Itaque *οι εμποσθός* eos, quibus insultant, neque admodum obesse posse existimant (alioqui enim ijs non incommodarent) neque multum prodesse posse iudicant; quia si utilitatem insignem ex ijs sperarent, id agerent, ut hos sibi amicos haberent. *Τέτις* est, cum quis damno ac dolore cum dedecore conjuncto afficit alium, non ut emolumentum quicquam percipiat, verum ut voluptatem capiat ex aliena ignominia. Latantur autem, qui alios ignominia afficiunt, quia hæc ratione ijs præcellere videntur; unde fit, ut juvenes, & divites, præ cæteris sint contumeliosi. Seneca Commentario, quo disputat, in sapientem non cadere injuriam, cap. xi. *Præterea cum magnam partem contumeliarum superbi insolentesq; faciant, & malè felicitatem ferentes &c.* Porro sub contumeliæ nomine etiam comprehendimus injuriam, à quâ Seneca eam distinguit cap. iv. ejusdem lib. *Dividamus, inquit, si tibi videatur, Serene, injuriam à contumelia. Prior illa naturâ gravior est; hæc levior; tamen delicatis gravis, qui non læduntur, sed offenduntur. Tanta est tamen animorum dissolutio & vanitas, ut quidam nihil acerbius putent. Sic invenies servum, qui flagellis, quam colaphis, cædi malit; & qui mortera ac verbera tolerabiliora credat, quam contumeliosa verba.* Hinc idem epist. LXXII. *Quisquis volet tibi contumeliam facere, faciat & injuriam.*

VII. REFELLITUR OPINIO FELICIS ACCOROMBONII,
EX SUPERIORI ARISTOTELIS DOCTRINA COLLI-
GENTIS, NON ESSE MAGNAM CONTUMELIAM,

aut gravi dignam supplicio, si quis uxorem tangat alienam, aut stuprum inferat virgini. Adhæc quomodo iram concitet orator.

EX eo autem, quod de juvenibus ac divitibus paulo antè dicebamus, cognoscere est, duo in contumeliâ requiri; ut lædatur alius; & ut hoc fiat, quod ex ejus læsione capiamus voluptatem. Sed hoc totum de plenâ ac proprie dictâ contumeliâ capiendum. Nam sæpe

sæpe etiam contumelia vocatur, cum non intendimus alterius læsionem; quomodo dicimus, contumeliam aliquibus factam ab eo, qui virginem violarit ejusce familiæ. Nam ita ferè usu venit, ut qui virginem stuprat, non id agat, quòd aut ipsam, aut consanguineos, aut adfines ejus, macet ignominia; at quòd animum expleat voluptate. Itaque Felix Accorombonius † existimabat, majorem esse contumeliam, siquis aliquem è consanguineis pulsarit, aut ei conviciatus sit, quàm si stuprarit; cum ille alterius intendat læsionem, hic non item. Idem, quòd plurimi adulterio aut stupro inultam censent familiæ suæ notam, neque eam deleri posse arbitrantur, nisi uterque reus morte mulctetur; id verò non dubitat vocare morem barbarum, & à Gothis ac Langobardis, nationibus barbaris, in Italiam introductum. Quin verò potiùs hanc eì pœnam commeruiffe videntur, qui nostrorum quempiam verberant, aut convicijs laceffunt, quàm qui aliquam violant. Quippe, inquit, injuriæ non sunt considerandæ ex dictis factisve; sed ex agentis intentione, ut disertim scribit Aristoteles lib. r. Rhetor. At quemadmodum, qui furatur, utilitatem suam spectat, non alienum damnum: ita, qui cum eâ concumbit, quicum non portuit, non eò collimat, ut aut marito, aut amicis, oculi doleant, sed suæ studet voluptati. Itaque & cum eâ rem habiturus fuerat, si aut alijs fuisset mariti uxor, aut nullos vel consanguineos, vel adfines, habuisset. Nec diffitetur, inesse huic rei despectum qualemcumque (neque enim eam tetigisset, nisi maritum, ac necessarios, propinquosque, parvi putasset) verumtamen persuasum habet, multò levissimam hanc esse injuriam, eoque injustos esse, qui leve delictum atrocissimâ pœnâ punitum eunt. At longè satius fore, si opera detur, ne postilla cum uxore adulter caput collimare queat. Certè abunde dignitati nostræ satisfieri, si vel adulter uxoris, vel filiæ cognatæve stuprator, ab marito, aut parentibus, supplex hujus facti petat ignoscantiam. Eâ enim re, teste Aristotele, quamlibet tolli injuriam. At verò, si aut verbera, aut vulnus infligatur, pœnæ magnitudinem excedere contumeliam ab altero illatam. Et hæc quidem istum in modum ferriò ventilat, tueturque Accorombonius: cujus sanè sententiam facile primo obteret pedatu (ut cum antiquis loquar) quisquis sciat opinioni huic adversari *αλάνας Μωσίου, tabulas sive abacos Moysis*: hoc est, Dei ipsius, quibus quis os obvertere aufit, nisi natorum potèntissimus, nequissimusque? Vide omnino Levit. cap. xx. Vbi & Isychius, Hierosolymitanus presbyter, annotavit, pœnam à Deo

per Mosen sancitam, quâ adulterum morte multari voluit, non esse duram, sed iustam: quia, cum liceres, in castitate nubere, & in sanctificatione propria uxori secundum legem misceri, in impudicitiam, & corruptionem, alterius miscetur uxori, & dissipat filiorum successiones, dubiumque mulieris partum, ad quem pertineat, facit. Nec εὐλόγος: verum est,

quod morem hunc à Gothis, aut Langobardis, esse contendit. Nam quis nescit illud Porcij Catonis: *In adulterio uxorem tuam si prebendisses, impune necares.* Imò posteriori quidem ævo, attamen multò ante Longobardorum Gothorumque, supplicium capitis sumi solet: ut jamdiu Cujacii *, Appuleij; Lipsius †, Arnobij testimonio comprobavit. At illud quidem à Vandalis esse agnoscimus, quoddam gladio potissimum in adulteros animadversum sit: cujus rei locuples testis est Salvianus lib. VII. Verùm ea res non multùm iuvat Accorombonium; quandoquidem constat, ante leges Vandalicas, pœnam fuisse capitis indictam. Ea, quæ ex Aristotele antea de contumelia diximus, pro se facere ait Accorombonium. Ac magna profectò apud me est ejus, quo nititur, auctoritas. Sed ὅσον περὶ τιμῆς τῶν ἀλλόθιων *. Adde quoddam non continuò sensit Aristoteles, quicquid dicto quoquam è Rhetoricis posse adstrui videtur. Nam quia Rhetorice est δῶραμ, eò in Rhetoricis pars utraque instrui debet. Neque pudor & verecundia quamlibet, ut ait, pœnam exstinguunt; sed levem duntaxat: qua de re vide I. Langlæum I. C. lib. x. cap. r. de pœna honoraria. Quid quod Lucumonis illius acumen ipsius quoque Aristotelis locis plusculis retunditur? Nam is Rhet. lib. I. cap. XLV. magnitudinem injuriarum æstimari ait ex damni magnitudine. At minùs mali dederit parentibus, qui filiæ sit conviciatus, aut colaphum duxerit; quàm qui stuprârit invitam. Idem inibi ait, majorem esse injuriam, cui medicina fieri nequit. Minùs igitur peccat, qui spoliat fortunis, cum hæ restitui possint. Hinc in Adelpis Mitio †:

*Fores effregit, restituentur. discidit
Vestem, resarcietur: est (Dis gratia)
Et unde hæc fiant: & adhuc non molesta sunt.*

At gravius hoc furtum, de quo nobis sermo; nam nulla restituendi spes. Meritò autem furtum appello, cum res aliena invito contrectetur domino: unde & Græci id γαμυλοποιῶ vocant. Neque id tantùm locum habet, cum vis inferatur invitæ; sed etiam cum volenti. Nam virginitatis tertia tantùm pars virginum est: at *Tertia pars patri data, pars data tertia matri;* ut scitè scribit Pœta Veronenfis *. Longeque

* lib. 6. ob-
servat. cap.
18.

† in 4. an-
nal. Tac.

* nefas sit
non maiori
facere veri-
tatem.

† Act. 1.
sc. 2.

* Catul.
Carm. mo-
ptiali.

Longeque res planior in marita: quæ corporis sui ultrà domina non est. Sanè olim, juxta sacratas Romuli leges, nupta ita in mariti manu erat, ut proles patris. Quin adulterium non simplex est furtum, sed sacrilegium; quia matrimonium est res sacra, cum religioso fœdere sancitur: unde & adulteri à Constantino *sacrilegi nuptiarum* appellantur l. xxx. ad leg. Jul. de adulter. & stuprat. At quid istiusmodi in convicijs, aut verberibus? Denique vulnera verberaque corporis honorem obfuscant: adulterium ac stupratio corpus animumque attaminat: atque aded non hominem unum, sed universam violat naturam, uti hoc rotundo & edecumato summi cujusdam viri epigrammate comprobatur:

Vis orbem excindi? subvertito funditus urbes.

Vis urbes ipsas tollere? tolle domos.

Vis delere domos? careat fac conjuge conjux.

Vanaque sint sancti fœdera conjugij.

Ergo perire domos, urbes, orbemque necesse est;

Orbe vel expelli, quisquis adulter erit.

Et hæc de causâ, ob quam irascimur: quæ si fuscè nimis profecuti videamur; non mihi, sed Accorombonio, culpam impingat æquus censor.

Supereft postremum quinque eorum, quæ in affectibus singulis spectare jubet Aristoteles: nempe quomodo affectum moveat orator. Excitatur verò ira ab oratore, si ostendat, contemptos esse auditores, contempsisse adversarium, & genus contemptus ante oculos ponat.

C A P. III.

D E L E N I T A T E.

IRÆ contraria est lenitas. Ea est sedatio ac remissio iræ.

I. QUOMODO ΠΡΑΥΝΕΙΑ Α ΛΑΤΙΝΙΣ VOCE-
TUR, ET QUID EA SIT.

QUÆ Græcis *εὐνους*, ea à Latinis nequit transferri voce, quæ vim vocabuli exprimat Græci. Quidam dicunt *longanimitatem*. Sed nec *longanimitas* Latinum est: nec tam *εὐνους* exprimit, quàm *μακροθυμία*. Malui itaque vocare *lenitatem*, idque exemplo
Tullij;

Tullij, cujus verba apponam è primo de Oratore : *Quis enim nescit, maximam vim existere oratoris in hominum mentibus, vel ad iram, vel ad odium, vel dolorem, incitandis, vel ab hisce permotiõibus ad lenitatem. misericordiamq; revocandis.* Idem indicat locus lib. iV. Tusc. Quæst. *Eamque, quam lenitatem nos dicimus, vitioso lenitudinis nomine appellant.* Vbi lenitas est *αἰσῆσις*; lenitudo, ἀσφυσία. Veteres Nonij editiones, ut Mediolanensis, Aldinaque, lenitudo præferunt : sed corruptè, cum lenitudo eadem sit, ac lenitas. Sed lenitudo vitium est, uti & *δυσκότῃς*, sive iracundia. Vtraque enim excedit τὸ μέτρον.

Est autem *αἰσῆσις*, κατὰ φύσιν ἢ ἡγεμονίας ἢ ὀργῆς, sedatio ira, inductioque cessationis ab ea.

II. QUI LENES SINTERGA ALIOS.

LENES sunt, qui contrario modo se habent, ac illi, qui irascuntur.

Non enim dolent se, aut suorum quempiam, contemni, contra quàm oportebat : unde Tyrrenus Tarchon *Æn.* lib. xi. milites *περίτῃ* & inertix accusans, inquit;

--- Οἰνυκὸν δολιτῆρι, ὃ σέμπερ ἰνερτῆς

Tyrreni.

Nequæ lætantur spe vindictæ ac cogitatione illâ, quæ in iratis esse solet.

Lenium septem sunt genera.

I. Qui versantur in ludo, in risu, in die festo, in summo otio, & *ἀνυμεία*, h. e. in felici alicujus rei successu, quâ insignem sunt laudem ** applausû, cæteraque perceptæ voluptatis signa.* indepti : ut cum quis consecutus est populi *ἑπαινεσιῶν **, sive cum populus *ἀνυμεία* q; , h. e. exultat applauditque. Nam de hujuscemodi ferè *ἐπιμυθία* vox sumitur. Item qui agunt in rerum omnium copiâ, atque abundantia : quique sunt hilares ac perfunduntur voluptate, quæ contumeliâ careat : aut qui honestâ spe lætantur.

II. Qui inveteratam iram habent. Iram enim sedat tempus : unde Virgil. † ut acerbam Junonis iram erga Troianos significaret, *Junonis, inquit, gravis ira, & inexsaturabile pectus.* Et mox, *Quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla.*

III. Qui sumserunt de alio supplicium. Iccirco Philocrates, orator Atheniensis, interroganti amico, cur non dilueret ea apud populum iratum, quorum infimulatus erat, (patriæ prodicionem molitum fuisse, cognoscimus è Demosthenis oratione de eumentis legatione)

legatione) egregiè respondit, nec dum tempus esse; facturum autem, ubi alium viderit accusatum, & criminibus circumventum. Populus quoque Atheniensis Ergophilum (cui magis erat inferus infestusque, quam Callistheni) impune elabi passus est, non alià de causà, quàm quia, supplicio de Callisthene pridie sumto, recederat multum furor. Pertinet huc quoque illud Taciti in quinto Annalium: *Placitum posthac, ut in reliquos Seiani liberos adverteretur, vanescente quamquam plebis irà, ac plerisque per priora supplicia lenitis.*

IV. Qui judicio vicerunt. Nam lenes sunt erga adversarios, quia causà judicati sint superiores.

V. Qui vident, adversarios majus damnum accepisse, quàm iratijs infligere cogitarant. Nempe abunde eos luissè pœnas arbitrantur. Ita Phormio ille Terentianus ait †:

--- *Iam supplicij satis est mihi.*

Habet hac, ei quod, dum vivat, usque ad aurem obganniat.

VI. Qui arbitrantur, se jure pœnas luere. Nam, ut est apud Nasonem epistolà Oenones ad Paridem:

Leniter, ex merito quicquid patiare, ferendum est.

VII. Qui putant fore, ut non sentiant, à quo vindicta proficiatur: quomodo mortuis nemo irascitur, quia nesciunt, quid fiat, vel à quibus. Itaque jure Achilles à poëtis stultitiæ infimulatur, quòd furorem quoque suum in cadaver Hectoris exerceret. Hoc nomine accusat eum Apollo apud Homerum *, cùm ait:

Κερλώ δ' δὴ γαίην ἀνιζέει μεναιών †.

Quo loco τὸ ἀφοχοῦ τῷ Ἐκτορι σῶμα κερλώ δνομάζει γλῶτ†: ut scribit Iustinus Martyr λόγῳ ποσειδέτικῷ πρὸς Ἐλλήνας. Verùm ab Homero hac in parte discessit Accius, apud quem ita Achilles; *Imò enimvero corpus Priamo reddidi, Hectorem abstuli.* Atque eo nomine laudat Accium Cicero *. Sed assentior illis, qui vitio potiùs, quàm laudi, dandum Accio putant, quòd à veteribus omnibus discesserit. Certè reddidit Achilles Priamo corpus; sed postquam stultà sæ vitia abunde animum expleverat: reddidit, sed (rem magnam!) magno accepto lytro; unde Maro *:

Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros,

Exanimamque atro corpus vendebat Achilles.

Item Plautus Mercatore †:

Achillem orabo, aurum mi det, Hector qui expensus fuit.

Et Seneca in Agamemnone *:

--- *Hectoris fortis minas,*

E c

† Phorm.
act. 5. sc. 9.

* Iliad. 9.

† Insanus

terram pro-

perabat la-

dere furd.

‡ exanimia

Hectoris

corpus fur-

dam vocat

terram.

* 1. Tusc.

Quest.

* 1. Æn.

* 1. Æn.

† act. 2. sc.

Peribœon

dirupisse.

* act. 3.

Curris-

Curruſque, & emto redditum corpus rogo.

Quin ob lytri magnitudinem venditio hæc, ut ad Athenæum ob-
 ¶ *Animad.* ſervavit Muſarum favus Iſaacus Caſaubonus †, proverbic locum fe-
 orſlib. 6. cit: *Σὺ δὲ πμοσάλης, ἀς ἀλλοδὲ εἰδὲ εἶς.* *Carius vendis, quàm Achilles*
 cap. 3. *ullus.* Viſus eo Phrynichus in Tragœdis apud Pollucem, extremo li-
 bro ſeptimo. Quare Ennius * bene de Æacidis :

* *lib. 6. An*
nal. teſte
Cic. lib. 2.
de Divinat.

Armipotentes ſunt magi, quàm ſapientipotentes.

At Accius, dum oftendere fatagit, qualis eſſe debuerit Achilles,
 haut aperit, qualis naturâ ex veterum opinione fuerit; eoꝛque in ejus
 perſona planè negligit decorum.

Expoſuimus ſeptem hominum genera, qui, juxta Ariſtotelem,
 Jenes eſſe ſoleant. Iis mantiffæ loco illud appono, leniores eſſe eos
 omnes, qui ſapientiæ ſtudijs ſeridò ſunt addicti. Hinc Juvenalis ſat.
 XIII. negat, Chryſippo, Thaleti, aut Socrati, dulcem eſſe vindic-
 tam; atque addit:

Prima docet rectum ſapientia. quippe minuti
Semper, & infirmi eſt animi, exiguique voluptas
Ultio. Continuo ſic colligo, quod vindictâ
Nemo magis gaudet, quàm femina.

Succinit huic Petronius, *Feras quidem mentes ira obſidet, eruditæ*
prælabitur. Quicumque denique animo ſunt generoſo, à vindictâ
 magis ſunt alieni. Quod Libanius indicat in panegyrico, ubi de
 Iuliano ait, *Μεγαλοψυχίας δὲ διὰ θεομοίαν ἔχεις ἀδιννοβίον, ὅτι ἀπρόδικος*
ἐπίεις μνηſτω. Quippe, ſummâ animi magnitudine præditus, ſiqui injuriâ
 affecerint, memoriam eorum, qua perpeſſus es, deponis. Talis Stilico,
 --- *ut fontibus ultro Ignoviſſe velit,* quemadmodum de eo cecinit
 Claudianus lib. IX. Talis Theodoſius,

--- *non inſultare jacenti*

Malibat, mitis precibus, pietatis abundans.

Poſt acies odys idem qui terminus armis:

ut de eo idem poëta refert. Et, ne ſingulis inſitam, *ignoscendo pe-*
puli Romani magnitudinem auxiſſe, Salluſtius ait orat. Philippi.

III. ERGA QVOS LENES SIMVS.

LENES ſumus erga eos, qui non videntur vel nos, vel noſtri
 quempiam, contra quàm oportebat, contemptui habere.

Horum decem ſunt loci:

I. Qui nunquam nos læſerunt, aut contemſerunt; aut id quidem
 fecerunt,

fecerunt, sed inviti, aut inviti videntur fecisse, quique voluerant facere di versa ab ijs, quæ fecerunt. Hinc Davus Pamphilo ait *:

Tuum est, siquid præter spem evenit, mihi ignoscere.

Parum successit, quod ago, at facio sedulo.

II. Qui in se etiam tales sunt. Nemo enim se ipsum contemne-
re videtur. Ita non facillè succenseamus viliores cibos apponenti,
quem sciamus cibis ejusmodi victitare.

III. Qui culpam confitentur, peccatique ducuntur pœnitentiâ.
Ea Julio Scaligero * definitur, reflexio intellectus ad improban-
dum malefactum. Sopitur autem ira ac concidit, cum quis ducitur
pœnitudine, quia dolor, quem capit ex pœnitentiâ, vice pœnarum
sit. Atque hoc quoque præcipit Maro †, cum ait:

— *Romane, memento*

Parcere subjectis, & debellare superbos.

Exemplo nobis hæc in parte sunt heri, qui non habent animos saxeos,
atque, ut Græci eleganter vocant, ἀτίκτις, ἢ ἀπειρωνας *. Sandè ita
ferè usu venit, ut si servus se ostendat dolere maximopere, quodd
herum offenderit: non tantùm animi iram labefactet ac convellat,
sed herum vercede reddat mitiorem. At, servo obgnante, he-
rus ignem spirat, irarumque omnes effundit habenas *. Nempe, ut Ari-
stoteles ait, manifesta negare indicium est insignis impudentiæ.
Hinc Plautus Menæchmis:

Nilil hoc confidentius, qui, quæ vides, ea pernegat.

Et apud Aristophanem Equitibus, quo loco Cleon, & Agoracritus
ἀλλαντοπάλις *, contendunt de impudentiâ; Cleon quidem eo im-
pudentiam testatam facit, quodd frontem adeo perfricuerit, ut furta
confiteatur sua; neque ullam hinc infamiam reformidet: at Agora-
critus eo alteri palmam præripere conatur, quodd manifesta quoque
furta perneget, neque perjurium extimefcatur.

Κλ. ὁμολογῶ κλέπειν· σὺ δ' ἔχεις

Αγ. εἴ τὸν Ἑρμῆν τὸν ἀρρεῖον.

κρίτοσκόω γὰ βλάπτουσαν.

Meritò autem maximopere irascimur huic hominum generi,
cum summa impudentia summi sit contemptus indicium.

IV. Qui se submittant, nec reprehensi aiunt, se injuriâ inaccessi aut
puniri. Nam eo fateri videntur, se esse inferiores. Exemplo sunt
leones, quos Plinius * ait prostratis parcere, uti & Ovidius †: eo-
que respicit Claudianus, cum in secundo de laudibus Stilliconis
inquit,

* And.
act. 4. sc. 1.

* adversus
Cardanum
Exercit.
315.
† Em. 6.

* qui nulla
possint a-
quia mace-
rari, plane-
que incocti-
les sint.
* 1. 2. Ep.

* favor seu
lucanicus
venditor.

* lib. 3. cap.
16.
† Trist. lib.
3. el. 5.

*Obvia prosterneas. prostrataq; more leon m.
Despicias.*

Exemplo etiam sunt canes; qui, ut hoc loco Aristoteles ait, peregrinos canes sedentes, atque humi prostratos, non mordent. Nam rectè observat Daniel Cramerus in sua *ambles*, canes alios ab Aristotele intelligi; non homines, ut putarunt interpretes.

V. Qui ferid agunt cum ferid agentibus. Nam tales nos curare, non contemnere videntur.

VI. Quorum aliquando majora fuerunt beneficia, quàm damnum, quod dederunt.

VII. Qui rogant, ac deprecantur. Sunt enim animo humili. Itaque eos, qui precantes non exaudiunt, pios dici posse, negat Lactantius. Pietatis autem nomine vel maximè lenitatem ac clementiam intelligit. Verba ejus apponam ex lib. v. Instit. cap. x: ubi Virgilium exagitat, quod Æneam appellet pium: *Sed hæc culpa non illius (Æneæ) fuit, qui literas fortasse non didicerat: sed tua (Virgili) qui, cum esses eruditus, ignorasti tamen, quid esset pietas; & illud ipsum, quod nefarie, quod detestabiliter fecit, pietatis esse officium, credidisti. Videlicet ob hoc unum pius vocatur, quia patrem dilexit. Quid quod pius Æneas hanc assernanda precantes trucidat? Adiuratus enim per eundem patrem, & per spes surgentis Iuli, nequaquam pepercit furys accensus & ira. Quisquamne igitur hunc putet aliquid in se virtutis habere, qui & furore, tanquam stipulâ, exarserit, & manum patris, per quem rogabatur, oblitus, iram frenare nequiverit? Nullo igitur modo pius, qui non tantùm non repugnantes, sed etiam precantes interimit.*

VIII. Adhæc erga eos lenes sumus, qui in neminem, aut saltem non in minimè improbos, aut certè tales, quales nos sumus, per insolentiam, derisionè, aut contemptù, quicquã volunt committere.

IX. Item erga eos, quos veremur aut timeinus. Neque enim fieri potest, ut, qui irascitur, timeat; quemadmodum suprà diximus, & Aristoteles testatur cùm hoc loco, tum in problematis fact. VI II. quæst. xvii.

X. Erga eos, qui quid irâ cõmiserunt. Nam hi fecere impetu, nõ contentu; quia ira est cum dolore; contentus verò est *ἀλυος* *.

* *Doloris
expers.*

Ex his obscurum non est, quorum operâ imprimis uti conveniat in animis hominum leniendis. Sanè plus ad deliniendum valent, qui minus possunt, eoque de vindicta minus cogitant: ut sunt mulieres, ac pueri. Exemplum hujus rei capere licet ex amplissima Genuensium civitate. Nam cùm eam ingressus esset Ludovicus XII. Galliarum

Galliarum rex; adiere illum urbis præfecti, ac eives universi, demissæ actorum veniam orantes: sed nihil supplicis eorum valebat oratio. At mox mulierum & puerorum ejulatibus mentem ejus reddidit clementem. Guicciardinum adi lib. VII.

Plurimum etiam valent sacerdotes. Calydonij propterea, cum multa adversa à Curetibus paterentur; sacerdotes potissimum misere ad exorandum Meleagrum: quod est apud Homerum II. I.

--- τὸν * δ' ἔλαστοντο γέροντες

Αἰτωλῶν, πῆμπον ὃ θεῶν ἰεῖνας αἰεῖσιν.

Illud verò apertius fortasse, quam monere operæ videatur, plus ad lenitatem conferre verba byssina, & mellitam orationem, quam quæ aceto pariter ac felle tincta sit. Huiusmodi enim exacerbatur magis, quam edulcat. Quod cum videret Proclus, Constantinopolitanus Episcopus, B. Chrysofomi discipulus, & successor, ne adversus quidem hæreticos durius agebat: unde ab iis, qui omnia affectu suo metirentur, *canis mutus* vocabatur. Interea ille eos, qui hæresi essent infecti, oratione suâ ita demulcebat, ut plus apud eos efficeret, quam alij acerbis & asperis dictis: quemadmodum auctor est nobis Nicephorus lib. XIV. Histor. Eccles. cap. xxxvii.

* *hinc autem orabat senes Aetolorum, dicitur etiam quæ Aetolorum sacerdotes optimos.*

IV. QVIBVS DE CAVSSIS LENES SIMVS: AC CV-
IVSMODI ORATIONE TALES ALIOS
REDDAMVS.

CAVSSÆ, ob quas frenum iræ injicimus, tres sunt pro tribus ὀλιγαρίας * generibus.

- I. Quod non contemnunt;
- II. Quod non insultent;
- III. Quod nullâ afficiant contumeliâ.

Qui vult iram discutere, animosque tranquillare,

I. Debet ex locis commemoratis auditores ita præparare ac formare, ut nec doleant ob contentum, nec gaudeant ob spem ac cogitationem vindictæ.

II. Debet ostendere, illos, quibus irascuntur, tales esse, quales sunt erga quos lenitatem exercemus; h. e. aut metuendos esse, aut reverentiâ dignos, aut benemeritos, aut gratificari, non lædere voluisse, aut valde dolere ob delicta. Ita Tullius pro Ligario, conatur Cæsaris iram placare, quod Ligarius in Africâ fuerit invictus, quodque eum poeniteat erroris. Eiusdem iram orat. pro rege

* *despectus.*

Deiotaro isthoc mitigare nititur, quodd sit veneratione dignus. *Semper, inquit, regium nomen in hac civitate sanctum fuit; sociorum verò regum & amicorum sanctissimum: quod nomen hi reges ne amitterent, te victore, timuerunt: retentum verò, & à te confirmatum, posteris etiam suis tradituros esse, confido.*

Ac huiusmodi est modus leniendi animos. Cujus rei exemplum est in oratione legatorum Romanorum, càm in Asiam missi essent, ut specularentur apparatus Antiochi, ac mitigarent animum Annibalis, eumque regi Antiocho redderent suspectum. Nam hunc ijs finem fuisse, ut *Annibalem Romanis mitigarent*, clarè ait Iustinus lib. *xxi*. Eam ad rem triplici utebantur argumento, ut ex eodem cognoscimus. Primum conabantur ei demere metum Romanorum. Deinde ostendebant, non esse cum Romanis exosum. Denique probabant, causam non esse, cur odisset Romanos. Acquidem non esse, cur sibi metuat à Romanis, ex eo colligebant, quia Romanæ esset consuetudinis, religiosè jus servare. Non esse eum odio Romanis, inde adstruunt, quia probè sciant, nec ipsum Romani nominis odio bellum adversus eos gessisse; sed patriæ suæ amore, cui vitam ipsam deberet. Postremò, causam esse nullam, cur Romanos odio prosequatur, inde probant, quodd virtus ejus Romanis esset admirationi. Ut artificium hoc melius intelligatur, ipsa Iustini verba, quæ pauca sunt, apponam: *Omnibus diebus assidue apud Annibalem suere, dicentes, timide eum à patria recessisse, cùm pacem Romani non tam cum Rep. eius, quàm cum eo factam, summà fide custodiant: nec bella eum Romanorum magis odio, quàm patriæ amore gessisse, cui ab optimo quoque etiam spiritus ipse debeatur: has enim publicas inter populos, non privatas inter duces, bellandi causas esse: inde res gestas eius laudare.* Quantum eiusmodi oratione profecerint apud Annibalem, arguit eventus. Nam, ut subjungit Iustinus, horum sermone latus, *sapiens cupidusque cum legatis colloquebatur, ignarus, quodd familiaritate Romanà odium sibi apud regem crearet.*

CAP. IV.

DE AMORE.

AMOR est, quo alicui optima optamus, & eorundem autores esse volumus, non nostri, sed ipsius gratiâ.

I. QUID AMOR, ET QUOTPLEX SIT.

POSTquam vidimus de irâ, & lenitate, quæ facillè moveri mutarique possunt: proximum est, ut agamus de amore, ac amicitia; odio, & inimicitia; quæ diuturnitatem exigunt temporis.

Φιλίᾳ Aristoteli est τὸ βούλησθαι τι, ἃ οἷός ἐστι ἀγαθὰ, οὐκ ἑνεκα, ἀλλὰ μὲν αὐτῷ, ἢ τὸ ἄλλο δυνάμει δευτέρῳ ἢ τῶν. *Amare est, velle alicui, quæ putat bona, illius causâ, sed non propter se, & paratum esse ad ea pro viribus efficienda.* Vbi tres videas in amante conditiones requiri: ut velit alteri, quæ putat bona, etsi fortasse vera bona non sint: ut amici gratiâ velit, non autem privati commodi causâ: atque ut etiam adfit benevolæ hujus voluntatis significatio. Priores conditiones duas etiam Tullius expressit in secundo de Finibus: *Quid autem est amare, ex quo nomen amicitia ductum est, nisi velle bonis aliquem affici quàm maximis, etiamsi ad se ex iis nihil redeat?* Differunt igitur amare, & amicum esse. Nam, ut scribit Aristoteles lib. VIII. Nicomachiorum cap. VI. φιλία, sive amicitia, in redamando consistit: ἢ φίλων, sive amor, qui fons est amicitia, non item: nam fertur etiam in res inanimatas. Hinc Tullius lib. XI. de Invent. *Amicitia est voluntas erga aliquem verum bonarum, illius ipsius causâ, quem diligit, cum ejus pari voluntate.*

Genera amicitia sunt copluria:

I. *Ἐταρεία*, sive *fidalitas*, in rebus levioribus; ut in convivijs, ludis, & jocis.

II. *Οἰκείωσις*, seu *familiaritas*, quæ est arctior quædam amicitia ex frequenti consuetudine contracta.

III. *Συγγένεια*, sive *cognatio*, quæ est eorum amicitia, qui sunt ejusdem gentis & familiae.

IV. Et quæcumque talia: de quibus Aristotelem vide in Ethicis Nicomachijs.

II. QVI

II. QUI SINT AMICI.

AMICI sunt, qui amant, & redamantur. Horum sunt tres loci:

I. Qui unâ gaudent rebus bonis, & simul dolent molestis. Quomodo Horatius dolebat rebus aduersis Mæcenatis. Vnde illud lib. II. od. xvii: *Cur me querelis exanimas tuis?* Negat deinde, fe ei superstitem esse velle. Ciceronis quoque est in primo ad Atticum libro epist. xiv. *Vidi enim, vidi, penitusque perspexi, in meis varijs temporibus, & sollicitudines, & latitias tuas. Fuit mihi saepe, & laudis nostrae gratulatio tua iucunda, & timoris consolatio grata.*

Alter est locus illorum, quibus eadem bona adsunt, & eadem mala. Nam, ut dici solet, commune periculum congregat diffidentes. Ter. Adel. †.

-- Vnâ à pueris parvulis

Sumus educati: unâ semper militia, & domi

Fuimus: paupertatem unâ pertulimus gravem.

Tertium verò locum obtinent, qui sunt ijsdem amici, ijsdemque inimici. Vnde S. Gregorius, cognomento Theologus, epistola xvii, quæ est ad Eusebium, Episcopum Cæsariensem: *Ἐγὼ χαίρω ἔτι καὶ σὺ τιμῶμαι*. Ἐ φέρω δὲ τὴν μαχουσίαν ὕβριν τῶ πτωχότητι ἀδελφοῦ Βασίλειου, καὶ γινώσκω ἔτι ἔχεις τὴν διακρίσιν, ὅτι καὶ βίω καὶ λόγῳ κοινῶν, καὶ τὸ ἴδιον φιλοσοφίας εὐλόγηται τὴ ἀπρχῆς, καὶ νῦν ἔχω. Gaudeo quidem, me honore abs te affici: at contumeliam à tua pietate illatam esse charissimo fratri Basilio, atque etiamnum inferri, molestè fero. quippe quem vita, & studiorum socium, & maximè sublimis philosophia, ab initio elegi, ac nunc habeo. Scitè mox subiungit: *Ἐὶ δὲ μοι δοκῆς ποιεῖν Ἐπαθήσων, τὸν μὲ ἀπμύζων, τιμῶν δὲ ἡμῶν, ὡς περὶ ἂν εἰ τις ἐπὸς ἀνδρὸς τῆ μὲ χαίρων καταλέχῃ τὴν κερφαλίω, τῆ δὲ παρὰ τὴν παρεῖαν ἢ καὶ θυμῶν ἐκποσῶν εἰνίας, διαζωγῶσθαι τὴς τοίχους, καὶ καλλωπίσῃ τὰ ἔξωθεν*. Tu verò, dum eum quidem contemnis, me autem honoras, perinde mihi facere videris, ac si viri alicuius caput unâ quis manu demulceret, alterâ autem feviret maxillam: vel si convellat fundamenta domus, at in parietibus pingat, partesque exteriores exor-

III. VNDECIM PRIORA GENERA EORVM,
 QVOS AMAMVS.

AMAT quisque eos, quibus bene cupit, non sui, sed ipsorum gratiâ, eaque pro viribus præstat. - Horum loci sunt octodecim.

Primus est eorum, qui benefecerunt, aut putantur velle benefacere. Hinc Pamphilus de Philumena †:

--- Nunquam quicquam erga me commerita est, pater,

Quod nollem: & sæpe, quod vellem, meritam scio.

Ἀμοῶς, & laudo, & vehementer desidero.

Nam fuisse erga me miro ingenio, expertus sum.

Propterea, amari si velimus, hoc agendum, ut credamur amare ipsi ac benefacere velle. Neque enim amatorum est melius, quam isthoc, quod Seneca adfert epist. ix: Si vis amari, ama.

Alter locus eorum est, qui sunt amici amicorum. Nam verus amicus, ut Plutarchus * inquit, κοινὰ τὰ φίλων ἡγάμασθαι, ἔδδῃ ἕτως οἷε ἰδίῳ κοινόν, ὡς τὸς φίλος ὑπάσχειν: amicorum esse omnia communia, statuens, nihil putat æque commune esse oportere, atque amicos ipsos. Sunt autem amicorum amici, tum qui eos amant, quos ipsi amant: tum qui amantur ab eis, quos ipsi amant: vel etiam amati fuere, dum viverent, ut defunctorum liberi. Nam, ut Isocrates ait ad Demonicum,

οἷσιν * τὸς παῖδας, ὡς πατὴρ ἕστιάς, ἕτοιμα ἔσθαι τὴν πατρικὴν κληρονομίαν. Par ratio eorum, qui sunt ipsidem inimici; aut odio habent eos, quos habent odio ipsi; aut odio habentur ab ijs, quos ipsi odio habent. Ita Æneas, ut amicum se Euandro ostendat, significat, se Daunis esse inimicum, Euandri inimicis. Locus est Æn. viii:

Gens eadem, qua te, crudeli Daunia bello

Insequitur: nos si pellant, nihil absore credunt,

Quin omnem Hesperiam penitus sua sub iuga mittant.

Tertio loco sunt, qui virtutes magnificiunt ac colunt: ut sunt benefici in pecunijs erogandis, aut in salute dandâ: item liberales, iusti, fortes, quique labore suo victum quaerunt, non alienâ vivunt quadâ: adhæc qui non sunt curiosi in rebus alienis. Ob fortitudinem gratus est Æneas Euandro. Ait enim *:

--- Vi te, fortissime Teucrum,

Accipio, agnoscoq; libens.

Et Alexander Magnus, et si plerique auctores essent, ut solum benefaceret

† Hec. act.

3. sc. 5.

* libro de discernendis adulatore ab amico.

* convenit, ut liberi, quemadmodum in familiaribus, ita & amicitia paternæ sint hæredes.

* S. Æn.

* viros
egregios.

nefaceret Græcis, tamen omnes ἀειδίμους ἀνδρας * albâ signabat lineâ, pariterque amabat, ac beneficiis suis ornabat: ut ex Eratosthene refert Strabo extremo libro primo. Imprimis verò amamus eos, qui rarâ excellunt virtute. Nam, ut ait Plato in Euthydemo, τὸ σπάνιον, τίμιον τὸ ὑπόδαρ σπάνιότατον. ἀεὶ τὸν ὄν, αἰς ἐπὶ Πίνδαρον. Quod rarum est, id quoque magni fit: at aqua nihil vilius, quamvis res sit multo optima, ut Pindarus ait. Sanè & ipsas, ut Satiricus † ait,

† Inven.
Sat. 22.

--- voluptates commendat rarioꝝ usus.

Ac gemmæ quoque, & alia hujus generis, de raritate & peregrinitate solâ gratiam possident: ut est apud Tertullianum lib. de habitu muliebri cap. 111. Similiaque habet cap. VII, ubi refert, apud gentem quandam aurum ob copiam usque aded despici, ut eo vincula faciat fervis. Idem repetit lib. de cultu feminarum cap. x; deque metallis, & similibus, tale epiphonema subjungit, Aded non veritate bona sunt, sed raritate.

Quantum ijs locum cum Aristotele damus, qui sunt suaves in convictu, & quotidianâ consuetudine. Hujusmodi autem sunt homines moribus faciles, neque rixarum cupidi, neque difficiles in contentionibus; quique faceret alios deridere, ac rursum aliorum jocos ac cavillos ferre possunt. Terent. Andr. Act. 1. Sc. 1.

Sic vita erat; facile omnes perferre ac pati,
Cum quibus erat cumq; unâ; his sese dedere,
Eorum obsequi studijs, adversus nemini.

Aristoteles lib. VII. Nicomach. cap. VI: Οὐδεὶς δυνάσται σωμμερέων τῶ λυπηρῶ, ἢ δὲ τῶ μὴ ἡδέϊ. μάστιξ δὲ ἡ φύσις φαίνεται τὸ εἰ λυπηρὸν φεῖναι, ἐπίταξ δὲ τῶ ἡδέϊ. Nemo enim totos dies consumere potest cum eo, qui tertricus est, vel non jucundus. Natura enim maxime videtur fugere, quod dolorem adfert, atque cupere, quod jucundum est. Itaque nec gaudemus ijs, qui sunt μεμψίμοροι, & queruli. Horat. †.

† lib. 1. e.
pist. ad
Scauram.

Coram rege suo de paupertate tacentes
Plus poscente ferent.

Quintum locum obtinent, qui laudant præsentia bona, maximè quæ metuunt ne amittantur. Hinc Melibœus apud Virgilium Tityri laudat fortem, cum ait;

Fortunate senex, ergo tua rura manebunt.

Multum enim hoc faciebat ad amicitiam conciliandam. Id certè affecutus est, ut Tityrus roget in fine Eclogæ, Melibœus ut noctu manear apud se.

Sextus locus eorum est, qui munditiem colunt in vultu, in vestitu,
in totâ

in totâ vitâ. Vti Xenophon, cuius *φιλοκαλῶν* † commendat Ælianus † *elegantia studium.*
lib. III. Var. Hist. cap. xxiv.

Septimo loco sunt, qui non exprobrant peccata commissa, aut data beneficia. Nam rectè Demoithenes pro Ctesiph. *Τὰς ἰδίαις ὑβρισίας ἀναμιμῆσκων, μικρὸν δὲ τὸν ὁμοίον ἐστὶ τὸ δυνεὶδ' ἴσθαι* †. Quod & Sofia ait † *commemorare sua beneficia*
apud Comicum *. Hinc Claudianus libro II. de laudibus Stiliconis: *pene idē est, quod exprobrare.*

*Nec siquid tribuas, jactatum sapius idem
Exprobrare soles.*

VIII. Qui non meminere acceptæ injuriæ, sed facillè reconci-
liantur. Tales enī erga nos futuros speramus, quales sunt erga
alios. * *Andr. 1.*

IX. Qui non sunt maledici, neque studiosè inquirunt in nostra,
aut aliorum vitia; sed solum in bona. Id enim est boni.

X. Qui non adversantur irascentibus, aut ferid aliquid agentibus.

XI. Qui ita affecti sunt, ut nos videantur admirari, vel probos
existimare, vel confortio nostro gaudere. Maximè autem, si id fiat
in ijs, ob quæ vel admirationi esse, vel probi aut suaves videri vo-
lumus. Ita Cicero ob eloquentiam, Cato ob constantiam, admira-
ioni esse gaudebat.

IV. DVODECIMVM EORVM GENVS, QVOS AMA-
MVS: ET DIGRESSIVNCVLA, VTRVM SE
MVTVO AMARINT CICERO AT-
QVE HORTENSIVS.

DVODECIMO loco sunt, qui similes sunt, & iisdem rebus stu-
dent. Plutarchus de discernendo adulate ab amico: *Τὸ μέ-
λικα φίλος ἀρχὴν σαύχων ἢ σαύσανον, ὁμοίότης ἐστὶν ἐπιτηδ' ἀμαρτων ἢ ἠδῶν, ἢ
ἄλλως τὸ χαίρειν ἐν τοῖς αὐτοῖς ἢ τὸ ταῦτα φεύγειν πρῶτον εἰς ταῦτ' ἀμαρτίας ἢ
σαύσανοι δὲ τ' ὁμοιωτάτας.* *Amicitia principium ac conciliatio imprimis
consistit in similitudine studiorum ac morum; atque omnino rebus iisdem
gaudere, & eisdem fugere, primo homines coniungit ac comparat ob hanc
similitudinem affectuum.* Idem alijs postea verbis repetit, & hisce
verbis confirmat:

*Γέρον γέροντι γλαύσαν ἠδ' ἴστω ἔχει
Παῖς παῖδι. ἢ γυμνασίω πρὸς φορον γυμν.
Νοσῶν τ' ἀνὴρ νοσῶντι, ἢ δασαπείξι
Αἰσθητῆς, ἐσθλὸς ἐστὶ τὸ πειραμένω.*

Seni senilis lingua iucundissima est:
 Mulier mulieri convenit, puero puer,
 Et ager agro. dura siquem fors premat,
 Hic alteri, quem affligit eadem, succinit.

Convenit & hoc Theocriti Idyll. ix:

Τέπειξ ἢ τέπειρ φίλον, μύρμακί ἢ μύρμαξ,
 Γενκας δ' ἰσνξί.
 Formice formica, cicadaque grata cicade,
 Accipitri accipiter.

Ovidius similiter lib. ii. de Ponto el. v:

Scilicet ingenis aliqua est concordia junctis,
 Et servat studij fœdera quisque sui.
 Rusticus agricolam, miles sera bella gerentem,
 Rectorem dubia navita puppis amat.

Sed ob stare huic sententiæ videtur Hesiodum illud, figulum figulo invidere, mendicum mendico. Solvit hunc nodum Plutarchus in Sympotiacis lib. i. cap. xi. ubi quærit, quomodo debeant convivæ disponi, ne rixæ oriantur. Duplicem esse ait similitudinem, unam μάχμων, seu pugnacem: hujusmodi, inquit, est in gallis gallinaceis: alteram ait esse ἐπιική, sive mansuetam: & hanc esse in graculis, sive monedulis. Itaque jubet in convivis conjungi, quibus est similitudo mansueta: & eam esse dicit in agricolis, venatoribus, & similibus. Iubet verò disjungi, quibus est similitudo μάχημ, sive pugna: & dicit, hanc esse in amantibus, qui eodem uruntur igne: item in poetis, & sophistis: qualibus jubet intermisceri in convivio aliquos mansuetos, qui sint malagmatis loco. Sed enim dicat aliquis, non videri multum aded discriminis esse inter poetas & oratores: quando utrique videntur à contentione minime abhorrere. Quod enim poetis sunt satiræ, & epigrammatum sales: id oratoribus sunt invectivæ, & actiones in alios. Quare si hoc pacto non satis scrupulus tollitur; videamus, an melius Tullium purgare possimus. Optimum verò modum indicat hoc loco Aristoteles, cum ait, amari τὸς ὁμοίους, ἢ ταῦτὰ ἐπιτηδεύοντες, ἀρ μὴ παρενοχλοῦσιν, ἢ ἐπὶ ταῦτ' ἢ ὁ βίον γίνεται ἄλλο, καὶ κερσομένους πρὸς μὲν. Amamus, inquit, similes, & eadem profitentes, si non incommodent nobis, neque ex eodem sit vita. Ex eo enim eveniret illud, Et figulus figulo. Idem docet cap. de invidia. Quare censet summus magister, similitudinem studiorum per se gignere amorem: sed invidiam, vel odium provenire, quod sæpe alter alterius impediatur vel gloriam, vel lucrum.

Sapient.

Sapientissimè igitur Cicero agit in Bruto, ubi, ut fidem faciat, se non invidisse Hortensio, dicit, nihil eum suis studijs incommodasse, sed potiùs laboris focium fuisse. Audiamus loquentem de se Tullium: *Dolebamque, quòd non, ut plerique putabant, adversarium, aut obrectatorem laudum mearum; sed focium potius, & consortem gloriosi laboris miseram.* Sed, fide bonà, verène hæc Tullius? Sanè in primo de legibus, interrogatus ipse, verumne esset, quod de Marianà quercu in poemate suo Mario scripssisset, respondet, *quamquam non cupiat se mendacem putari, tamen istos facere imperite, qui in opusculo isto, non ut à poëta, sed ut à teste, veritatem exigant.* Dicam ego, non poëtas modò, sed nec oratores semper, verba sua fide historica alligare. Quid enim? (ut tecum nunc loquar Tulli) nunquam laudibus tuis obrectatus est Hortensius? Ita hoc loco ais. At verbis tuis te convincemus. Sic enim scribis ad Quinctum fratrem lib. I. epist. III: *Quantum Hortensio credendum sit, nescio. me simulatione amoris, summàque assiduitate quotidiana, sceleratissimè insidiosissimèq; tractavit, adiuncto quoque Arrio: quorum ego consilijs, promissis, præceptis destitutus, in hanc calamitatem incidi. Sed hac occultabis, nequid obfint.* Hos ipsos quoque, Hortensium, inquam, & Arrium, uti & Pompeium, fugillat lib. XIV. epist. I. lib. XIV. ad famil. *Omnia, inquit, sunt meà culpà commissa, qui ab iis n. amari putabam, qui invadebant.* Eisdem accusat horribiliter ad Atticum lib. III. epist. XIV. & XIX, atque alibi. Dicit fortasse aliquis, hæc valde confirmare sententiam inimicorum Ciceronis, qui levitatem ei exprobrare solent. Vnde Laberius quoque objectabat ei, quòd soleret duabus federe sellis. Et auctor declamationis in Ciceronem, quæ Sallustio etiam à Fabio tribuitur, exprobrat eidem, quòd aliud stans, aliud sedens, de Rep. sentiret. Quid ergo? num his quoque nos aggregabimus? Minimè verò. An dicemus cum doctissimo viro Sebastiano Corrado, fecisse Ciceronem, quod multi solent, qui prudentes sibi & alijs videntur. Hortensio quippe in more hoc fuisse, ut palam Ciceronem laudaret: clam verò præ invidia fugillaret. Ciceronem, qui neutiquam esset naris obesæ, similem viam iniisse: nam palam laudasse, apud Atticum & Q. fratrem obstrigilasse. Ita factum esse, quod facetissimus Comicus ait *,

Par pari datum hostimentu'st, opera pro pecunia.

Sed hoc non est satis defendere candorem Ciceronis. Quare aliter malevolis occurrendum. Negamus nos, adferri quicquam posse, unde colligatur, Ciceronem male voluisse Hortensio, aut quic-

* Afr. act.
I. sc. 3.

quam sinistra de eo iuspicionis concepisse, præterquam in exilio. Tum enim ea scripsit, quæ ante citabamus. Causa verò, cur tum de Hortensio malè sentiret, non alia erat, quàm quòd consilium damnaret ab Hortensio sibi datum. Nam, cum Ciceronem reum ageret Clodius, equestris ordo penè totus, tanquam in publico luctu, vestem mutarat; senatus idem faciendum sibi censuit; nobiles adolescentes circiter vices mille fordidati procedebant; innumera multitudo erat, quæ paratam se diceret decertare armis aduersus Clodianos. Sed Hortensius inter alios auctor erat, ut potiùs cederet furori ad tempus; quàm ut bonorum vitam seruis objiceret armatis: fore enim, ut quamprimum revocetur. Cessit ergo urbe Ciccero, idq; extremo mense Martio. Nec, infestis aded cõsulibus, Gabinio & Pifone, quos passim coloribus suis depingit Tullius, sermo ullus fiebat de revocando Cicerone. Quare pœnitere Ciceronem facti cœpit: quodq; Hortensius id suassisset, non civium amore, sed invidiâ factum putabat. At cum anno proximo ab exilio esset revocatus, tam scævras opiniones deposuisse videtur, de Hortensio quidem. Nam de Pompeio alia longè ratio, qui perdere Ciceronem maluit, ut postea servaret. Quemadmodum verò ante exilium, ita & post illud, conjunctissimè cum Hortensio vixit. Sine dubio facilè oborta fuisset similtas inter oratores tantos, quorù uterque gloriæ forensis aded appetens erat. Sed Titus Pomponius Atticus, quem uterque orator amore summo prosequabatur, ita horum animos moderabatur, ut omnis abesset similtas. Hoc nos docet is, qui tum temporis vixit, Cornelius Nepos, ipsius Attici familiaris. Sic enim in Attici vita de eo scripsit: *Viebat autem intimè Q. Hortensio, qui iis temporibus principatum eloquentiæ tenebat, ut intelligi non posset, uter eum plus diligeret, Cicero, an Hortensius, & id, quod erat difficillimum, efficiebat, ut, inter quos tanta laudis esset emulatio, nulla intercederet obrectatio, essetque talium virorum copula.* Atque hæc fatis ostendunt, quo pacto similtudo studiorum, nunc amorem, nunc odium gignat. Ciceronis verò exemplo diutius inforti an ore viri, qui facilè hoc à me impetravit, præsertim in eâ arte, quam nunc docemus, cujus penes illum fuit principatus. Nunc cæteros, qui amari soleant, persequamur.

V. QUI PRÆTEREA AMENTVR.

DECIMYSTERTIVS locus eorum est, coram quibus non veremur ea dicere, aut facere, quæ turpia videntur: modo hos, coram quibus ea agimus, non contemnāmus. Martialis †:

Nil aliud video, quo te credamus amicū,

† lib. 10.

ep. 40.

Quam quod me coram pedere, Crispe, soles.

Item, coram quibus turpia facere veremur, quia apud eos in pretio esse studemus.

XIV. Quos rerum nostrarum æmulatores esse volumus, non autem obtrectatores invidos.

XV. Qui nobis subveniunt in honoribus ac divitijs comparandis. Nam non solum beneficium accipere; sed & beneficium dare, causa est amicitiae. Hinc Tullius in Milonianā; *Duos se habere semper amicissimos sperasse, te tuo beneficio, me suo.* Est & tertium amicorum genus, quo non dato tantum beneficio quis alteri amicus est, aut solo accepto, sed dato acceptoque.

XVI. Qui fidi sunt amici; ut qui absentes perinde ac præsentis amant, quiq̄ue amicorum sunt studiosi, ita ut eos in adversis non deserant, ac ne quidem jam mortuorum amorem deponant. Ab hac laude Adraustus Capanea commendat apud Euripidem Supplicibus:

φίλοι τ' ἀληθῆς ἔσσι, φίλοι παρόντι,

καὶ μὴ παρόσιν, ὅν ἀειμῶς ἔπολύς.

Sive, ut Latine dicam,

Amicus hic presentibus verus fuit,

Absentibusque, qualium haec est copia.

XVII. Qui non agunt simulate; ut qui etiam sua ipsorum vitia detegunt. Nam apud amicos non erubescimus.

XVIII. Qui non sunt formidabiles, & quibus fidimus. Nemo enim amat eum, quem metuit. Ac propterea principibus, qui à populo amari velint, nihil auditu jucundius est, quam quod de Theoderico scribit Sidonius, *Timet timeri.*

VI. EX QUIBVS AMICITIA ORIATUR, ET
 QUOMODO AMOR CONCILIETVR.

EFFICIUNT amicitiam tria imprimis.

Primum eorum est gratia, seu beneficium. Hoc enim viam ad amicitiam munit, quia ex eo cognoscimus animum alterius beneuolū. Benevolentia igitur, etsi amicitia ipsa non sit, ejus tamen est fons atque origo. Atque, ut Cicero in Lælio ait, *Ex propinquitare benevolentia tolli potest, ex amicitia non potest. Sublatâ enim benevolentia, tollitur ipsum nomen amicitia.*

Alterum est, non rogatum beneficisse: uti Tullius se fecisse scribit ad Brutum: *De sororis tuæ filijs, inquit, non expectavi, Brute, dum scriberes.*

Tertium est, beneficium præstitum celare. Nam, qui non celat, suâ, non alterius causâ, videtur fecisse. Imitandus igitur Arcefilaus, qui, ut de eo Plutarchus † testis est, ægrotante Apelle Chio, homine paupere, pulvinari clanculum subjecit xx. drachmas. Cui facta gemina produntur de S. Nicolao, Myræ in Lycia Episcopo; quæ, ut omnibus notissima, prætereo. Egregium quoque est exemplum Lacydis, qui, Cephisocrate in judicio periclitante, annulum ab eo in terram demissum, pede imposto, contexit; eoque, ut absolueretur, causa fuit: nec tamen hoc beneficium suum, non dico alijs, sed ne Cephisocrati quidem exposuit. Qui id nunquam rescisset, nisi adstantium unus Lacydæ factum obseruasset: quemadmodum auctor est idem Plutarchus*.

† de discernendo amico ab aduatore.

* *ibidem.*

Etsi autem amicus & ametur, & ametur; eoque amicitia sit amor reciprocus, siue benevolentia mutua: natura tamen amicitia magis in eo consistit, ut ames, quàm ut ameris. Quod si est affectio, necesse est, ut in ea mediocritas seruetur. Hoc virtus præstat. Quæ cum omnia honestate imprimis metiatur: non nisi per similitudinem nomen amicitia meretur, quæ solam utilitatem, vel voluptatem spectat. Propterea similis est virtuti: uti & misericordia, & verecundia. Aristoteles quidem de quæstione eâ, sitne virtus, an cum virtute conjuncta, dubiè loquitur octavo Nicomachiorum. Et Aspasius, reverentiâ præceptoris, non satis apertè quæstionem decidit. Non dabium tamen, quin, si affectio sit animi, minimè virtus sit moralis. Adde quòd, si amicitia esset virtus, vir bonus amitteret virtutem aliquam, quando amici ejus vel morbo aliquo, vel à tyranno

tyranno, aut aliter, tollerentur. Ex hisce omnibus cognoscere est, tum Stoicos lapsos esse, qui amicitiam inter virtutes reponunt, eoque propter se experti aiunt: tum Epicureos, qui solius utilitatis causa amicitias suscipi putabant. De Stoicis auctor Tull. lib. III. de Finibus: de Epicureis, Plutarchus lib. de amore in liberos. Et hæc de causis amoris.

Ratio ejus conciliandi est, ut ostendamus, homines esse tales, quales esse solent amici.

C A P. V.

D E O D I O.

AMORI, atque amicitia, opponuntur odium, & inimicitia. Differunt autem hæc ab ira multiformiter. Irascimur nempe ob ea, quæ ad nos attingunt; odimus etiam non habitâ commodorum nostrorum ratione: Ira in singulos fertur; odium deservit adversus singula generum, & genera singulorum: Ira furor brevis est; at odium & inimicitia sunt diuturna: Iratus intendit, ut dolorem adferat: vult enim, ut is sentiat malum, quem ulciscitur: at qui odit, damnum, vel perniciem afferre studet; nec laborat, ut iram inimicus sentiat, nec ne.

I. QUOMODO IRA ET ODIUM DIFFERANT.

EX ijs, quæ de amore diximus, liquet, quid sit odio habere: nimirum, primùm velle alicui, quæ putat mala: deinde velle illius causâ: denique eorum pro viribus effectorem esse.

Odium autem, & ira, inter se differunt, quodd illud sit ἐν τῷ ὄντι ὀνειδίωσιν*, sicut & φιλία †: ira verò ἐν τῷ ὄντι ὀνειδίωσιν ‡. Aristoteles ea sex modis distinguit.

I. Ira nascitur ex ijs, quæ unusquisque ad se pertinere censet: inimicitia verò atque odium etiam sunt sine ijs, quæ unusquisque judicat spectare se ipsum. Hinc Plutarchus †: Ἐργάται τὸ μίσος ἐν φαρτασίαις τῷ ὄντι πονηρῶς, ἢ κοινῶς, ἢ περὶ αὐτῶν ἐστὶν ὁ μισοῦσιν. Cognitur odium, quod eum, quem quis odio habet, imaginetur, vel simpliciter, vel erga se, magis arduum tendit.

II. Ira semper est adversus singularia; uti Socratem, aut Calliam: odium verò tum singularium est; uti Vatini, quem homines honesti odio ipsâ bile amariori prosequerantur: tum etiam adversus

* ἐν ἀνίμω facultate, quâ concupiscimus.

† ἀμικτία.

‡ ἀνίμω facultate,

quæ ad bonū arduum

tendit.

† libello de

invidia &

odio.

fus integrum genus exerceri potest : quomodo unusquisque furem odit, ac calumniatorem.

III. Ira est tempore sanabilis ; odium non item. Itaque & affectus hic Græcis $\sigma\upsilon\upsilon\ \mu\acute{\alpha}\lambda\iota\sigma\tau\omicron\upsilon$ * dicitur $\mu\acute{\alpha}\lambda\iota\sigma\tau\omicron\upsilon$, quam vocem Tullius rectè transfert *odium*, cum à Stoicis definiatur $\epsilon\sigma\gamma\eta\ \tau\omicron\upsilon\ \pi\alpha\tau\alpha\lambda\alpha\iota\omega\mu\acute{\epsilon}\nu\eta$ †.

* à perma-
xendo.
† ira èνευ-
κέρата.

I V. Illa colorem afferre cupit, qui sentiat : hoc malum sentiat, necne, susque deque habet.

V. Illa est cū molestiā ob injuriā acceptā : hoc doloris est expers.

VI. Illa, si multa mala fiant, detumescit, eo quodd, qui iratus erat, alterius tandem misereatur : hoc nunquam terminatur misericordiā. Et ratio est, quia iratus reponere injuriam, ac talionem reddere ; at inimicus alterum planè extinctum, aut pessumdatum, velit. Hujusmodi animum spirant illa Phalaridis, epistolā ad Eteonicum : $\tau\upsilon\varsigma\ \mu\acute{\epsilon}\nu\ \tau\omicron\upsilon\ \pi\upsilon\delta\alpha\tau\omicron\upsilon\ \epsilon\iota\varsigma\ \epsilon\mu\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\ \delta\upsilon\sigma\upsilon\mu\epsilon\iota\alpha\varsigma\ \epsilon\mu\ \mu\acute{\omicron}\nu\ \zeta\acute{\omicron}\nu$, ἀλλ' ἔδ' ἂν ἐποδαίων, ὁ πᾶσι συμβαίνει τοῖς πεπελαμένον, ἐπιλαδοίμην. *Malevolentia Pythonis erga me, non vivis modo, obliviscar nunquam ; sed ne mortuus quidem, pro ut omnibus defunctis contingit.* Quin sæpe eò devenit furoris, ut &

† Plutarch.
de discernendo adu-
latore ab
amico.

probet illud Græcorum †, $\epsilon\pi\acute{\rho}\iota\tau\omicron\upsilon\ \phi\iota\lambda\omicron\ \sigma\omega\delta\ \epsilon\chi\theta\epsilon\tau\acute{\omicron}\varsigma$ * *Perent amici, dum unā inimici intercitant.* Quid amicos dico ? Interdum nec vitam propriam perdere ambigit, dummodo simul tollat alienam. Ita animatus fuit Atreus, ejus illud apud Senecam in Thyeste :

Hæc ipsa pollens inclyti Pelopis domus

Ruat vel in me, dummodo in fratrem ruat.

Atque in hoc odium non ab ira modò, sed etiam ab invidia dif- fert : ut docet Plutarchus libello $\omega\epsilon\iota\ \phi\theta\acute{\omicron}\nu\ \epsilon\mu\ \mu\acute{\omicron}\nu\ \sigma\upsilon\upsilon$ *.

* de invidi-
dia atque
odio.

II. QUI ALIOS, ET QUOS, ET QVA DE CAVSSA ODISE SOLEANT, ET QUOMODO ODIVM CONCITETVR.

LIQUET, qui odio habeant, nimirum contrarij amicis.

† thymni
piscu instar
ἀσπίδι, ac
quasi calci-
bus proteri.
* artillo-
nes, atque
iracundi.
* jecorarij
κενσικου.

Liquet, quos odio habeant, nempe contrarios amicis.

Odium atque inimicitiam gignunt actiones inimiciter adversantes bono, quod amamus. Ita quisquis se ab alio sentit perpetuò $\epsilon\pi\omicron\delta\upsilon\upsilon\iota\zeta\epsilon\theta\alpha\iota$, $\epsilon\gamma\ \lambda\acute{\alpha}\gamma\delta\ \epsilon\lambda\omega\ \pi\alpha\tau\epsilon\acute{\omicron}\delta\iota\alpha\iota$ †, non ei modò irascitur, sed & hominem odit : videnturque hoc pacto animati non ij modò, qui $\mu\epsilon\lambda\acute{\alpha}\mu\pi\upsilon\tau\omicron\iota$ * audiunt, sed etiam, qui nomen possident $\eta\pi\alpha\tau\epsilon\upsilon$ †, ut cum Eubulo Comico loquar. Maximè autem odium accenditur, si ab ijs inimiciter nobiscum agatur, à quibus maxinè nos amari oportebat.

tebat. Itaque acerbissima esse odia inter conjunctissimos solent, ut docet Aristoteles lib. VII. Polit. cap. VII, ubi idem gemino hoc proverbio confirmat, χαλεπὸν φίλους ἀδελφοὺς * & , Οἱ μὴ φίλοι τέρσαντες, οἱ δὲ φίλοι μισοῦσι †. Nempe, ut ait Tacitus lib. I. Annalium: Quae apud concordem vincula charitatis, incitamenta irarum sunt apud offensos.

Ratio deducendi animos ad odium est, ut ostendamus, homines esse tales, quales esse solent inimici. Ita Tullius, ut Antonium inducat in odium, crudelitatem ejus describit. Ut cum inter alia Philippicâ IV. ait: Nullus ei ludus videtur esse jucundior, quam cruor, quam caedes, quam ante oculos trucidatio civium. Quibus verbis non odium modo ciet; sed & metum, de quo nunc dicendum.

CAP. VI.

DE METU.

METUS, sive timor, est quidam animi dolor ac perturbatio, ob phantasiam malis imminentiis, quod vel perniciem adferat, vel molestiam.

I. DE VOCABULO METUS, ET ALIIS, QUAE IDEM SIGNIFICANT: ET QUOMODO METUS ARISTOTELI DEFINIATUR.

VOX φόβος à militiâ sumpta est, proprieque dicitur, cum quis se in fugam conjicit. Est enim à φόβος, quod est φοβέω *. Metui * fugere. nomen inditum est ab Ionico μετίω pro μεθίω †; quod in eo abijciatur & amittitur constantia: vel potius à μέθω †, quod interdum idem est ac φόβος, teste Hesychio. Nempe ab obsoleto μέθω, ut μέθω ab inusitato μεθώ, unde Latinorum peto. Timor vero appellatur, quia proprie sit expectatio eorum censuræ, qui in dignitate sunt constituti, παρὰ τὸ τιμῆν †, unde ἐπιτιμῆν †. Nisi simpliciter sit deducere timor à δέω, quod idem ac φόβος, ut δειμάω, φοβέω, eodem Hesychio teste. Vel à δέω *, quo Homerus eadem notione usus, juxta Eustathium †, qui & δέω inde esse arbitratur. Plus autem est timere, aut metuere, quam vereri: unde illud: *Malo vereri, quam timeri me à meis*: & hoc Senecæ lib. II. de Irâ: *Longè itaque ab assentatione pueritia removenda est, audiat verum, & timeat interim, vereatur semper.*

* Difficilia sunt inter fratres bella.

† Qui vehementer amant, iudicant & vehementer odierunt.

† censere. † oburgare. * timor. † in II. n. pag. 672. & 676. & II. pag. 761. edit. Rom.

* lib. 25.
Advers.
cap. 29.
* lib. 3. od.
18.

Pavor ἄντ' τῷ καλῷ, unde *pavire*: ab hoc *pavimentum*; item *tripudium*, quasi *terripavium*; nisi cum Turnebo ꝛ malis, quomodo Græci dicunt ἀπεδιάζειν, ita & *tripudiare* dictum, sive q' iasi à τριποδιαζειν, sive quia ter pede feriatur terra, ut loquitur Horat. in odis*. *Percellere* est à veteri Græcâ voce κέλλειν, quia animus quasi verberatur imminentis mali opinione. Κέλλειν enim est κινεῖν, atque interdum etiam κελῖσαι, sive κλίνειν: sanè à κέλλειν sunt *cellsus*, *excellere*, *recellere*, quod apud Lucretium est lib. 11. Festus rectè interpretatur *reclinare*. *Formido* est à formis sive spectris: *forma* verò est ex μορφή, καὶ μεταδρασι ꝛ. Nisi veteres *formis* dixere pro *calidis*, atque inde *formido*, quia nonnullis præ metu sudor prorumpit. *Terror* est à τρέσας ꝛ. Terrent enim monstra. Vel potius à τρέσω, quod idem ac τρέμα*. Hæc dicta sunt de vocum causis, quarum nonnullas etiam adduxit Cæsar Scaliger ad versus Cardanum Exercit. c c c x. At pleniùs de ijs omnibus in Originum libris diximus.

* per litteram
transpositionem.
† monstra.
* tremo,
trepidò.

II. QUID SIT METUS.

ARISTOTELI definitur φόβος, λύπη τις ἢ τὰς καὶ ἐν φαντασίαις ἀπερτurbationis κακῶ, ἢ φαστικῶ, ἢ λυπηρῶ. h. e. *Metus est dolor quidam ac perturbatio ex opinione impendentis mali, quod vel perniciem, vel molestiam afferre possit.* Dico mali, quod perniciem aut dolorem afferat, quia non qualecunque metuitur malum (neque enim metuimus ingenium hebes, aut injustitiam) sed quod possit afferre interitum aut dolorem, & quod prope ablit. Quæ enim procul sunt, non metuantur; quomodo non timemus, quod moriendum sit, quia longè quilibet mortem abesse, arbitratur. Insigne hujus rei exemplum habemus in Iunone primo Æneidos, quæ conabatur Troianos avertere ab Italiâ, quia metuebat Carthagini,

*Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam
Posthabitâ coluisse Samo.*

Metuebat autem ob malum impendens, quia jam

— *Progeniem Troiano a sanguine duci
Audierat, Tyrius olim qua verteret arcus.*

Ex hæc verò metus definitione, liquet etiam, quomodo debeat spes defini. Nam etsi spei propriè opponitur desperatio; tamen, cum pinguiori loquimur Minervâ, contrariam quoque metui spem facimus: quippe quæ repugnet, quia metus est, cum malum propinquum est, quod optamus ne adveniat; spes est, cum bonum est propin-

propinquum, quod optamus ut adveniat. Erit igitur spes gaudium ex opinione impendentis boni, quod aut conservare, aut voluptatem adferre possit.

III. QUI METVANT, ET IN QUOS NON CADAT METVS.

METVANT, qui se aliquid passuros arbitrantur: ac tunc metuunt, cum se putant passuros. Contrà non metuunt, qui se nihil autumant passuros, sive à rebus, sive à personis. Certè, ex Stoicorum sententiâ, vir sapiens & justus, quia nihil sibi præstandum putat præter culpam, haut extimescit, si Saturnius oculus in domum incubuerit; aut, Nausiclidis instar, ἄνθρωπος ἄνθρωπος ἐχρητ: quin, ut de eo scribit Horatius*,

*Si fractus illabatur orbis,
Impavidum serient ruina.*

Verùm de Stoico sapiente nunc non laboramus: sed ijs, qui se par-
ti posse, nec tamen passuros, existiment. Cujusmodi duo sunt ho-
minum genera. 3.

I. Qui prospero utuntur fortunæ statu, eoque uti existimantur: unde contumeliosi sunt, ac contemptores, & audaces: talesque redduntur divitijs, robore, multitudine amicorum, potentiâ.

II. Qui desperatæ sunt salutis. Nam ita plurimum usu venit, ut qui, leviculo in malo, Teletis aut coturniculæ animum habent, multa que agunt ac dicunt generoso animo indigna; hi, simulatque se malorum fluctibus obrui sentiunt, ac nullum amplius spei relictum locum, si quidem probi sint, Achilleum quiddam spirent; sin improbi, amsint aliquid brevibus Gyaris, & carcere dignum †. Teren-
tius Andr.*

*Vt animus in spe, atque in timore, usque antehac intentus fuit,
Ita, postquam adempta spes est, lassus, curâ confectus stupet.*

Ovid. lib. I. Tristium el. IV:

— Audaces cogitavit esse metu.

Et lib. II. de Ponto el. II:

Tuta petant alij. fortuna miserrima tuta est.

Nam timor eventus deterioris abest.

Hinc nutrix Medæ apud Senecam ait:

Qui nil potest sperare, de speret nihil.

Et Troadibus ait Andromacha:

Miserrimum est timere, cum speres nihil.

† neque
ver, necque
amicos huius-
modi.
* od. 3. lib.

† Juvenal.
sat. 1.
* act. 2. sc.
1.

Atque inde lux Arnobio lib. i. aduersus nationes : *Et in pericula capiti immittere se sponte temeraria desperatione voluerunt.* Idem eodem : *Quid o participes rationis audetis homines proloqui ? quid effutire ? quid promere temeraria vocis desperatione tentatis ?* Et lib. xv : *Aut aliquem sumferimus temeraria in Deos desperatione contemnum.* Sanè hæc eruditissimi scriptoris verba probè conueniunt nauarum generi. Nam desperatione temerarij sunt , atque impij in Deum ; unde & eos Æschylus † vocat *Συγυῖς* , ac *τοῖς ἰσοτέλει* * opponit. Quamquam aliter hac de re Scipio Gentilis lib. i. *cap. xii.* Dido quoque argumento nobis est , quàm ij , qui sibi videntur jam inter Orci cancos adhærere , nihil ultra extimescant. Quippe ea derelicta ab Æneâ , quod ei suppliciorum omnium gravissimum videbatur , mortem non fugit , sed *orat : tædet cœli convexa tueri.* Se quoque increpat , quòd Æneam non fuerit bello persecuta. Ait enim : *Quem metui mortuam ?* Itidem Euryalii mater , interemto filio , quasi rebus jam omnibus conclamatis , nihil planè mortem reformidat. Itaque

† Thebrid.
* pin.

† 9. Ep. ait † :

*Fugite me , si qua est pietas , in me omnia tela
Conycite , o Rutuli , me primam absumite ferro :
Aut tu , magne pater diuinum , miserere , tuog,
Inuisum hoc detrude caput sub Tartara teo.*

Exemplo etiam fuerint Syracusani ; qui , cùm Dionysius senior pecunias extorqueret , lamentabâtur , & supplices orabant , de inopia suâ mirificè conquerentes. Atque hoc ille iterum iterumque egit , ita ut eos penitus exhauriret. Nihilo fecius tributum ab ijs exigebat. At illi tum ridere , inque foro obambulantes falsè etiam in eum dicta jacere. Tum demum desisti tyrannus iussit , & causam addidit , *Νῦν ἰδέσθαι ἔχουσιν , ὅτι κατατροπῶσι ἡμῶν* *. Nimirum non metuebant ultra , quia omnia miserant. Auctor Plutarchus in Apophthegm. Neque duces rei militaris intelligentes nesciunt ipsam quoque necessitatem spiritus interdum addere , desperatione audaciam pariente. Sanè , ut Vegetij * verbis utar , *Scipionis laudata sententia est , viam hostibus , quâ fugiant , munendam.* Nimirum , quia quandoque , ut apud eundem † legimus , *ex desperatione crescit audacia , & , cùm spes nihil est , sumit arma fortitudo* Neque ratio hujus rei obscura est. Nam quia nulla est spes reliqua , timere nequeunt. Timor enim requirit dubiam consultationem inter spem metumque , ita ut , ubi alterutrum horum abest , etiam absit alterum. Vide Senecam epist. v. ad Lucillum , & Ant. Murcetum lib. xxi. Var. Lect. cap. v.

* Nunc nihil ultra
habēt , quia
nos contem-
nunt.
† lib. 3. cap.
21.
† lib. 3. cap.
25.

IV. QUI METVANTVR.

METVANTVR autem,
 I. Quorum in manu salus nostra est, Cicero pro Quintio ad C. Aquillium; *Non minus sepe venit in mentem potestatis, quam equitatis tue: propterea quod omnes, quorum in alterius manu vita posita est, sapius illud cogitant, quid possit is, cujus in ditione sunt, quam quid debeat facere.* Huc refer conscios rei atrocis: semper enim periculum est, ne prodant. Hinc Iuvenalis sat. III.

*Quis nunc diligitur, nisi conscius, & cui servens
 Estuat occultis animus, semperque tacendis?*

Et mox:

*Carnus erit Verri, qui Verrem, tempore quo vult,
 Accusare potest.*

Idem aliquanto post de Græculis inquit,
Scire volunt secreta domus, atque inde timeri.

II. Qui possunt injuriam facere. Vt qui alios gaudent salibus defricare. Velut mimi, fatirici, epigrammatum scriptores. Horat. lib. I. sat. IV:

*Omnes hi metuunt versus, odere poetas,
 Fœnum habet in cornu, longè fuge, dummodo visum.
 Excutiat sibi, non hic cuiquam parcer amico:
 Et quodcumque semel chartis illeverit, omneis
 Gestiet à furno redeuntes scire, lacuque,
 Et pueros, & anus.*

Cicero lib. VII. epist. XI. ad Trebatium: *Si te citò retuleris, sermo nullus erit: sin frustra diutius abfueris; non modò Laberium, sed etiam sordalem nostrum Valerium, pertimesco. mira enim persona induci potest Britannici Iuriconsulti.* Ait, si Trebatius diu hælerit Samarobrinæ, nec unctiùs manum retulerit, periculum esse, ne, quia ex Iuriconsulto factus sit miles, & interim non ausus fuerit Cætare in Britanniam sequi, ed ab hominibus falsis sub persona Britannici Iuriconsulti ridendus cunctis proponatur: præsertim à Dec. Laberio, mimum scriptore; atque item à Valerio, sive is est L. Valerius Iuriconsultus, Ciceroni alibi * quoque memoratus; sive Valerius Ca-
 tullus, cujus epigrammata (de illis fædis, et si purissimæ impuritatibus, nunc non loquor) omnibus omnium eo in genere præcellunt: in quibus & unum ad ipsum existat Ciceronem. Quamquam autem
 omnes

* lib. 9.
 epist. ult.
 & lib. 3.
 ep. 30.

omnes illi, ut diximus, metuantur, qui possunt injuriam facere: magis tamen ab ijs timemus, qui à nobis affecti sunt injuriâ, vel affecti sibi videntur. Semper enim observant occasionem ulciscendi. Ideo Alcibiades, ab Atheniensibus revocatus, non obtemperavit. Nempe sciebat, quàm multos Athenis offendisset. Et crimen de Mercurij statuis ab eo mutilatis ac dejectis, grave omnino erat. Vti & quoddam mysteria privatim per ludibrium factitâssent in contemptum religionis. Tantò magis sibi metuebat ab inimicis. Rogatus, an non crederet se patriæ, τὰ δὲ ἄλλα, ἔφη, πάντα ἐστὶν ἡ ψυχῆς ἢ ἐμῆς ἂν τῆ μητρὶ, μήτις ἀγνοῖσσαι τίω' μέλαινα, ἀντὶ τῆς λευκῆς, ἐπιτέλλω ψῆφον .i. alia, inquit, omnia, sed vitam meam ne matri quidem, ne ignorans calculum nigrum pro albo ferat. Auctor Plutarchus in Alcibiadis vita. Vti & Ælianus lib. xi i i. Var. Hist. cap. xxxvii. Nec solum metuimus, quos injuriâ affecimus, sed etiâ, qui nos affecere injuriâ, partim quia crimine ex uno, quomodo erga nos affecti sint, judicamus; partim quia, qui malum dedere, reformidant talionem, eoque non possunt non malè velle. Propterea Polynices, qui contra pactum regno paterno exclusus erat ab Eteocle, ne induciarum quidem tempore ad colloquium aliter, quàm stricto gladio, venire ausus erat. Vnde sic fratrem compellat*:

* apud
Euripidem
Phanisiis.

Ἄπαντα δὲ τολμῶσι διὰ τὸ παῖός, Ὅταν δὲ ἐχθρῶς πρὸς ἀμείβεται ἄλλος.

Nil non videtur facere & audaci metum,
Hostile cum pes per solum profert gradum.

† A. 3.

Et Achæmenides, quem Ulysses in Sicilia reliquerat †,

--- ubi Dardanius habitus, & Troia vidit
Arma procul: paulum aspectu conterritus hæsit.

Nempe homo Græcus metuit Troianos, contra quos arma tulerat.

III. Præterea metuuntur illi, qui eandem rem affectant, cum tamen fieri nequeat, ut simul potiantur. Cic. i. Offic. *Quod est apud Emnium, nulla sancta societas, nec fides regni est, id latius patet. Nam quicquid eiusmodi est, in quo non possint plures excellere, in eo plerumque fit tant a contentio, ut difficillimum sit sanctam servare societatem.*

IV. Etiam metuuntur, qui formidabiles merito sint præstantioribus. Nam quos hi jure metuant, facile oberunt inferioribus.

V. Quos reapse metuunt præstantiores.

VI. Qui sustulerunt nobis præstantiores.

VII. Qui invaserunt nobis inferiores. Aut enim jam metuendi sunt,

sunt, aut timendi erunt potentiores facti. Ita Græci, etsi vires suas longè Illyriorum potentia præferrent; tamen, his à Philippo rege devidis, sibi etiam ab eodem metuerunt.

VIII. Timentur etiam amici eorum, qui injuriam passi sunt, aut inimicorum, aut adversariorum; non qui ad iram sunt præcipientes, ac liberius loquuntur; sed mansueti, dissimulatores, astuti. Nam facillè nobis cavemus ab ijs, qui apertè sunt inimici: at non item ab ijs, qui animo quidem sunt exulcerato, sed sciunt simulare & dissimulare: quippe qui, cum maximè aliud agere videntur, maximè in eo sint, ut magnum nobis dent malum. Exemplo esto Vlysses Homericus, qui injurias procorum dissimulavit, usque dum eos interimendi affulserat occasio. Nec fugit hoc C. Cæsarem *, qui cum ab delatoribus cognovisset, M. Antonium & Dolabella^{* Plutar.} bellam res novas moliri; acutè respondit, nihil se metuere ab his, ^{chris in Cæ.} sed à pallidis ac macilentis illis. Cassium autem, & Brutum signa^{facit.} habuit. Auctor Plutarchus in Cæsare. Nempe, ut matris Medæ apud Sæcæcam ait:

Ira, que regitur, nocet.

Professa perdunt odia vindictæ locum.

Atque hi sunt, qui metuuntur: unde facile est videre, qui non metuantur. Nempe à quibus nihil nos passuros putamus, sive quia non malè velint, sive quia nihil possint. Ut, captà à Lacedæmoniis Cadmeà, suspecta ijs fuit Ismenia potentia, quem iccirco vincitum rapuere Spartam, ac paullò post necarunt. Suspecta quoque virtus Pelopidæ, Pherenici, Androclidæ, & quorundam aliorum; qui, cum fugà sibi consulissent, exulare iussi sunt. At Epaminondam, qui Thebis permanferat, degere ibidem permiserunt, quia non metuerent sibi ab eo, sed omnino contemnerent, *διὰ τὴν φιλοσοφίαν, ὡς ἀπεργόμενα, διὰ δὲ τῆν ὡς ἀδύνατον* partim quòd philosophia ad dictum à rebus gerendis abstineret; partim quia ob paupertatem parum aut nihil posset: ut est apud Plutarchum in Pelopidæ vita.

• IV. DE REBUS HIS, QUÆ METVM
INCUTIUNT.

METUENDA sunt, quæ interimunt, quæ magnam molestiam afferunt, quæ signa sunt rerum metuendarum. Ut si quis est vel inimicus, & potens; cujusmodi nocere & vult, & potest: vel injustus, & potens; quippe quem potentes metuunt, eundem ex-

stinctum capiunt. Cicero lib. II. ad Atticum epist. XXI. de Pompeio: *Et timeo, tam vehemens vir, tamq̄ acer in ferro, & tam insuetus contumelia, ne omni animi impetu dolori & iracundiae pareat.*

Maximè autem quatuor malorum genera animos exsternant, horroremq̄e incutiunt,

Primum, quæ corrigi nullo modo possunt. Certè non admodum reformidamus leuem in mercibus jacturam: at cautio omnibus modis est, ne vitam deperdamus. Itcirco in militiâ bis peccare non licebat. Sanè centuriones ac duplicarios, quòd ordines reliquissent, virgis cædebant, ac securi quoque percutiebant; ut cognoscimus è secundo Livij libro.

II. Idem præstant, quæ emendare non sit in nostrâ, sed adversarij potestate.

III. Par eorum ratio, quæ non nisi summâ cum difficultate corrigi queunt: ut si quis insigni ignominia maculâ fuerit notatus. Neque enim faciliè sordes vitæ eluuntur.

IV. Præterea horribilia sunt ea omnia, quæ miserationem in nobis concitare possunt, quòd statuamus eadem nobis posse contingere. Itaque Æneas magno se ait metu horroremq̄e percussam fuisse, cum intellexisset, Polydorum crudeliter aded interemtum esse à Polymnestore, Thracum rege †:

‡. ÆN.

*Tum verò, inquit, ancipiti mentem formidine pressus
Obstupui, steterunq̄, coma, & vox faucibus hæsit.*

Quod si res aliqua sit planè insolens, eo faciliùs horrorem incutit. Vnde Iustinus initio libri XIV: *Ne fama, aut rem in majus extolleret, aut militum animos rerum novitate terreret.*

V. QUOMODO METVM INCVTIAT ORATOR.

RATIO metu iudices percellendi est, ut ostendatur, aliquid eos imminenti mali pati posse, idque conferendo illos cum alijs, qui licet majores, tamen sint affecti clade: quòd item æquales passi sunt, vel patiantur,

I. Ea, quæ non arbitrabantur:

II. Ab ijs, à quibus non arbitrabantur:

III. Tunc, cum minimè arbitrabantur.

Exemplum ejusce rei è Tullio adferam. Is, ut iudicibus metum commoveat ex eo, quod Cn. Carboni à Verre contigerat: *Nunc, inquit, quævis sint homines, qui mortuum Cn. Carbonem oderunt,*

tamen hi debent, non quid illi accidere voluerint, sed, quid ipsis in tali re metuendum sit, cogitare. Commune est hoc malum, communis metus, commune periculum. Nulla sunt occultiores insidiae, quam ea, quae latent in simulatione officij &c. Idem eo timorē incutit, quod Verres pupillos spoliārat. Communis, inquit, est causa, commune periculum, communi presidio talis improbitas, tanquam aliquod incendium, restringenda est. Habemus enim liberos parvos: incertum est, quam longa nostrum cuiusque vita futura sit. Consulere viri ac prospicere debemus, ut illorum solitudo & pueritia quam firmissimo presidio munita sit &c. Vide & apud Herodotum lib. VII. orationem Artabani, quā metum injicere studet Xerxi, ne bellum inferat Græcis. Et hæc de metu.

CAP. VII.

DE CONFIDENTIA.

METVI contraria est audacia sive confidentia. Ea est spes cum phantasia rerum salutarium, quasi prope sint, his; quæ metum incute-
rent, vel nullis existentibus, vel procul remotis.

I. QUID SIT CONFIDENTIA.

TIMORI opponitur *fidencia*: unde Cicero lib. II. de Divinatione: *Timide fortasse signifer evellebat, quod fidenter infixerat.* Estque *fido* ex Græco *πίστις*. Nam *πειθίσκειν*, persuadere, credere, fidere. Atque hinc *fides*, non quia fiat, quod dictum, ut Tullius † *Στοιχωτέρος* † lib. I. de
ἔπιμολογίῃ. Apud Græcos *πίστις* opponitur *δύσπιστος* & *δεισέμενος*:
quorum illud in bonam, hoc in malam partem accipitur; juxta Suidam, & alios. At Latinis *confidentia* interdum in bona significatione, interdum in mala ponitur: sed *fiducia* semper in bona: ut Donatus tradit Andr. Act. v. Sc. III.

Aristoteli, quia naturā vox media est, laxiùs sumitur, eoque hoc pacto definitur: *Θύστος, ἢ φαντασίας ἢ ἐλπίς ἢ ἐπισημίων ἐστὶν αἰς ἐγγυεῖς ἔργων, ἢ ἢ φοβερῶν, ἢ μὴ ὄντων, ἢ πύρρον ὄντων.* *Confidentia* est spes coniuncta cum opinione rerum salutarium ferè presentium; metuendarum autem, quæ aut non sint, aut procul absint. Ciceroni in secundo de Inventione *Fidencia* est, per quam magnis & honestis rebus multum ipse animus in se fiducia certa cum spe collocavit.

II. QVI CONFIDANT.

FIDENTES sunt, qui eiusmodi habent opinionem: putà in periculo suo, non autem alterius. Nec enim audaciæ, aut fortitudinis est, quòd plerique duces bellici magna quidem ausint; sed ita, ut ipsi sint extra teli iactum. Equidem non diffiteor, præfectos militiæ minùs, quàm gregarios milites, esse ingentibus periculis exponendos, cum magis à consilio providi ducis, quàm ab impetu intrepidi militis, salus exercitus dependeat: attamen non propterea is verè audax dicendus, qui magna ausit periculo militis, sed is demum, qui ipse eodem periculo se involvat. Ac multò minùs medicus ille fidens erit, qui, quasi ægri nihil aliud essent, quàm victimæ quædam, quæ pro medicorum gloria mactentur, ita scientiæ & opum aucupio, per remedia, quæ expertus nec ipse, nec alius sit, sceleratè agat experimenta. Quæ non fiducia est, sed crudelis inhumanitas. Nempe, ut dixi, non in alienis, sed proprijs periculis, confidentia sita est. Quomodo fiduciam habent,

I. Qui mala nunquam sunt experti.

II. Qui mala sunt experti, sed ijs emerferunt.

Alios certè animat, & armat, quòd mali magnitudinem ignorent, (dulce enim bellum inexperto:) alios verò, quòd crebrò usu varias addidicerint rationes, quibus incolumes evadant. Prioris generis exemplum nobis proposuit Poëta in Lauso, qui, ob belli incitiam, ne quidem dubitavit congredi cum Ænea, quem iccirco

† 10. Æn. ita increpat vir fortissimus †:

*Quòd moriture ruis, majoraque viribus audes?
Fallit te incautum pietas tua.*

Ac subdit Poëta:

-- Nec minùs ille

Exultat demens.

Alterius generis exemplum apud eundem habemus in Turno, qui ne utiquam hastas abijcit, inspecto ingenti Æneæ exercitu; sed virtuti suæ confidit. Ita enim de eo scribit idem *:

* eodem libro.

*Haut tamen audaci Turno fiducia cessit
Littora præripere, & venientes pellere terrâ.
Ultero animos tollit dictis, atque increpat ultero.*

Par quoque ratio est in navigantibus; quorum quidam non commoventur timore, quia non considerant periculi magnitudinem: quidam

quidam eo non commoventur, quia norunt rationem enatandi in naufragio, aut antea sese è naufragio incolumes evasisse cogitant. Hoc argumento suos consolatur Æneas primo præclari operis:

*O socij, neque enim ignavi sumus ante-malorum,
 O passi graviora, dabit Deus his quoque finem.
 Vos & Scyllæam rabiem, penitusque sonantes
 Accestis scopulos: vos & Cyclopea saxa
 Experti: revocate animos, mæstumq; timorem
 Mitite: forsân & hæc olim meminisse juvabit.*

Ita apud Iustinum lib. xxx Philippus, Macedoniæ rex penè ultimus, hortatur suos, referendo Persas, Bactros, Indosque, & omnem Asiam, Orientis finem, à Maccdonibus perdomitum. Ac Flamininus consul (ut ibidem legas) relatione rerum recentissimè gestarum suos stimulabat in prælium, offendendo hinc Carthaginem cum Siviia, inde Italiam, & Hispaniam, Romanâ virtute perdomitas.

III. Præterea fiduciâ præditi sunt, qui animadvertunt, rem non metui ab æqualibus, vel inferioribus, ac omnino ijs, quibus se iudicant præstantiores. Item fiduciam addit, si periculi nihil videant homines prudentissimi. Vnde in suadendo plurimum valet viri sapientis auctoritas: uti è contrario, si homo imprudens alicujus rei auctor esse velit, etiam tutissima timentur. Aufonius epigr. ad Theodosium imp.

*Agricolam si flava Ceres dare semina terra;
 Gradivus jubeat si capere arma ducem;
 Solvere de portu classem Neprunus inermem;
 Fidere tam fas est, quam dubitare nefas:
 Insanum quamvis hyemet mare, crudaq; tellus
 Seminibus, bello nec satis apta manus.
 Nil dubites, auctore bono.*

IV. Fiduciam etiam præbet, si polleamus rebus illis, quibus excellunt, qui metuendi sunt: nimirum multitudine pecuniarum, robore corporis, firmitate regionis, potentiâ amicorum, præstantiâ eorum, quæ ad bellum parantur vel omnium, vel maximorum. Vnde Iustinus initio libri xxxiij. *Partem civitatum fiduciâ virium resistentem.* Similiaque passim se offerunt.

V. Confidunt etiam, qui injuriam fecerunt, aut nemini, aut non multis, aut non ijs, à quibus metuntur. Nam istiusmodi fidunt innocentia suâ.

VI. Qui se Deum habere propitium colligunt, vel ex signis, vel ex augurijs, vel ex oraculis. *Æneid. XII:*

--- *Primusq; Tolumnius augur;*

Hoc erat, hoc votis, inquit, quod sepe petivi.

Accipio, agnoscoq; Deos: me, me duce ferrum

Corripite, o Rutuli.

Et eodem libro:

Næqua meis esto dictis mora, Iupiter hæc stat.

Quomodo & Ennius dixerat * in VI. Annal.

Non semper vestra evertit, nunc Iupiter hæc stat. -

Etiam Diomedes in IX. Iliados Agamemnonem increpans, quod fugam suaderet, ait, utcunque alij etiam Græcorum se conijcerent in fugam, se tamen & Sthenelum perfituros in bello, usque dum ceperint Ilium: ac fiducia hujus causam addit,

--- *Σω' Ἰθ' Θεῶ' εὐχιδέμεν †.*

Pertinet huc quoque ille Tyrtæi pentameter:

Θαρσύν', ἄνω Ζεὺς ἀρχὴν λόγον ἔχει.

Audete: necdum enim Iupiter (ut Paccuvianâ voce utar) incurvicervicus est.

Etiam sacerdotes Delphici, adversus Gallos pugnaturi, persuasere exercitui, Phœbum, Dianam, ac Palladem, à se visos, coique fore pugnae antesignanos, & victoriæ socios. Quâ re tantum animi suis addidere, ut à quatuor millibus sexaginta quinque millia (tot enim in exercitu suo Brennus habuit) vincerentur; quemadmodum Justinus refert lib. XXI V. Inter alia, *Contra*, inquit, *Delphi plus in Deo, quam in viribus, reponentes, cum contentu hostium resistebant.*

VII. Denique fidentiores etiam sunt, qui priores sunt adorti. Quod pertinet illud Livij lib. XXVI II: *Plus animi est inferenti periculum, quam propulsanti.* Et Vegetius lib. III. cap. XXIII, cum suaviset duci, ut prior aciem instruat, hanc etiam causam adducit, *Es tuis auges confidentiam, & adversarijs fiduciam minuis: quia fortes videntur, qui provocare non dubitant.*

III. QUIBUS IN REBUS, ET QUIBUS DE CAUSIS, CONFIDERE SOLEMUS.

QUIBUS in rebus confidentes simus, noverimus, si causas fiduciae spectas habeamus.

Fidentiam autem afferunt,

I. Mala

* apud Macrobi-um lib. 6. Saturn. cap. 3.

† Nam cum Deo venimus, sine Deo saventur.

I. Mala admodum remota. Ea enim existimamus non facile nobis nocere posse.

II. Salutaria penè præsentia. Hæc eaim erigunt animos jacentes afflictosque.

Ita Troiani obsessi, Æneâ absente *

* 10. Æn.

--- miseri stant turribus altis

Nequicquam, & rarâ muros cinxere coronâ.

At, ut in conspectu erat Æneas cum exercitu adventans,

--- clamorem ad sidera tollunt.

Dardanide è muris: spes addita suscitât iras:

Tela manu jaciunt.

Sunt autem varia eorum genera, quæ spem salutis proximam effestendant:

I. Illa, quibus spes emendationis.

II. Auxilia vel multa, vel magna, vel utraque. Ita, cum Latinus de victoriâ desperans pacem cum Troianis facere cogitaret; confirmat eum Turnus à multis magnisque auxilijs. Ait enim †: † 11. Æn.

Non erit auxilio nobis Atolus, & Arpi?

At Messapus erit, felixq; Tolumnius, & quos

Tot populi misere duces: nec parva sequetur

Gloria delectos Latio, & Laurentibus arvis.

Est & Volscorum egregiâ de gente Camilla,

Agmen agens equitum, & florentes ære catervas.

III. Si neque injuriam acceperimus, neque intulerimus: ideoque adversarij sint nulli, aut impotentes, & è vulgo, vel qui non plus, quàm vulgares animæ, possint. Præstantiores enim censent, haut inesse vulgo lædendi facultatem: quomodo *ἢ ἔμψιχθῆναι ἀναρδῆναι ἢ ἐνεῖσθαι, αἷς φησὶ ὁ Διμόκριτος* * : vulgari pisci non insunt spine, ut ait * Plutar-
chus lib. 20.
Sympos.
quest. 80.

Democritus.

IV. Si qui beneficium à nobis acceperint, aut in nos contulerint. Ita Cicero orat. pro Marcello Cæsari persuadere conatur, nullas esse ei timendas insidias, quia neminem eorum læserit, qui superstites sint; omnibus autem benefecerit. *Quisnam, inquit, est iste tam demens? de tuisne? tamen si qui magis sint tui, quàm quibus tu salutem insperantibus reddidisti? an ex eorum numero, qui unâ tecum fuerunt? non est credibilis tantus in ullo furor, ut, quo duce omnia summa sit adeptus, hujus vitam non anteponat suæ. At si tui nihil cogitent sceleris, cogitandum est, nequid inimici. Qui? Omnes enim, qui fuerunt, aut suâ pertinaciâ vitam amiserunt, aut tuâ misericordiâ retinuerunt; ut*

ut

aut nulli supersint de inimicis, aut, qui supersuerunt, amicissimi sint.

V. Si aut plures sint, aut præstantiores, aut, qui & multitudine, & viribus superent. Vnde idem fiduciam in civibus gignit orat. Catilinaria II. *Instruite nunc, Quirites, contra has tam præclaras Catilinae copias vestra præsidia, vestrosq; exercitus: & primum gladiatori illi confecto & saucio, consules, imperatoresq; vestros, opponite. Deinde, contra illam naufragorum eiectam, ac debilitatam manum, florem totius Italiae, ac robur educite. jam verò urbes coloniarum ac municipiorum respondebunt Catilinae tumulis sylvestribus. Neque verò ceteras copias, ornamenta, præsidia vestra, cum illius latronis inopia, atque egestate, debeo conferre.*

Ratio gignendi fiduciam est, ut ostendatur, res salutares prope existere: res verò metuendas vel non esse, vel procul abesse. ●

CAP. VIII.

DE PVDORE.

PVDORE est dolor quidam, ac perturbatio ob infamiam opinionem, quando mala vel præsentia sunt, vel præterita, vel imminet. Impudèntia verò est, quâ despiciamus istiusmodi, neque ips perturbamur.

I. DE VOCABVLO PVDORIS, ET ALIIS EIVS-
DEM SIGNIFICATI, ET QVOMODO
DEFINIATUR.

SEQVITVR pudor sive verecundia; quam Aristoteles quidem numerat inter *αἰδῶν*; verùm alij plerique inter habitus animi referre malunt: atque hæc in re ab Aristotele quoque discessit Alexander Aphrodisiensis. Pudoris nomen, juxta Cæsarem Scaligerum *, est metaphoricum, quòd in eo adverteretur sensus, sicut in putidis. Nisi potius ab Hebræo *בוש*, aut Chaldæo & Syriaco *bebat*, quæ notant, *puduit, erubuit*. Verecundiæ vox angustior est, quia notat magnam opinionem reprehensionis, quia *væ. i.* valde remur, h. e. putamus ipsam rem. Abjectâ alterâ vocali ex diphthongo facta brevis est syllaba, sicut in fenestrâ *ἔστρα τὰ φαίεν*, & in Phlegetonte *ἔστρα τὸ ὀλέγειν ἐν αἰδῶν*. Ita idem Scaliger †. Verùm de diphthongo ad stipulari summo viro nequeo: cum neque in compositis alijs *ve* per diphthongum scribatur, sed nudâ vocali; ut cognoscere est ex

* *adversus*
Cardanum
Exercitat.
312.

† *ibidem.*

est ex *vegrandis*, *vecors*, *vesanus*; de quibus apud Gellium †, & Fe- † lib. 5. stum. Imò fortasse *vereri*, unde *verecundus*, est ab Hebræo *jare*, quod cap. 12. idem notat. Nempè ut litera *jod* in *van* abeat, quod apud Chaldæos, & Arabes crebrum.

Si audimus Damascenum *, differunt eo *αἰδώς* & *αἰσχὴν*, quia ^{*lib. 2. Or- thodoxæ fi- dei cap. 57.} *αἰδώς* ἐστὶ φόβος ἐπὶ τῶς ἐσθλῆς ψυχῆς· *αἰσχὴν* δὲ, φόβος ἐπὶ αἰσχρῶν πτωχευμένων. h. e. *αἰδώς* est metus ob expectationem vituperii: *αἰσχὴν* metus ob aliquid turpiter factū. Ita *αἰδώς* angustius fit, quàm pudor: quippe eo signetur verecundia five pudor honestus. Nomen ei ab *α* *σηπικῶν* *, & *ιδών* †, * privati- ut propriè sonet *δυσωπίαν* †. Sanè, ut proverbio fertur, *αἰδώς* ἐστὶ δειδύκω. † videre. *μοῖς* *: quo de Erasmo in Chiliadibus vide, & Henrico Stepha- † verecun- num in eas annotationibus. At *αἰσχὴν* est ab *αἰσχ* †, quod est turpi- dia non fi- tudo, *scdita*. Ideo & *αἰσχὴν*, teste Agellio lib. IX, cap. VI, defini- tius in ali- tur quàm pudor est. *αἰσχὴν* quoque in- quem in- bonam interdum accipi partem. Itaque voce eà laxius usus est Ari- stoteles, ut definitio ostendit. Nam *αἰσχὴν* illi est *λύπη πρὸς τὰ ἐπιεικέως*. * pudor est in oculis. *χρῆσις τῶν κατὰ εἰς ἀδοξίαν φαίνουσα σφίρει τῆς κακῶν, ἢ περὶ τῶν ἡμετέρων, ἢ ἡμετέρας, ἢ ἡμετέρας, ἢ ἡμετέρας*. † metus ju- *μελλόντων*. Pudor est dolor quidam & animi perturbatio, qua nascitur ob- ste repre- mala, vel presentia, vel preterita, vel futura, qua ad infamiam deducere vi- hensionis. dentur. Impudentia verò eidem est, quâ quis nullâ istiusmodi re- rum curâ tangitur.

II. QVOS PVDEAT.

EOs pudet, qui dolèt offensione existimationis. Hujusmodi sunt, I. Siqui habeant apud se, quos revercantur ac curent; five isti præsentés, five vicini, five cognituri sint id, quod præter decorum dicimus, aut agimus. Phædra apud Euripidem in Hippolyto:

Ἐμὸν γὰρ ἐστὶν, μή τις λαμβάνειν καλῶς,
Μὴτ' αἰσχρὰ δρῶσιν μάρτυρας πολλὰ ἔχοντες.

Quorum sententia est,

Nolim latere, siquid egero bene;
Nec opto testes, siquid egero malè.

II. Qui eo loco sunt constituti, ut periclitetur honos, atque existimatio. Ita, qui calamitate premuntur, ab illis conspicui nolunt, qui quondam æmulabantur. Æmulii autem sunt eorum, qui secundâ utuntur fortunâ, admiratores.

III, Item, qui ea egerunt, quæ dedecori sunt futura. Quomodo facti puduit Macedones, cum Antigonius Tutor, qui & Δάσων, ac

ἐὐεργετῆς vocabatur, ab ijs obfessus, sua retulisset merita, & oratione invidiam sedasset. Vnde Iustinus lib. xxviii: *Populus*, inquit, *pu-dore motus, recipere eum regnum jubebat*. Nec solum eorum, quæ egimus, pudet, si nobis probro sint futura; sed etiam, si majoribus, vel alijs, quibuscum necessitudo nobis intercedit; vel ijs, qui ad nos referuntur; ut qui sunt consiliarij, aut magistri. Ita Polycrates Sophista, non serid, sed ad ostentationem, accusationem Socratis scribens, ei probro vertit, quod auditorem habuisset Alcibiadem, noxium Reip. civem. Plato quoque infimulatus fuit, quod ex scholâ ejus prodijisset Calippus, hospitis sui, summi viri, interfecto: quamquam Plato negabat, eum in suâ unquam familiâ fuisse, atque aliunde ostendebat in familiaritatem venisse Dionis. Aufonius similiter ob Neronis delicta infimulat Senecam in gratiarum actione pro consulatu: *Dives*, inquit, *Seneca, nec tamen consul, arguetur rectius, quam predicabitur, non erudisse indolem Neronis, sed armasse sevitiâ.*

IV. Idem fit, si habeant similes, quibuscum de honore contentant.

V. Adhæc, si putent fore, ut conversandum sit cum peccatorum factorum conscis.

III. APUD QUOS PVDEAT.

APUD eos pudet, apud quos volunt honorem suum, atque estimationem esse factam tectam. Hinc Cic. lib. ii. epist. ad Att. v. *Quid enim nostri optimates, si qui reliqui sunt, loquentur? an me aliquo premio de sententiâ esse deducunt?* Πυλὺ δάμας * μοι φῶτ' ὅτι ἐλεγχέτω ἀναθήσῃ †. Cato ille noster, qui mihi unus est pro centum millibus. Idem lib. vii. ep. i: *Αὐδῆσαι ἰπὸν Pompeium modo, sed * Τρωῶν, ἔξ Τρωάδας. Πυλὺ δάμας μοι φῶτ' ὅτι ἐλεγχέτω ἀναθήσῃ. Quis? tu ipse scilicet laudator & mibi primus factorum, & scriptorum meorum.* Ac similis locus est epist. xvi. lib. vii. ad eundem.

* Homer.
Iliad. 2.
† Polydamas probri maculam mibi primus inuret.
‡ vereor.
* Troianos,
ὅτι Τρωάδας.

Sunt verò plura eorum genera, apud quos honorem violari nolunt.

- I. Nempe illi, quibus sunt admirationi.
- II. Quos ipsi admirantur.
- III. Quibus volunt admirabiles videri.

Iis autem admirabiles videri volunt, eosque admirantur, qui habent aliquod bonum honoratum, aut à quibus aliquid vehementer

menter requirunt , quod illi in suâ habeant potestate.

IV. Nec honorem apud eos violari velint , quibuscum de honore contendunt : ut sunt pares, & æquales.

V. Nec apud illos , quorum existimationem , ac judicium non contemnunt. Quales illi , quibus vel naturâ devincti sumus , ut parentes , & avi : vel ob merita , ut præceptores. Itaque pudet Orestem , post interitam matrem Clytæmnestram , intueri avum Tyndarea , cujus ea erat filia , & à quo puer tam blandè benigneque habitus esset. Sic enim loquitur apud Euripidem * :

* in Oreste.

--- Τυδάρεως ὄδῃ

Στείχει πρὸς ἡμᾶς, ἢ μάστιγ' αἰδῶς μ' ἔχει
Εἰς ὄμματ' ἰλθεῖν, τοῖον ἐξαιρεσάμεναις.

Sententiam sic quomodocumque expressero :

--- Hic Tyndarus

Ad nos gradum capeffit : à quo maximè
Pudet videri tale post facinus mentem.

Et mox :

--- Τίνα σκότον

Ἄλλω πρὸς ὄπην, ποῖον ὄπισθεν νέφθῃ
Θῶμαι γέροντ' ὀμμάτων φεύγων κέρας;

--- Quam vulni

Caliginem obdam ? quamve nebulam obicero
Mibi, seniles ut refugiam populus ?

Ab Aristotele autem quinque genera , quorum judicium curemus , referuntur.

I. Istiusmodi sunt , tum qui ætate sunt grandævâ , tum qui eruditione pollent , tum quicunque graves sunt vitiorum censors. Quomodo pudebat populum Romanum spectare Lupercalia , præsentè Catone : quæ cùm hic sui causâ intermitti videret , discessit , teste Plutarcho.

II. Offensionem etiam existimationis timent apud eos , qui semper affuturi sunt, quique eorum vitam attentè observant.

III. Qui non sunt isisdem criminibus obnoxij.

IV. Qui non facile ignoscunt delinquentibus.

V. Qui facile ac lubenter , quæ sciunt , effutiunt. Nam parum vulgè distare putant , num quid factum non sit , & num , quod peccatum est , ignotum sit.

Facile autem enuntiant commissa , tum injuriam passî , tum maledici , tum etiam , qui proximorum peccata studiosè observant , ac

notant; cuiusmodi sunt irrisores, ac Poëtae Comici. Qua de re superius † dictum.

† cap. 6.
sect. 3.

VI. A quibus nunquam repulsam tulerunt. Judicant enim, se ab his suspici. Ideoque nec libenter quicquam negamus ijs, qui primò quid à nobis petunt, aut qui nobis amici esse volunt, aut quibuscumq; vetus intercedit amicitia, aut qui nos florentes fortunatosq; viderunt. Optamus enim, non immutari magnificam de nobis opinionem. Cic. pro Muræna; *Ibi igitur in exilium miser. Quò? Ad Orientisne paries, in quibus annos multos legatus fuit, & exercitus duxit, & res maximas gessit? At habet magnum dolorem, unde cum honore decesserit, eodem cum ignominia reverti.* Itaque nec mirandum, si vultum semper demiserit Telephus, qui, cum rex fuisset Myforum, in exilio mendicabulum factus erat. Hinc Amphis Comicus in Impostore: (id fabulæ nomen erat) *Εκλυσε ὄσπερ Τηλεφος πρῶτην σιωπῆν: primum oculos silentio demisit, velut Telephus.* Hecuba quoque apud Euripidem, alloquens Polymnestorem, Thracum regem, callidè, cur humi oculos defigeret, rationem hanc assignat, quòd nollet se ab eo in tantà miserià conspici, qui beatam quondam vidisset. At reverà in causâ erat, quòd rectis oculis interfectorem filij sui intueri non posset.

VII. Denique apud eos pudet, qui dicta factaq; nostra indicaturi sunt ijs, quos veremur. Tales famuli, & qui famulis amici sunt.

IV. QVORVM PVDEAT, ET QVOMODO PV- DOR CREATVR.

EORVM pudet, quæ sunt opera ac signa vitiorum, sive in nobis, sive in nostris. Quæ materies latè adedè diffunditur, quàm genera patent vitiorum. Longum esset ire per singula. De ijs videbo, quæ familiam in his ducunt. Prima est vitiorum multorum mater ignavia. Propriæ ignaviæ pudere, argumento est Sargapifis, To-myridis Scytharum reginæ filius, qui à Cyro rege captus, postea-que dimissus, viscera sua transegit gladio præ pudore, quòd videtis esset delicijs, qui viros fortes vincere soletet: ut narrat Herodotus lib. I. Etiam, quantopere Romanos puduerit à Samnitibus victos ad furcas Caudinas, graphicè admodù depinxit Livius lib. IX.

Ad ignaviam quoque pertinet, non posse sibi met opitulari; quod * 2. En. Numanus Troianis exprobrat apud Maronem *, cum ait:

Non

*Non pudet obsidione iterum, valloque teneri,
Bis capti Phryges, & morti pratendere muros?*

Idem inibi molliciem ijs objectat, hisce verbis :

*Vobis picta croco ; & fulgenti murice vestis,
Desidia cordi, iuvat indulgere choreis ;
Et tunica manicas, & habent redimicula mitra.
O verè Phrygia, neque enim Phryges.*

Eodem refer, non opera solùm, sed signa etiam imbelliæ, ac timiditatis. Quale est *scuta jacere, fugereq;*, quod *habere licentiam* Stasimus ait apud Plautum Trinummo †, ubi conqueritur de corruptis seculi sui moribus. Hujus rei pudet Horatium od. v. 11. lib. 1. x.

† *Scen.*
Stasime,
fac te.

*Tecum Philippos, & celerem fugam
Sensit, relicta non bene parmula,*

*Cum fracta virtus, & minaces,
Turpe, solum texigere mento.*

Volfellis pugnat, non gladijs, Rob. Titius, càm scholijs in lib. 1. x. Syriados Petri Angelij Bargæi, pro *relicta* legendum ait *relata*. Magis ei verisimile sit, Horatium fugisse parmà in tergum conjectâ, quàm omnino abiecisse; cujus confessio planè sit ignominiosa. Verùm nos viro erudito, ut sæpe alias, ita hac etiam in re, humani aliquid patienti, opponimus MSSorum, omniumque prælo excusorum fidem : tum item, quòd alij, itidem fortasse h. ni, fugere clypeo abjecto. Nam (ut de Socrate nihil dicam) noti è Plutarchi Laconicis versus Archilochi:

Ψυχὴν ἐξέστασθα φυγὸν, ἀλλ' ἀσπίς ἐνεῖν

Ἐρήτω' ἐξ' αὐδῆς κτήσσομαι ἐκείνη.

Servavi fugiendo animam, clypeumq; valere

Iussi: hanc peiorem namque parare licet.

Notum quoque Demosthenicum illud;

Ἀτὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχίσθη.

Rursum potest pugnare, qui fugit prius.

Cujus versus meminere, præter Plutarchū, Agellius lib. xvii. cap. xxi, Martianus Capella lib. v. de nuptijs Philolog. & Tertullianus lib. de fugâ in persecutione, cap. x. Eo autem usum ait Plutarchus †, & ex eo Photius *, cùm fugeretur, deserto ordine, abjectoq; eo clypeo, in quo aureis scriptum erat literis, ἀγαθὴ † Τύχη.

† *in vita*
Demost.
itemque
lib. de decet
Rhetor.
* *col. 265.*
† *bona*
Fortuna.

Si pluribus de ignavia agere velim, metuo, ne audire cogar, quod militi aiebat Scipio, Odi nimium diligentem. Venio igitur ad alia vitia.

II. Pudet quoque, si opus, aut signum sit injustitiæ: ut deposito aliquem fraudare.

II I. Intemperantiæ: ut congredi cum ijs, quibuscum non oportet, aut quando non oportet, aut ibi conspici, ubi non oportet. Ita erubuit adolescens ille cum amatore conspectus, cui Hippocratidas t dicebat, Cum ijs esse conversandum ei, quibuscum visus non mutaret colorem. Et alius, in ganeo conspectus ab Diogene, pudore se penitiùs recipiebat: cui Diogenes * scitè, Quamò magis recederet, tamò magis in ganeo esse. Etiam Terentianus Ælchines erubuit*, cum pater vidisset pulsantè ostium meretricis. Non ostium pulsare turpe erat: verùm indicium fuit consuetudinis cū meretrice.

I V. Illiberalitatis: ut quæstum facere ex parvis, aut turpibus; quomodo Vespasianus t ex lotio vectigal capiebat: item nullã ei dare pecuniam, vel opem ferre, qui flagitet, quamvis possis, aut minorem, quàm possis; aut mutuam petere pecuniam, cùm quis existimatur numos à te petiturus esse; aut pecuniam impendere rei non necessariæ, quò honestiùs possit negari numos petenti mutuos.

Istiusmodi ingenio erat Gellius; de quo ita Martialis *, *Gellius adificat semper &c. Oranti numos ut dicere possit amico Vnum siliud verbum Gellius, adifico.* Est & illiberale universum poscere, omniaque velle cum pulvisculo auferre: cuiusmodi Ætolos vocare liceat *ἄν τὸ αἰτῶν*

* quod totis *ἄλαν* t. Sanè, qui impudenter donaria efflagitant, scitè Aristophani dicuntur habere *τὸ χεῖρ ἐν Αἰτωλοῖς* *, quod & monet Eustathius t. Itè siquis metuens, ne is, à quo pecuniam mutuò acceperat, eam reposcet; præoccupet, atque aliam denuo poscat, non quòd sit impetrandi spes, sed ut restituendi tempus prorogetur. Aut siquis, quia suspicetur alium denuo aliquid à se postulaturum commodatò, id quoque reposcet, quod priùs utendum dederat, non quia ultra carere non possit, verùm ne aliud petat. Eiusdem generis est, laudare aliquid, quò id sibi donetur: aut petere nihilominus, postquam semel repulsam tulerit. Certè Tullius, cùm in exilio à Metello Consule petijisset auxilium, nec impetrasset; postilla suis ei literis obstreperere erubuit, usque dum mutatum Metelli animum cognòrat è Quinto fratre. Quod si id callidè magis, quàm verè, à Cicerone prætextitur; cogitandum, aliquid dandum fuisse necessitati. Vide epist. iv. Cic. lib. ad Metell.

V. Pudorem incutiunt opera ac signa adulationis: ut propter dolentem supra modum dolere; aut laudare in os: unde Comicus Adelphis t:

† Plutar-
chus in La-
conicis.

* Plutar-
chus de pro-
fectu virtu-
tis.

* Adel.

act. 4. sc. 5.

† Sueton. in

Vesp. cap.

23.

* lib. 9. ep.

47.

* quod totis
petant.

* manus in

Ætolis.

* Odysf. a.

pag. 1420.

* imprimis

Odysf. l. 1. a

§ 764. edit.

Rom.

† act. 2. sc.

4.

— *Ah vereor coram in os te laudare amplius,*

Ne id assentandi magis, quam quod gratum habeam, facere existimes.

Sic M. Crassum preffare pudebat, præse: te Q. Mutio Scævola; quem iccirco rogabat, ut, quia ineptiendum sibi esset, discedere a se vellet. Auctor Tullius lib. I. de Oratore. Sed L. Crassum vocat Valerius lib. IV. cap. V.

VI. Mollitiei: ut non tolerare labores, quos etiam seniores perferunt, vel delicati, vel qui in majore autoritate sunt, vel denique, qui minùs virium habent.

VII. Puffillanimitatis: ut beneficium ab altero accipere, idque sæpe. Item exprobrare beneficia in alium a se collata.

VIII. Arrogantiæ: ut de se multa prædicare, & aliorum labores atque inventa sibi tribuere. Id vitium in Thrasone laudat coryphæus adulatorum Gnatho, cum ait †:

*Labore alieno magno partam gloriam
Verbis sæpe in se transfmover, qui habet salem;
Quod in te est.*

† Eun. act.
3. sc. 8.

Pudorem quoque incutit, quod careamus ijs bonis, quorum omnes participes sunt, aut similes omnes, aut plurimi. Istiusmodi est, nullius planè participem esse eruditionis. Suntque hæc turpiora, si propriâ accident culpa. Ut si quis, studiorum ergo missus in terras exteras, suorum spem eluserit.

* *Ἄχρῶς † τῆς δούλης τῆς μισέου, κενεῶς τῆς ῥέου.*

† *Iliad. B.
‡ Turpe
etenim mā.
fisse dia,
vacuum-
que reverti.*

Imò & pudet eorum, quæ præstare non fuit in manu nostra. Ut quod quis non legitime sit natus; aut legitime quidem, sed vili genere. Quomodo Maximinum Imp. pudebat parentum, ac majorum. Eoque tollebat confanguineos; etiam illos, qui misericordiâ quædam antea donassent; neque nobilem quemquam circa se esse patiebatur: ut Capitolinus in ejus vita testatur.

Denique pudet, aut passum esse, aut pati, aut passurum esse, quæ ab omnibus probro vertuntur: ut quæ pertinent ad ministeria, aut corporis, aut operum turpium. Quomodo puer Spartanus laceratum ferre iussit a domino, pertæsus ad eod fordidi ministerij, de tecto se præcipitem dedit, Plutarcho † teste. Huc refer quoque ea, † *Laccon.* quæ fiunt quopiam invito. Nam hæc turpia sunt, quia ignavi timidique est, ea non propulsare ne fiant, aut facta non ulcisci. Quomodo Deiphobum puduit, conspici ore & naribus lacerum, auribus & manibus truncatum. Iccirco cum inducit Maro †,

† *Eun. 6.*

-- *dira*

--- *diva regentem**Supplicia.*

Et Græcos, ob ejusmodi corporis dehonestamenta, puduit è Persiâ redire ad suos, licet veniam dederat Alexander. Quamquam & altera hic causa, nec levior, accessit: quia parentibus, j& amicis, non dolori minùs fuisset triste illud corporis spectaculum, quàm gaudij peperisset, quòd non amplius essent in hostium potestate. Vnde Justinus lib. xi: *Inter hæc (de Persepoli expugnata proxime egerat) ostingenti admodum Græci occurrunt Alexandro, qui pœnam captivitatis truncatâ corporis parte tulerant; rogantes, ut sicuti Græciam, se quoque ab hostium crudelitate vindicaves. Datâ potestate redeundi, agros accipere maluerunt; ne non tam gaudium parentibus, quàm detestandum sui conspectum, reportarent.* Pax ratio eorum, quorum pudicitia illata est vis. Itaque Pausanias, nobilis Macedo, turpia ab Attalo perpeffus, pudorè ejus rei, Philippum Magnum, qui crimen id nollet ulcisci, propterea occidit: ut est apud Justinum lib. ix. Etiam in sequiori sexu tanta est pudoris vis, ut Lucretia, Cyane, & Sophronia, quòd puderet eorum, quæ fuerant perpeffæ, mortem ipsam vitæ prætulerint: item ut Theoxena mortem sibi consciverit, nequid turpè pareretur. Quod exemplum imitatus Damocles, vim intentante Demetrio Poliorcete,

Nec tantùm eorum pudet, quæ nos; sed etiam, quæ nostros spectant. Quomodo pudet Aruntem Virgilianum, quòd sui essent
 † *En. 11.* à Camilla in fugam acti. Vnde sic precatur †,

Da, pater, hoc nostris aboleri dedecus armis.

Itidem Demetrium pudebat, ubi multa foeda patri Philippo, Macedoniæ regi, objeci vidit: quod ubi conspexit Senatus Romanus, tyrociniò & perturbatione juvenis motus, ab accusando desisti jussit: teste Livio lib. xxxix.

Ex his obscurum non est, quomodo affectum hunc ciat orator. Summa ed redit, hominibus non duri oris pudorem incuti commemorandis ijs, quæ offendere possunt existimationem.

V. DE IMPUDENTIA.

ET hæc de pudore deinceps pauca adferam de affectu cõtrario. **I**s verò est *avaritia* sive *impudentia*: quamquam & pudori interdum opponitur audacia: ut apud Sallust. in proloquio Catilinariæ: *Nam pro pudore, pro abstinentiâ, pro virtute, audacia, largitio, avaritia vigeant.* Ratio ejusce rei est, quòd impudentia audaces reddat ac temerarios. Ac præcipuè nascitur rebus difficilibus & despe-

&c desperatis. Vnde Valerius Flaccus lib. v :

— *Rebus semper pudor absit in artibus.*

Cæterum impudentia à quibusdam, exquisito adulandi genere, constantia appellatur: nempe quia, qui frontem perfricuerit, mordicus tueri sententiam, inque eà constantes esse soleant. Tertullianus adversus Hermog. cap. i: *Qui loquacitatem facundiam existimet; & impudentiam constantiam deputet.* Hos imitatus videtur Hieronymus comment. in cap. xi. epist. ad Galat. *Et quomodo, cum etiam de minimis fratribus hoc faciendum jusserit, ausus est Apostolorum maximum in publicâ facie tam procaciter, tam constanter, arguere?* Merito itaque de M. Antonino philosopho & imperatore scripsit Capitolinus: *Sanè quantvis esset constans, erat etiam verecundus.* Quasi dicat, fuisse quidem tenaciorem propositi: attamen ita, ut idem vereretur, negare aliquid precanti: eoque impudentiæ nota ei non possit impingi. Vide præter alios Desid. Heraldum animadvers. in secundum Arnobij librum.

Impudentiæ varia sunt opera signaque. Imprimis verò ferreum canis os habeat necesse est, qui hominum de sese judicia aspernetur: qualis Hyperbolus, cum in theatris aspergeretur Comico rum dictorij. Alius vultum demississet, factusque esset, quod dicitur, ἐρυθρότης κατὰ τὸ ὄμμα †: verù hic cautis instar immotus ac immutatus permanfit: *ὡς ἀναιχουστίαν ἢ δάκρυα ἔσων, εὐτολίμια ἔργοι ἢ ἀνδρείαν καλέσων †* ut in Alcibiade scribit Plutarchus. Ex eadem planè figlinâ ac ludo fuit is, qui apud Pomponium, veterem Comicum, inquit: *Ego rumorem parvis facio, dum sit rumen qui impleam.* Omnino etiam pudoris laxarat fibulam Atheniensis ille, de quo hæc Horat. †

— *ut quidam memoratur Athenis*

Sordidus ac dives, populi contemnere voces

Sic solitus: populus me sibilat, at mihi plando

Ipsè domi, simul ac nummos contemplet in arcâ.

Alterius quoque, qui pudorem planè deterferat, descriptionem vide apud Juvenalem sat. xi v.

Imprimis verò homines improbi impudentes esse solent, postquam turpe aliquid commiserunt. B. Chrysostrorus initio homiliæ x. in Acta: *Ἡ δὲ ἀμαρτία, ἕως ἢ ἀν' ὠδίνῃ, ἔχει πρὸς αἰχμάλω· ἐπιδὲν ἢ πλεδῖν, τότε ἀναιχουστοτέρως ποιεῖ τὸς ἐπαρκομένους αὐτῷ.* Peccatum quomodo parturit, confusionem habet ac pudorem. Vbi autem fuerit commissum, impudentiores etiam reddit, qui patravint. Mirificè etiam pudorem aufert peccandi consuetudo. Vnde Appuleius in Apologia: *Ὁ μὲν*

† *squlla*
cundior.

† *qua cum*
impudentia
sit ac vecor-
dia, à non-
nullis au-
dacia no-
minato, ac
fortitudo.

† *Sat. i.*

sapius, & apertius, delinquit. Pudor enim, veluti vestis, quanto obsoletior est, tanto incuriosius habetur.

Cætera, quæ ad impudentiam pertinent, omitto, ne actum agere videar. Nam quisvis ea facile perspiciet ex ijs, quæ de pudore supra diximus.

C A P. IX.

D E G R A T I A.

GRATIA est, quæ quis gratificari dicitur indigenti, non pro re quam, neque ut sibi quid accedat; sed ut ei bene sit, cui succurritur.

Amplificatur gratia trifariam: à persona, quæ gratificatur; à re, quæ gratificatur; & personâ, cui gratificatur.

Eadem trifariam imminuitur: primum ab effectis: deinde ab re ipsâ, & ejus attributis, per singulas eundo categorias: ac præterea à signis animi minus benevoli.

I. QUID GRATIA SIT; QVI, QVIBVS, QVARE, GRATIFICENTVR; ET QVOMODO ALIOS IMPELLAMVS AD GRATIFICANDVM.

QUAMQVAM nonnulli Aristotelis interpretes gratiam ex affectuum numero excludant: tamen dubitari non debet, quin rectè ab eo referatur inter τὰ πράγματα. Neque enim alio differt à misericordia, quàm quod hæc moveatur, quia quis se, suorumve queмпiam, similia pati posse censeat: at gratia opituletur benigno animo citra doloris sensum.

I. χάρις ἐστὶ, καὶ τὸ ἴδιον ἔχειν λέγειν. χάρις καταργεῖν δοκίμῳ μὴ ἀντὶ τῆς χάριτος, ἀλλ' ἐν ἀπορίᾳ τῆς καταργητικῆς, ἀλλ' ἐν ἀπορίᾳ τῆς καταργητικῆς. Gratia est, per quam is, qui habet, dicitur conferre gratiam indigenti; non ut aliquid gratiæ referatur, aut quod ille, qui tribuit, utilitatem ex eo consequatur; sed solum, ut illi, cui gratificatur, aliquid boni contingat.

II. Ac moventur quidem ad gratificandum, in quorum manu illud est, quo alij indigent.

III. Moventur erga indigentes.

IV. Adducuntur ad gratificandum, animadversâ aliorum indigentia. Indiget autem, qui appetit: ac imprimis illa δέσποτις seu indigentia

digentia est appetitio, quæ conjunctum habet dolorem rei, quæ quis destituitur. Ejusmodi verò sunt cupiditates; uti amor, & quæ conspicere est in corporeis cruciatibus, in periculis, in paupertate, in exilio.

V. Ex his etiam liquet, quomodo orator ad gratificandum movere debeat. Quæ omnia cum satis sint aperta, illud magis operæ pretium fuerit monere hoc loco, quomodo augeatur gratia; quomodo item diminuatur.

II. QVA RATIONE OSTENDATUR, BENEFICIUM ALIQUOD MAXIMUM ESSE.

AMPLIFICATUR autem gratia ac beneficium trifariam. Primum ratione eorum, in quos confertur beneficium: ut, quod sint valde indigentes. Cic. Philipp. III: *Caius Caesar adolescens, penè potius puer, incredibili ac divinâ quadam mente atque virtute; tum cum maxime furor arderet Antoni, cumque eius à Brundisio & pestifer reditus timeretur; nec postulantibus, nec cogitantibus, nec opinantibus quidē nobis, quia fieri posse non videbatur; firmissimum exercitum invictō genere veteranorum militum comparavit, patrimoniumque suum effudit &c.*

II. Eorum ratione, quæ dantur; ut quod sint magna, difficilia, opportuna. Nam tempus quoque plurimum valere in dando beneficio, isthoc Aufonij * indicat, quod ex Græcis expressit:

Gratia, quæ tarda est, ingrata est gratia: namque,

Cum fieri properat, gratia grata magis.

Vide Senecam lib. I. de Beneficijs cap. I. I. I. & seqq. Sanè interdum & beneficij loco ducitur, si citò negetur. Vnde in epigrammate incerti, sed veteris scriptoris *:

Cæsaris ad valvas sedeo, sto, nocte dieq;

Nec dater ingressus, quò mea facta loquar.

Ite, Deæ faciles, & vestro numine saltem

Dicite, divini Cæsaris ante pedes:

Sine quo placidas affari Cæsaris aures:

Saltem aliquis veniat, qui mihi dicat, Abi.

III. Eorum ratione, qui beneficium præstant: ut quod id faciant soli, aut primi, aut imprimis. Hinc Æneas apud Maronem * * i. En. ad Didonem ait:

O sola infandos Troic miserata labores,

Quæ nos reliquias Dan. cum, terræq;, marisq;

Kk 2

Omnibus

* epig. 81.

* Apud
Bartholinum
Adversar.
lib. 5. 2.
cap. 1.

*Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos,
Urbe, domo socias.*

Etiam Dio Chrystostomus orat. xxxvii, quæ Corinthiaca inscribitur, beneficium statuat, sibi à Corinthijs erectæ, inde commendat, quòd ne quidem tantum honoris præstitissent Soloni, vel Herodoto, cum hi ad eos venissent.

III. QVOMODO BENEFICIVM ELEVE TVR.

INTERDV M etiam fit, ut imminuendum sit beneficium. Nam, ut ait Seneca †, *Omnēs sua extollunt, omnes etiam minima, quæ in alios contulere, dilatant.*

† lib. 3. de
beneficijs
cap. 7.

Extenuatur autem beneficium trifariam.

Primum dici solet, aliquem ob proprium commodum opem tulisse. Ita Jason Medcæ respondet lib. iv. Tuscul. Quæst. *Quid ait ex tragœdia princeps ille Argonautarum?*

Tu me amoris magis, quàm honoris seruavisti gratiâ.

Hujus etiam generis est, quòd idem Cicero dicit, Pompeium, ut beneficium daret, prius fecisse injuriam. Nam passus erat in exilium conijci, ut, revocando eum, sibi devinceret. Quòd pertinent illa lib. viii. epist. iiii. ad Att: *Ille restituendi mei, quàm retinendi studiosior.* Item huc pertinet, si quis beneficio affecit, ut sibi obstringeret, ac, ut esset, erga quæ merita sua posset alijs prædicare. Seneca scitè †: *Nihil tibi debeo, si me seruasti, ut haberet, quem ostenderes.* Erga quales, ut ibidem Seneca ait, dicitur, quòd illi ubique jaçtanti beneficium suum, *Nam negabis, inquit, te recepisse? & cum respondisset, quando? Sæpe quidem, inquit, & multis locis: id est, quoties, & ubicunque narraſti.*

† lib. 2. de
benefic. cap.
11.

Alter modus imminuendi beneficium est, quòd quis casu & fortuitò benefecerit. E. G. Patrem ut liberaret, carcerem aliquis effregit. Simul erupere alii, quorum ergò ille nec digitum vertisset.

Tertia ratio est, si ostendamus, fecisse coactum. Atqui, ut in Iurgulia suo Sallustius ait, *Munificus nemo, nisi pariter volens.*

Quartus modus est, si quis dicatur, magis reddidisse beneficium, quàm dedisse. Quæ vulgatissima est ratio extenuandi. Nam, ut est apud Senecam *, *Nemo non benignus est sui judex. inde est, ut omnia meruisse se existimet, & in solum accipiat.*

* lib. 2. de
beneficijs
ap. 26.

Deinde imminui beneficium solet, cundo per singulas categorias.

rias. Ac quidem per categoriam substantiæ; quòd dederit hoc, & non illud.

Quantitatis; quòd non tantum, quantum oportebat.

Qualitatis; quòd non tale, quale requirebatur.

Temporis; quòd non, quando oportebat.

Loci; quòd non, ubi oportebat.

Et sic de alijs categorijs. Hinc Seneca lib. II. de beneficijs cap. xxvii. istiusmodi refert sermonem eorum, qui calumniatur beneficia accepta: *Hoc mihi dedit: sed, quàm serò? sed, post quot labores? quanto consequi plura potuissem, si illum, aut illum, aut me colere maluissem? non hoc speraveram. In turbam coniectus sum. Tam exiguo me dignum iudicavit? honestius prateriri fuit.*

Tertius beneficij vel negandi, vel saltem imminuendi modus, petitur à tribus signis animi parum benevoli;

I. Quòd ne rem quidem minorem tribuerint.

II. Quòd inimicis tribuerint aut paria, aut majora.

III. Quòd tribuerint res viles, abjectasque. E. G. olera, aut poma, ut in dialogo isthoc Horatiano:

Non quo more pyris vesci Calaber iubet hospes,

Tu me fecisti locupletem. a. vescere sodes:

b. Iam satis est. a. at tu, quantum vis, tolle benignè:

Non invisa feres pueris munuscula parvis.

b. Tam teneor dono, quàm si dimittar onustus.

a. Vt lubet: hac hodie porcis comedenda relinques.

CAP. X.

DE MISERICORDIA.

MISERICORDIA bonorum (quarum solum hoc loco definimus) est dolor propter opinionem mali perniciem aut molestiam ferre idonei, evenientis immerenti, ac talis, ut quis sibi suisque accidere posse autumat, idque cum impendere videtur.

I. QUID SIT MISERICORDIA.

PRÆCLARE dicebat Phocion †, ὅτι ἐξ ἱερῶ βασιλῶν, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνθρώπου † ἄριστος φόντος ἀφαιρετὸν τὸν ἕλεον. nec ex templo ara, nec ex humana natura † ἄριστος φόντος ἀφαιρετὸν τὸν ἕλεον. † ἄριστος φόντος ἀφαιρετὸν τὸν ἕλεον. † ἄριστος φόντος ἀφαιρετὸν τὸν ἕλεον. † ἄριστος φόντος ἀφαιρετὸν τὸν ἕλεον.

τινά τολλι δεβη μισερικordia. itaque de eâ quoque videndum nobis, afferendaque διασηματα ικατά πιδειν κ̄ δυσωπῑν ἔσσι ψυχῶν τὰς μὴ παντὰ πινσ ἀτρυχτες κ̄ ἀπιεσμονας *. *argumenta ac sententia, quæ persuadere, ac dissentiendi pudorem incutere possunt animis non omnino macerationem coctionemque reseruentibus.* Ac à definitione quidem ordiamur.

Misericordia Ciceroni lib. iv. Tusc. Quæstionum definitur, *Agritudo ex miseria alterius injuriâ laborantis.* Expressit autem illam Stoicorum definitionem, quæ apud Laërtium est in Zenone; Εἰς ἁλός ἐστὶ λύπη, ὡς δὲ ἀναξίως κακοπαθεῖν. Et si autem hæc definitio cum Aristotelicâ consentiat; plenius tamen ab Aristotele misericordiæ declaratur natura. Siquidem ei Εἰς ἁλός ἐστὶν λύπη τῆς δὲ τῶ φαινομένων κακῶ φθαερτικῆ κ̄ λυπηρῆ τῶ ἀναξίως πυχάνειν, ὁ κ̄ π̄ν αὐτὸς πρὸς δοκίμου παθεῖν ἢ ἔσσι αὐτῶ τινὰ, κ̄ τῦτο, ἔταν πλυσίον φαίνῃ. *Misericordia est dolor quidam concerpitus ob malum, quod videtur perniciem, aut dolorem, ei allaturum, qui indignus est hâc fortunâ, & quod ipse putet se pati posse, aut suorum quempiam, ac imprimis, cum malum videtur imminere.*

II. QUI MISERERI SOLEANT, QUIQUE SINT IMMISERICORDES.

MISERANTVR, qui putant se, aut aliquem suorum, malum, cujusmodi diximus, pati posse, ubi id conspiciunt: in alio. Nam et si etiam ob alienum quis dolorem dolet, & quod eleganter dicunt Græci †, ἡ ἀλλοτρίαις συμφοραῖς ἰδίαις καρπηται λόγος *: imprimis tamen mala domestica animum differunt; unde Pindarus in Nemeis †: τὸ δὲ οἰκείον πῆζει πάνθ' ὁμοῦς, εὐδὺς δ' ἀπίμων καρδία καὶ ἀμφοῖν ἀλλότερον domesticum malum equaliter omnes premit: at alienis in malis animus confestim malorum est expers. Quâ Pindari sententiam quoque; adducit Nazianzenus in priori Steluteutice, & Gregorius presbyter in vitâ Nazianzeni. Cùm itaque propria imprimis nos tangant infortunia: ac homines plurimum soleant omnia propriis meriri emolumentis ac damnis: haut mirandum, ab Aristotele dici, ea mala cetera misericordiam, quæ nobis, aut nostris, possunt contingere. Causa quoque hinc parer, cur non sint misericordes,

I. Omnino infelices: nam mala omnia se passos putant. Hinc

† Sueton. in senarius ille Græcorum, qui in proverbium abiit †:

Neronc.

Εἰ μὲ θανόντ' ὄ γαῖα μεχθίτω πρῆτι.

Terra ignibus me miscetur mortuo.

Quam vocem, ut inhumanam & detestabilem, merito rejiciant Tullius

† Hippocrates lib. de flatibus, Nazianze. in Apo- logetico, etc. in alienis miseriis proprium meum angorem. † od. 1.

Tullius III. de Fin. & Seneca in II. de Clem. Nec ab simile Damonis illud apud Maronem in Pharmaceutria:

Omnia vel medium fiant mare: vivite sylva.

Quo de versu Nannium vide lib. VI. Συμμίτων cap. IX.

II. Item omnino felices. Quales eò sunt immisericordes, quia nihil sibi ad versi evenire posse, autumant. Parque ratio est eorum, quibus nulli sunt posteri, qui pati possint. Claudianus in Eutropium lib. I:

*Adde quòd eunuchus nullâ pietate moveretur;
Nec generi, nativæ cavet. Clementia cunctis
In similes, animosque ligant consortia damni.*

Nec miseram fortem metuunt, qui non didicere, quid sit miserum esse. Itaque (Æneæ Sylvij * verbis utar) *Gaspar Schlik*, qui * *commentarium Cesarum Cancellarius fuit*, optare se dicebat, omnes reges alienigenos in 100 quando privatos pauperesque fuisse: neque enim satis miseretur, qui nunquam fuit miser. *Abphonsi, lib. I. cap. 33.*

Contrà verò misericordiâ afficiuntur,

I. Qui jam mala passi sunt, & ex ijs evaserunt. Hinc Theseus, Athenarum rex, apud Sophoclem † ait, te, cum & ipse mala plurima in alienâ senserit terrâ, multisque caput periculis objecerit, minime adduci posse, ut hominem externum, ac senem calamitosissimum, non omni ope juvet. Simile etiam illud Didonis apud Maronem *,

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Et illa Thesei apud Sophoclem in Oedipode Coloneo:

ὦς οἰδὶ γ' αὐτὸς οἷς ἐπαυδῶν ἔην
ὦσπερ σὺ, χῶς τις πλεῖς ἀνὴρ δὴ ξένος
Ἡδλησα κινδυνεύματ' ἐσπ' μὲρ κέρει.
ὦσε ξένον ἰδὲ δ' ἴν' ὄνδ', ὡσπερ σὺ νῦν,
Τ' πεκτεσπίμω μὴ εἰ σωκισόζην σ' ἐπέει
Ἐξοιδ' ἀνὴρ ὄν, χῶς τε σ' ἰς αὐτῶν
Οὐδ' ἐν πλέον μοι τῶ μέτερον ἡμάς εἰς.

Versu antepenultimo pro σωκισόζην σ' ἐπέει, rescribo σωκισόσειν σ' ἐπέει. Sententiam sic expressi:

*Novi, hospes ipsâ edoctus experientiâ,
Itidem vagando. Si alter, alieno in solo
Multis periculis hoc ego obieci caput:
Eoq̄, nullus hospitem similem tui
Neglexero servare. Nam satis scio,*

*Mortalis ipse natus, haut mihi, quam tibi,
Mentem esse lucis certiozem crastinae.*

II. Misericordiã afficiuntur senes: qui usuf eos edocuit, quot & quantis malis obnoxia foret hominum vita. Hinc apud Maronem Anchises, miseratus Achæmenidæ Ithacensis *,

--- dextram, haut multa moratus,

Dat juveni, atque animum presenti pignore firmat.

III. Miserantur etiam debiles, & imprimis, si timidi fuerint. Nam diffidunt sibi ob imbecillitatem.

IV. Item homines eruditi, ac rerum periti. Omnia enim rectè æstimant. Vnde de Ænea Maro *:

Constitit Anchisa satius, & vestigia pressit,

Multa putans, sortemq; animo miseratus iniquam.

V. Qui habent parentes, uxorem. aut liberos, quos putant pati posse. Ita Æneæ, quemadmodum ait Maro in secundo magni operis,

--- Subijt cari genitoris imago,

Vt regem aquarum crudeli funere vidit

Vitam exhalantem. subijt deserta Creusa,

Et direpta domus, & parvi casus Iuli.

Idem Æneas, cùm Laulum, Mezentij filium interemisset, misericordiã commotus est, quòd cogitaret, similem posse Ascanio, filio suo, evenire fortunam. Ita enim de eo scribit poëta x. Æn.

At verò ut vultum vidit morientis, & ora,

Ora modis Anchisiades pallentia miris;

Ingemuit, miserans graviter, dextramq; tetendit:

Et mentem patrie subijt pietatis imago.

Imò Turnus ab Æneã devictus, quò aut ipse, aut cadaver reddatur suis, eo misericordiam ciere conatur, quòd, si olim Anchisæ similis, ac nunc Dauno, fors obtigisset, ei gravis sanè acerbaque fuisset filij mors, præsertim si nec sepulchro corpus redderetur. Ita enim ait *:

--- miseri te si qua parentis

Tangere cura potest, oro: (fuit & tibi talis

Anchises genitor) Dauni miserere senectæ.

Hecuba quoque apud Euripidem sperat, si Polyxena Ulyssi supplex eat, posse eam aliquid impetrare, ed quòd ipse etiam liberos haberet. Verba Hecubæ sunt:

Καὶ αὐτὴ (ἔχεις) ἀεὶ παρὰ ἔσθ' ἰδὲ τέκνα

Καὶ τὰ δὲ) τὴν αὐτὴν ἔσθ' ἐπιτρέχει τὴν ἑαυτῆς.

Persuadeas

*Perfradcas (occisionem habet. & hinc
Sunt liberi) miserescat ut fornicat.*

VI. Miserantur & illi, qui nec irati, necidentes; qui duo sunt fortitudinis affectus, neque provident, quid futurum sit.

VII. Non contumeliosi. Nam: qui gaudent alios afficere contumeliâ, non cogitant, & se pati posse.

VIII. Non valde metuentes. Nam metu perculsi non miserentur, quia, laborantes malo domestico, de alieno parum sunt solliciti. Cicero lib. III. Tuscul. Quæst. *Constabat eos, qui conciderant vulneribus Cn. Pompeium vidissent, cum in illo ipso acerbissimo miserrimoque spectaculo sibi timerent, quod se classe hostium circumfusos viderent, nihil tum aliud egisse, nisi ut remiges hortarentur, & ut salutem adipiscerentur fugâ. posteaquam Tyrum venissent, tum assistari lamentarique cepisse.*

IX. Qui putant, aliquos esse pios, ac probos. Nam qui nullam talem esse existimat, is omnes esse malo dignos, censet. Eo ingenio erat Timon ille Atheniensis, qui ob odium humani generis *μωροὶσι* * nomen accepit.

* *μωροὶσι*
ofens.

III. QVORVM MISERIAMVR.

MISERENTVR eorum, qui sunt indigni malo: unde Sinon apud poetam * ait:

* *2. Æn.*

-- oro, miserere laborum

Tantorum, miserere animi non digna ferentis.

Horum loci sunt octo.

Primum obtinent familiares non admodum necessitudinis vinculo conjuncti. Ita Amasis (nisi *μωροὶσι* * sit Aristotelis *ἀναπνεύει* *, † *μεμνην*
aut alios insecutus sit auctores, quàm Herodotus, qui in Thaliâ id tribuit Pflammenito, Amasis filio) ob filiam raptam, quæ servili vestitu cum hydriâ aquatum mittebatur, & filium, qui ad mortem ducebatur, nullas effudit lacrymas: sed propter amicum mendicantem. Acrationem hanc eorum Cambyse attulit; quòd hoc erat miserabile; illud atrox, quod pellit misericordiam; unde & sæpe adversario utile est. Atque ex his lucem capit, quod Troadibus lachrymantibus ait Andromache apud Senecam:

-- *Levia perpesse sumus,*

Si flenda patimur.

Sanè Andromache non flebat, sed stupebat tota. Vnde ait ipsa:

L I

Torpens

Torpens malis, vigenſque, ſine ſenſu feror.

Facit huc quoque illud Phædræ in Hippolyto:

Cura leues loquuntur, ingentes ſupent.

II. Proximum locum obtinent, quibus malum aliquod atrox eſt propinquum.

III. Similes ætate, moribus, habitibus, dignitate, genere. Hæc enim ſimilitudo efficit, ut iudicemus, nos quoque eadem pati poſſe.

I V. Qui calamitoſos homines repræſentant habitu corporis, voce, veſtitu, actione.

V. Quibus mala nuper acciderunt, vel propediem eventura ſunt.

VI. Quorum miſeriæ conſpiciuntur ſigna; ut veſtes eorum, qui mala ſunt paſſi. Eo cõſilio M. Antonius †, cum defenderet Aquilium, tunicam ejus diloricavit, ac ſenis Imperatoris adverſas oſtendit cicatrices. Titus quoque Labienus, accuſator C. Rabirij, quem arguebat necaſſe L. Saturninum, in concionem imaginem Saturnini attulit; quã de re Cicero in deſenſione Rabirij. Antonius ſimiliter, qui poſtea trium vir fuiſe, in funere Caij Cæſaris, concioni veſtem oſtendit pugionibus ac gladijs perforatam; eoque Bruti ac Caſſij cauſſam evertit apud plebem †; ut quæ hæc re accenſa ad conjuratorum ædes cucurrerit, quod eas incenderet. Apud Maronem quoque haut abſimile eſt exemplum. Nam quamvis Æneas jam ad miſericordiam inclinare cœperat; tamen, viſo Pallantis balteo, quem Turnus interemerat, recruduit ira. Quippe ait †:

*Ille oculis poſtquam ſævi monumenta doloris,
Exuviasque hauſit, furijs accenſus, & irã
Terribilis: Tunc hinc ſpolijs indute meorum,
Eripiare mihi?*

Eriam Clorildis, Clodovæi filia, durè ſæviterque habita à marito Almarico, Viſigothorum rege, cum ſudarium ſuo imbutum ſanguine (de quo tamen Aimoinus † tacet) miſiſſet ad fratres ſuos, Childebertum, Clotharium, & Theodericum, Francorum reges: immane illud bellum excitavit, quo res Viſigothorum penitus fuere attritæ ac deletæ: ut apud Gregorium Turonenſem legitur lib. III. cap. X. & inde apud Paullum Æmilium lib. I. Nempe ſigna illatæ injuriæ vehementiùs accendunt. Quid mirum? quando locus etiam, ubi malè habitus ſumus, refricat injuriæ memoriã. Quemadmodum & idem contra oblectare ſolet, ſi nobis in eo bene fuit, vel ibi ſedes fuerit

† Cicero
lib. 2. de O-
rat. & in
Bruto, item
pro Flacco,
& in Verrem
act. 7. Livij
epitome lib.
70. Fabius
lib. 2. cap.
16.

† Cic. lib.
34. ad Att.
& Philipp.
2. ac Hiſto-
riã prope
omnes.
† Æn. 12.

† lib. 2. de
geſtis Fran-
corum cap.
8.

Fuerit illis, quos amamus, aut suspicimus. Hinc Cicero in secundo de Legg. *Movenur enim nescio quo pacto locis ipsis, in quibus eorum, quos diligimus, aut admiramur, adsunt vestigia.* Plura ibidem vide, & quæto de Finibus.

VII. Misericordiam & illi movent, quorum in miserâ conditione auditur oratio; ut eorum, qui animam agunt. Exemplo esto miserabilis isthæc Didonis apud Maronem oratio, quam antistitum ille antistes B. Augustinus †. it se non absque lacrymis legere potuisse:

† lib. 1.
Confess.
cap. 13.

Dulces exuvia, dum fata Deusque sinebant,

Accipite hanc animam, meque his exsolvite curis &c.

VIII. Imprimis verò miserentur, si, qui mala hæc patiuntur, sint viri probi, & virtutis studiosi: ideoque eos, qui acerbâ occubuerunt morte, in hæc ipsâ quoque forti fuisse animo, ostendunt oratores. Nam, ut inquit * Tullius, *cum singuli humanarum miserrimarum casus graviter accipiuntur; cum afflicta ac prostrata virtus maxime luctuosa est.* At minùs nos movent calamitates, in quas suâ culpâ incident, qui pulmonis semper vixere vitam, addicti abdomini, & *κατασπίον ἐκδυστάς* *, ut eas vocat Aretas Cæsariensis. Longeque minus commovent, si fordidis compareant. Cujus rei exemplum habemus in imperatore Vitellio (penè vitulo dixeram) de quo ita Tacitus extremo libro IIII. Histor.) *Vincta ponè tergum manus, laminatâ veste, sedum spectaculum ducebatur, multis increpantibus, nullo illachrymante. deformitas exitus misericordiam abstulerat.* Omnium verò minimè homines scelerati hunc in nobis affectum cient: unde Cic. lib. IV. Tuscul. quæst. *Nemo, inquit, parricida, aut proditoris supplicio misericordiâ commovetur.*

* lib. 2. de
Oratore.

* Venerens
voluptatis.
bus.

IV. QUIBUS DE CAUSSIS HOMINES MISEREANTUR.

MISEREANTUR propter mala, quæ interitum afferre possunt, aut molestiam creare.

Horum loci sunt duo.

I. Quæ habent vim tollendi vitam ipsam; ut graves morbi, & magna pericula.

II. Magna mala, quæ eveniunt, ut loquuntur, à fortunâ: velut Priami calamitates, aut si quis spoliatur amicis, aut ab eo perdat, de quo optimè sit meritis. Hinc misericordiam apud Catul-

† *Carm. de lum* † ciet Ariadna, sua merita Theseo obijciens:
Nupt. Pelei
& Thea.

Certe ego te in medio versantem turbine leti
Eripui, ac potius germanum amittere crevi,
Quam tibi fallaci supremo in tempore deesse.
Pro quo dilaceranda feris dabor, alitibusque
Præda, nec injectâ tumulabor mortua terrâ.

Simile est, si quis interimitur ob virtutem paternam. Quomodo apud Euripidem Troadibus Talthybius ait, pervicisse Ulyssis sententiam in concione Græcorum, ne filius ejus servaretur, qui Troianorum fuisset præstantissimus. Signat autem Hectoris filium, Astyanacta. Unde sic mater ejus Andromache queritur:

H' vò πατρός δέ σ' εὐχόμε' ἔποκνωσά,
H' τοῖσιν ἄλλοις γίνεται σωτηρία.
Τόδ' ἰδὼν ἐκ εἰς κauerὸν ἠλθέ σαι πατρός.

Sive, ut Latine reddam,

Vitam tibi adimit splendor inclyti patris.
Alijs salutis hac esse liberis solet.
Non patris hoc in tempore advenit decus.

Quomodo verò ab ætate, fortunâ, loco, alijsque, misericordiam concitet Maro, vide apud Macrobius lib. IV. Saturnal. cap. III. XV.V. & VI.

V. QVO FACTO MISERICORDIAM CIEAT ORATOR.

MOVETUR misericordia, si auditoribus ob oculos quasi proponantur ea mala, quæ pati possunt, vel in se, vel in suorum quopiam; maxime, si mala sint ingentia, & conspiciantur in personis, quæ illis sunt indignæ. Exemplorum abunde est in Tullij orationibus, inter alias Milonianæ epilogo, & illius pro Muræna. Etiam apud Philonem, lib. de legatione ad Caium Cæsarem, exemplum habemus in Judæorum oratione ad Petronium, quâ supplicant, ne Caligulæ statua in templo ponatur Hierosolymitano.

E Græcis antiquioribus maxime in tractandis rebus, quæ miserationem merentur, excelluisse putatur Simonides. Fabius lib. x. cap.

I: Precipua, inquit, ejus in commovendâ miseratione virtus, ut quidam in hac eura parte omnibus ejusdem operis autoribus præferant. Hinc apud

† *Carm.*
 39. ad Cor-
 nific.

II: Cæa retractes munera nania: itemque apud Aristidem in epicedio:

διο : Ἡσίοϑ ταῦτα Σιμωνίδης ἐπινοῶν : qualis Simonides condigne hac de-
flebit?

CAP. XI.

DE INDIGNATIONE.

INDIGNATIO est dolor propter alterius felicitatem, qui eâ esse in-
dignus videtur.

Itaque differunt misericordia, & νήπιος, quod illa contingat ob adversam
bonorum, hac ob prosperam malorum fortunam.

I. QUID SIT NEMESIS, SEV INDIGNATIO,
ET QUOMODO DIFFERAT AB AFFECTI-
BVS VICINIS.

VIDIMVS de misericordiâ. Deinceps agamus de indigna-
tione, atque invidiâ, quarum utraque, uti & metus, arcet mi-
sericordiam. Νήπιος Latini indignationem vocant. Itâ Horat. lib.
Epod. od. in Menam, Sext. Pompeij libertum, *Liberrima indigna-
tio. h. e. νήπιος*. Victorius † tamen existimat, neque indignationis † In 2.
voce fatis exprimi vim Græci vocabuli; eamque rationem esse ait, Rhet. A-
cur plerique è Latinis Græcam nemesis appellationem reservârunt, *ristot.*
Certè Catulli * est:

— precesque nostras,

Oramus, cave desinas ocello,

Ne pœnas Nemesis reposcat à te.

Est vehemens Dea, ladere hanc caveto.

* Epigr. 5. 5.

Sed argumentum hoc Victorij non est fatis firmum. Nam abun-
de liquet, Catallum hie eo nomine pro Deâ, non pro affectu, uti.
Hæc de voce, nunc de natura rei videamus.

Νήπιος ἐστὶ λόγος τῆς ἐπινοῆς ἀναξίας ἢ ἀναξίας. Indignatio est dolor, ob al-
terius felicitatem, qui eâ indignus est. Hæc partim cum misericordiâ
convenit, partim ab eâdem discrepat. Ac discrepat quidem, quod
misericordia fit dolor *κακοπραξίας ἀναξίας. i. ob res adversas ejus, qui in-
dignus est*: indignatio autem *εὐπραξίας ἀναξίας. i. ob res prosperas ejus,*
qui sortem istiusmodi hant meretur. Convenit, quod utraque fit viro-
rum bonorum. Nam non modò justus est dolor, si immerentes ad-
versa multa perpeti videamus; verùm etiam, si feliciter agant,

qui id non merentur. Ideoque utramque Dijs tribuerunt. Nec minus ab invidiâ discrepat; unde Tullius epist. XIX. lib. V. ad Att. *Sed planè gaudeo, quoniam id reus quæ interest tui quod dicitur.* Differt autem ea ab invidiâ, quod indignatio fit in indignum, unde & ei nomen: at invidia est in æqualem, aut similem. Ita indignatur Iuno I. Æn. ob felicitatem Troianorum. Cùm autem hæc sententia sit Aristorelis; qui disertim scribit, *Ἐπιφροσὴν τὴν ἐπίδωξιν (ἐπιφροσὴν ἐστὶν ἐπιφροσὴν) ἵδους ἄνευ.* i. *miseri-cordia & indignatio bonæ sunt indolis ac naturæ: liquet, quantum discrepet à Stoicorum sententiâ, qui affectus non temperant, sed abscondunt: ut diximus hujusce libri cap. I, ac præter alios testantur Seneca epist. CXVI, & Lucianus in Hermotimo. Ex eorum sententiâ dictum à Poëta Georg. lib. I I:*

-- neque ille

Aut doluit, miserans inopem, aut invidit habenti.

Et ab Aufonio, carmine de viro bono:

-- miseratus egentem,

Cui aliquem fractâ per se sensi mente dolorem?

II. QUI INDIGNENTVR.

INDIGNANTVR, qui digni sunt.

Horum quatuor sunt loci.

I. Si digni sint maximis rebus, & eas sint consecuti.

II. Si sint boni, & virtute præditi.

III. Si sint studiosi honoris; & maximè, si ea ambiant, quæ alij, licet indigni sint, nanciscantur.

IV. Qui existimant se dignos ijs rebus, quibus alios indignos putant.

* Sallust. in
Iugurth.

Ita Q. Cæcilius Metellus †, ob generis præstantiam, ac res præclarè gestas, dignum se putabat, cui bellum gerenti adversus Iugurtham prorogaretur imperium: ac contra indignum ratus, sibi præferri C. Marium, hominem ignobilem, nec rebus gestis clarum. Ideo, ubi audivit, plebiscito id bellum esse Mario decretum, non tam suâ doluit injuriâ, quàm quoddam honos ille indigno esset collatus. Itaque nec bellum eo cum studio deinceps gessit, stultum existimans alienum honorem suo periculo curare.

III. QUIBUS HOMINES INDIAGENTVR.

INDIAGENTVR indignis, sive quia tales sint, sive quia videantur. Ita Antigenidas parum æquè animo ferretur, quod in nummentarij ceraulæ, quos *sticines* appellant, vulgò etiam *ribicines* dicerentur: ut Appuleius prodit lib. 1. Florid. atque ex eo Politianus in Lamia: ac idem prope de Ismeno tradidit Dio Chrysostramus orat. XLIX, quæ inscribitur *Παρίωνος ἀρχὴς ἐν Βελῆ* †. Amata quoque apud Maronem VII. ÆN. Troianis succenset, ut Lavinia indignis. Sic enim loquitur:

† *Recusatio magistratus in Seneca.*

*Exsiliibúsne datur ducenda Lavinia Teucris?
Nec matris miseret, quam primo Aquilone relinquet
Perfidus, alta petens, abductâ virgine prado?
Quid tua sancta fides? quid cura antiqua tuorum,
Et consanguine toties data dextera Turno?*

Et copse libro:

*Turne tot incassum fufos patiere labores,
Et tua Dardanijs transcribi scepra colonis?
Rex tibi conjugium, & quasitas sanguine dotes,
Abnegat, externusque in regnum quaritur heres.
I nunc, ingratis offer te, irrisse, periculis.*

Item Horatius ridet & dolet, quod ridiculus Poëta Chærius aliquando boni dicat. Ait enim:

*Quin bis terque bonum cum risu miror, & idem
Indignor.*

Neque enim, quod Luifinus †, alique existimarunt, indignor referri potest ad id, quod de Homero sequitur, *Quandoque bonus dormitat Homerus*: ut nempe hîc *quandoque* sit *quandocunque*. Nam ob casum alterius non indignatur, sed miseremur. Eiusdem Horatij * est:

† *commentario in Horat. orat. Poët. * Sat. 6. lib. 1.*

*Tunc Syri, Dama, aut Dionysi filius, audes
Deicere è saxo cives, aut tradere Cadmo?*

Indignorum autem tria imprimis sunt genera:

I. Qui recens aliquod bonum sunt consecuti: velut, qui non ita pridem divites sunt facti.

II. Qui habent bona, quæ ipsis non conveniunt: ut si vir timidus stet in acie egregiè armatus; vir autem strenuus armis careat.

III. Qui cum sint inferiores, certare tamen volunt cum superioribus.

* Ed. 8. rioribus. Vt, si certent cygne utile, ut est apud Maronem *. Itaque
Iuno indignatur †. En. quod cum

--- Divum incedat Regina, Iovisque
Et soror, & conjux, una cum gente sui annos
Bella gerit

* 43. Met. Et Ovidianus Ajax * indignatur, quod secum Ulysses confra-
tur:

--- Agimus pro Iupiter, inquit,
Ante rates causam, & mecum confertur Ulysses?

Etiam Parrhasius Ephesus, pictor nobilis, Sami à Timanthe in
Ajace, armorumque judicio victus, aiebat, se herois, Aiaceis
putà, nomine, indignari: cuiusque qui iterum victus esset ab in-
digno. Auctor Plin. lib. xxxv. cap. x. & Athenæus lib. xii.

I V. QVIBVS DE CAVSSIS INDIGNE
MVR, ET QVOMODO EAM CIEAT
O R A T O R.

FIT indignatio, non ob justitiam, fortitudinem, aliãvve virtu-
tem, quæ homines dignos reddit; sed ob illa bona, quæ possi-
dent etiam indigni: cuiusmodi sunt nobilitas, forma, & quæcunque
sunt istiusmodi. Vt quod libertus quispiam ingentis pretij tumulo
tegatur; vir eximie virtutis ac dignitatis, vel vili, vel nullo. Vnde
illud Varronis Atacini, sed animo ab impio profectum:

*Marmoreo Licinus tumulo jacet, at Cato parvo,
Pompeius nullo. Credimus esse Deos?*

Movetur indignatio, si qui ostendantur ijs bonis indigni, quibus
digni sunt, qui audiunt, vel alij, quibus hi bene volunt. Exempla
vide apud Demosthenem in Æschinem; Ciceronem in Vatinium;
Horatium in Menam libertum †; Iuvenalem ‡ in Cinamum, qui
tonfor fuerat; item in Crispinum *, atque alios, qui è summis for-
dibus ad palatina erant officia evedti.

† lib. epon.
ed. 4.
* Sat. 1.
* Sat. 4.

CAP. XII.

DE INVIDIA.

INVIDIA est dolor ob felicem bonorum successum, non ut sibi aliquid accedat, sed propter eum, cui invidetur.

I. DE INVIDIÆ VOCE, ET DEFINITIONE,
AC NATURA.

INVIDIA dicta ab invidendo, hoc est non videndo, ut in fit *sententia*: quam sententiam inter alios Fruterius sequitur in Verifimilium libris *. Nempe quia invidis oculi doleant ob alienum bonum, eoque ægre videant, & inviti. Vel potius ea ab invidendo, hoc est nimis intuendo, nomen accipit: ut in hic fit *ἐπιταμιός*: quod Tullius † probat illo Attij in Melanippe:

--- Florem quismam liberum invidit meum?

Sanè olim credebant, invidos nimis intueri aliena, atque eo pacto fascinare: unde & illud Maronis †:

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat ognos.

Et Græci Grammatici *φασκαίτες* dici putant, quasi *φάσκει καίτες* *.

φθόνος ἐστὶν ἄνθρωπος ἐπὶ ἐπιταμιόσιν φανουσίῃ ἢ ἐπιταμιόσιν ἀγαθῶν ἐπὶ τοῖς ὁμοίοις, μὴ ἵνα τὸ αὐτῷ, ἀλλὰ δι' ἐνεῖν. Invidia sive invidentia (quomodo Cicero * appellare mavult, ob ambiguitatem vocis invidiæ) est dolor quidam ob prosperitatem, quæ apparet in bonis, quæ dicta sunt, erga similes; idque non ut aliquid commodi contingat ei, qui invidet; sed propter illos, quibus invidetur. Porro per *ἀγαθὰ ἐπιταμιόσιν* *, intelliguntur bona illa, ob quæ *ἐπιταμιόσιν* cieri, antea † ostensum fuit. Similis est huic Aristotelicæ definitio ea, quæ apud Tullium extat lib. 1v. Tusc. Quæst. Invidentiam, inquit, esse dicunt, ægritudinem susceptam propter alterius res secundas, quæ nihil noceant invidenti.

Itaque discrepant æmulatio, & invidia, quòd illa quis mereat ob bonū alterius, ed quòd is non mereatur; hæc verò aliena quis bona, ed quòd, cui illa adsunt, non sit, vel non videatur æqualis, obliquo limet oculi, omnemque moveat lapidem, ut ea intercipiat; ac nisi id obtineat, sæpe etiam colore lurido tabescat. Vnde Salomo Proverb. xv. 29. *Vita carniū*, hoc est corporis salubritas, *cor lene*, sive, ut vulgata habet, sanitas cordis: *putredo ossium*, invidia. Ac con-

* lib. 1.
cap. 17.† lib. 3.
Tusc. quæst.

† Ecl. 3.

* luminibus
sive intuitus
nocere.* lib. 3.
Tusc. quæst.
c. 4.* bona, quæ
dicta sunt.
† cap. p.
cedenti sect.
ult.

venit Ovidij illud in descriptione Invidiæ, quæ exstat Met. II.
Fab. XII:

*Sed videt ingratos, intabescitque videndo
Successus hominum, carpitque, & carpitur unq̄,
Suppliciumque suum est.*

* sit. ois
φθόνου.

Atque, ut libro primo Α'δολογίας* est:

Ο φθόνος αὐτὸς αὐτὸν εἰς βελίεσσι δαμάζει.
Livor se proprijs telis ulciscitur ipse.

In eadem Α'δολογ. scitè illud dictum, invidiam quidem rem esse
pessimam, atramen quiddam ei boni ineffe:

Τίθει γὰρ φθονερῶν ὄμματα, καὶ κραδίη.

Livida corda etenim macerat, atque oculos.

Ita Typho quoque invidabat fratris sui Osiridis divitijs, οἷς ἦσαν
τὸ στέγμα παρομίαν εἶναι, καὶ ἐρωτήματα πρὸς τὸς ἀρχιῶντας, Μή τι τὰ θεῶν σὺ
καλῶν; *Vt res jam in proverbium abierit, ac percontationem ad pallentes;*
Num rectè se habent res fratris tui? Auctor Synesius in Ægyptio si-
ve de Proteo. Elegans quoque apud Athenæum legitur scirpus
Matrææ plani, qui dicere solitus, se θυρίων τι τρέφειν, ἕπερ αὐτὸ ἐαυτὸ
ἔδωκεν: *belluam à se ali se ipsam comedentem.* Nam invidiâ qui laborat,
tabescit rebus alterius,

Οἱ θυμὸν καθέδων, πᾶσι τοῖς ἀνθρώποις ἀλείφειν:

* *Iliad. ζ.* ut de Bellerophonte ait Homerus * : quod M. Tullius † ita transtu-
lit:

† *lib. 3.*
Tusc. quest.
in od. a.
pag. 1382.
ed. Rom.

Ipse sum cor edens, hominum vestigia vitans.

Quamquam & apud Eustathium* duæ sunt alie hujusce scirpi in-
terpretationes. Nam ait, insuper intelligi ἄλλο, ἢ τὸ κομικὸν πᾶ-
θον, h. e. σύμμαμα, sive libidinem; tum polypum, qui fame laborans
sibi cirros ambedit; ut fensere, Alcæus apud Athenæum, Orus Apol-
lo in Hieroglyphicis, Ælianus, Philes, Antigonus Mirabilium Nar-
rationum cap. xxv, ubi idem confirmat ex Hesiodi ἔργ. β. Plinius
tamen falsam esse hanc de polypo opinionem existimat lib. ix. cap.
xxix. Rectène, an secus, hoc loco non ducam contentionis funem.
Quin ipsum hoc, quod ex Eustathio adferebamus, à nobis prateriri
poterat, nisi visum esset, interdum varietate aliquâ discutere lecto-
ris fastidium, ac quodammodo, quod ab Euripide dicitur, φέρει
οὐκ εἰς τὰς χάριτας συγκαταμετρίη*.

* *Gratias*
Muses ad-
miscere.

II. QUI INVIDEANT.

I. **I**NVIDENT, qui majus affectant bonum, quod conspiciunt in similibus, etiamsi ipsi prosperâ utantur fortunâ. Similes autem sunt vel genere, vel cognatione, vel ætate, vel habitu, vel existimatione, vel bonis atque opibus.

II. Præterea invident ambitiosi: & præcipuè, si parum abest, quo minùs omnibus abundant bonis; vel si gefferint res magnas, ac felici utantur fortunâ. Quomodo ferre non poterat Cræsus, quodd Solon tantopere extolleret Tellum. Nam unum se beatum putabat.

III. Invident quoque fordidus parvique animi homines, quos Græci *μικροψυχος* vocant. Nam omnia ijs videntur magna. Vide, quæ in hanc mentem annotavit Gregorius Magnus in illud Iobi cap. v: *Parvulum occidit invidia*. Atque iccirco servi, & pauperes, fere sunt invidi. Plautus Captivis *:

Est miseratorum, ut malevolentes sint, atque invideant bonis.

Eoque magis invident, quòd deteriores. Est enim invidia malorum. Idèd multi fatentur, se odisse aliquem, quia & malos odisse possumus. At invidere se fatetur nemo, quia bonus invidet nulli. Quod optimè observat Plutarchus libello de odio & invidia.

Ab eadem caussa est, quodd invidiam mantelo indignationis occultare solent. Ita Timo *μισάνθρωπος* † apud Lucianum, non *ἀπλάς* † osor ho-
dicit, ex solitudine se hoc capere commodi, quodd non videat mul-
tos felices; sed potiùs pro eo dicit, hoc pacto fieri, ut non videat
multos præter meritum felices. *Τέτο γὰρ μοι δοκῶ κερδανεῖν, μικρὴν ὄψιν
πολλὰς ὄψας πλεῖν ἀξίαν εὐφραπίοντα.*

* Act. 3.
scen. Quo
illuor.

† osor ho-
minum.

III. QUIBUS INVIDEATUR.

INVIDENT homines similibus. *Æqualitas enim gratiam exul-*
cerat, ut inquit M. Cicero in Bruto. At minùs petuntur
atro invidiæ dente, qui superiores sunt: tanto sanè minùs, quan-
to excellunt magis. Imò, ut à Plutarcho † optimè dicitur, *εὐ-*
τυχμάτων ἡδοναὶ καὶ λαμπρότητα πολλὰς τὸ φθόνον κατασβενύουσιν. † lib. de in-
ὡς ἂν εὐτυχία τινὰ φθορεῖ, εἰ δὲ Κύρω, κρατήσι καὶ θυμῶν κείνοις ἀπάρτων. † vidia &
ὡς περὶ ἡλίου ἀνὰ ἑσπέρου κορυφῆς ῥήνται καταχρόμεν. † odio.
ἢ σκελεὶ ἀνέλιαν, ἢ μικρὴν ἐποίησαν, εἴτω πολλὴ εὐτυχμάτων ὑψοῦ λαβόντων,
καὶ ῥοο-

ἢ ἡρομένην χτ κεραιῶν τῶ φθόνου, ἐυτέλεται ἢ ἀναχρηεῖ καταλαμπόμενῳ.
 Quæ Latinè sonant: *Regum secundarum excellentia ac splendor invidiam
 sæpenumero exstinguit. Nec enim verisimile est, quemquam invidisse Ale-*
xandro, aut Cyro, postquam potestatem ac dominium cunctorum suæ con-
fecuti. Sed quemadmodum Sol, quibus supra verticem est, rectaque lumen
diffundit, his aut nullam facit umbram, vel exiguam: sic cum felices suc-
cessus fastidium sunt nacti, ac supra invidiæ caput eminent, illa splendore
*eo victa contrahitur, ac recedit. Ita Horatius * eò se pervenisse osten-*
dit, ut major sit illis, qui prius invidebant:

* lib. 4.
 od. 3.

Et jam dente minus mordeor invido.

† lib. 2. od.
 20.

Et alibi †:

--- *Invidiæque major*

Urbes relinquam.

Et apud Sallustium ait Micipsa ad Jugurtham: *Quod inter mortales
 difficillimum est, gloriâ invidiam vicisti.*

Pertinet huc etiam illud Claudiani lib. III. de laudibus Stilico-
 nis:

--- *Quis enim livescere possit,*

Quod nunquam pereant stella? quod Iupiter olim

Possideat calum? quod noverit omnia Phœbus?

Est aliquod meriti spatium, quod nulla furentis

Invidiæ mensura caput.

Multò autem minùs invideri solet longè minoribus: unde scitè

* in vitis
 Sophist. in.

Philager sophista apud Philostratum † ait: *εἴτα οἱ τοῦ ἡλίου ἐστραβῆ φθονεῖν,
 ἢ μάλιν ὑπὲρ τῆς ἐστραβῆς ἀλλῃ ἐν βραχίῳ; deinde num solem censet vespera
 invidere, aut morari, num quæ stella sit in cælo?*

Sunt autem varia eorum, quibus ob similitudinem invidetur,
 genera. Nam istiusmodi sunt,

I. Propinqui, sive tempore, ut qui simul in Rep. agunt: sive lo-
 co, quomodo Romanus Romano invidet: sive ætate, ut juvenis
 invidet juveni: sive fortunis, cum quis se in paupertinâ relictum
 forte, at alterum dolet evolâsse: sive existimatione, quo pacto inter
 duos consulares est invidia. Itaque Q. Fabius Maximus apud Li-
 vium † adniscitur argumento ab ætate sumto probare, se, licet
 P. Scipionis, florentissimi juvenis, consilij adverteretur, minimè ta-
 men ullâ flagrare invidiâ, cum nulla æmulatio esse possit seni cum
 eo, qui ne filio quidem æqualis foret.

† lib. 2. c.

II. Et ijs ob similitudinem invident, quibuscum certant de ho-
 nore: ut competitores rivalibus, & quicumque eadem appetunt.

Sic

Sic Bavius, & Mævius, Maroni invidabant; Afinius Pollio Ciceroni. Horat. lib. I. epist. XVII. ad Mæcenatem:

*Rupii Hyarbitam Timagenis amula lingua,
Dum studeat urbanus, tenditque disertus haberi.*

Hinc calcatur illud Hesiodi, καὶ νεγεμὺς νεγεμῆι †; & quæ se-† Et *figulus*
quuntur. Fit autem hoc gloriæ ratione, non studij: cujus similitudo non amorem lacerat, sed potius amorem parit. *figulo.*

III. Eadem ratio illorum, qui celeriter sunt bonum aliquod adepti. Vti Cæsar, cujus illud de victoria sua Pontica †, *Veni, vidi,* † *Suetonius*
vici. in *Jul. cap.*

IV. Invident etiam, quorum gloria nostrum est dedecus, aut quorum utilitas nostrum est detrimentum. 37.

V. Qui habent ea, quæ ijs, qui invident, conveniebant, aut quæ eorum fuerunt, qui invident. Virgil. † *Ed. I.*

Impius hæc tam culta novalia miles habebit?

Barbarus has segetes?

Itaque non injuriâ quoque suspicio erat, invidere Fabium Scipioni, quod non ferret crescentem indies ob Italiæ defensionem fortissimi juvenis gloriam: Tota enim illa laus antea Fabij fuerat, quâ jam senem se exui ac spoliari, molestè ferebat. Livium vide lib. XXVIII. Itidem timebat Pompeius, ne res à Cæsare præclarè gestæ gloriam suam obscurarent. Hinc Lucanus *:

-- *Stimulos dedit amula virtus.*

Tu nova ne veteres obscurent acta triumphos.

Magne, times.

Et mox:

Nec quemquam jam ferre potest, Cæsare priorem,

Pompeiiusve parem.

Imò Alexander etiam ducum virtutibus invidiam: quod non aliunde erat, quàm quia eorum splendore fulgorem suum minùs fore illustrè putaret. Itaque Perdiccæ invidèbat, quia esset πολυμυκδς *: Lyfimacho, quia σεσταγειν ἀγαθδς *: Seleuco, quia * *bellicosus.*
ἀδρείδς †: Antigono, quia φιλότιμδς †: Attalo, quia in eo τὸ ἦξ- * *bonus in*
μυκδς * reluceret: Ptolemæo, quia summa ejus esset in rebus ge- bello *dux.*
† *suavi*
rendis dexteritas. Auctor Ælianus lib. XI. Var. Hist. cap. XVI. *virtus.*
† *honoris*
Neque idem celare invidiam potuit, cum Dioxippus, Atheniensis *avidus.*
pugil, à Macedonibus clavâ provocasset Corragum, licet armatum; * *imper-*
eumque, hastâ priùs excusâ, prostravisset, proprioque gladio ne- *toris digni-*
casset. Magis favisset ejusmodi virtuti Alexander, si Macedo- *tas.*

vicisset Atheniensem. Dioxippus verò, ubi se propterea Alexandro vidit inuisum; animum usque aded despondit, ut mœrore contabesceret: quemadmodum idem Ælianus prodit Hist. Var. lib. x. cap. ult. Sed pauld aliter rem narrat Curtius in nono: ubi & Corrhagum hunc vocat Horatam.

Nec ad fortitudinem modò, vel laudem bellicam; sed aliarum etiam artium peritiam invidia pertingit. Vt in Dædalo videmus: qui cùm magno in honore esset ob præclara inventa sua in fabrica materiaria, quæ à Plinio † referuntur: ubi Calum, ob ejusdem artis peritiam, & nova quædam reperta, in cælum tolli cognovit; ne eo quidem, quodd & discipulus, & fororis filius foret, absterreri potuit, quo minùs de turri eum præcipitem daret: quo scelere patrato, supplicij metu, priùs in Cretam, inde ad Cocalum in Siciliam, profugit miser: teste Pausania in Atticis. Hoc verè est, quod Hæfiodus ait, fabrum fabro invidere. Quid verò, quodd inventus etiam imperator, qui ob artis excellentiam invideret fabro? Is est Tiberius Cæsar. Qui cùm Romæ nobilis artifex quidam porticum magnam valde nutantem magnâ erexisset solertia, pecuniâ quidem donavit hominem; sed simul, ut Dio ait, *φθονίους † τὴν ζήλοτυ-
αίους*, urbe expulit. Imò, ut idem ait, cùm ille supplex, spe veniæ, factum à se vitrum ductile (rem hodieque ignotam) Cæsari experimento comprobasset, ab eodem necari iustus est. Quod & Isidorus prodidit lib. xxxvi. Orig. cap. xv. ac ante Dionem Plinius lib. xxxvi. cap. xxvi: imò ante hos omnes idem retulerat Trimalcio apud Petronium Arbitrum, teste Joanne Saresberienſe Policratici lib. xv. cap. v. uti jam alijs observatum.

Denique ijs etiam homines invident, qui sumtus fecere exiguos eam in rem, in quam ipsi multos. Cui simile est, si quis largitione sibi comparet, quod alter magnis acquisierit virtutibus.

* Antonius
gnomolo-
gus in Me-
lissa.

† Diog.
Laert.

‡ Nescio, in-
quit, verum
sibi malū,
an alteri
eucœnie
bonum.

IV. QVIBVS DE CAVSSIS INVIDEANT HOMINES.

INVIDENT ob aliorum bonorum prosperitatem. Certè Anacharſis interrogatus, cur homines subinde tristentur *, respondit id fieri, quia non solùm propria ijs mala molesta sint; sed bona etiam aliena. Et Bion Boryſthenites, cùm invidum tristi conspexisset vultu †, *ὦν οἶδα, ἔφην, πότερὸν σοὶ κακὸν γέγονεν, ἢ ἄλλῃ ἀγαθόν †*. Eumque imitatus Publius, quem, quodd Mutius, homo imprimis malevolus, solito

solito esset tristior, acutè Macrobius * dixisse ait: *Aut Mutio nescio quid incommodi accessit, aut nescio cui aliquid boni.* *lib. 2. Sat. cap. 2.

Tales autem, quemadmodum ob bonum dolent alienum, ita gaudent ob alterius malum. Vnde Ovidius † in descriptione Invidiæ: † 2. Met.

Risus abest, nisi quem vis fecere dolores.

Græci hoc *ἔπιχαρεια* vocant. Cujusmodi verò is affectus fit, paret ex ijs, quæ de Invidia diximus.

Quod si misereamur quidem ob alienum malum, at invidia fit ob alienum bonum; omnino nobis *κρείσσων οἰκτιρμῶν φθόνος* *, ut est apud Pindarum in Pythijs †, & ex eo lib. I. *Ἀνδρῶν*. † Plauti quocumque est Truculento †:

Mavelim mihi inimicos invidere, quàm me inimicis meis.

Nam invidere alij bene esse, tibi male esse, miseria est.

Qui invident, egent: illi, quibus invidetur, rem habent.

Nempe, quod dixit P. Syrus mimus,

Miserrima est fortuna, qua inimico caret;

id non minus verè de invidio, quàm de inimico, dicitur. Quod etiam celebre nos proverbium docet, Sola miseria nescit invidiam. Ac fertur Plato, cum ei condiscipuli inviderent, Socratem interrogasse, quâ ratione posset invidiam declinare: respondisse autem Socratem, Esto ut Therfitès. Auctor (antiquior nunc non occurrit) Io. Saresberienensis lib. VII. Policratici cap. XXIV.

V. QUOMODO ALIIS INVIDIAM CONFLET ORATOR.

MERITUM verò in dubium vocare possumus, num invidiam cingere liceat Oratori, cum ea non fit viri boni, qualem esse Oratorem volumus. Attamen utile est scire, quâ ratione id fieri possit, si non ob aliud, saltem ut caveamus magis ab ijs, qui malis artibus gaudent.

Concitur autem ea, si bona commemoremus in similibus, ut illa ab audientibus disturbentur. Itaque hunc affectum ciet orator ad exstinguendam misericordiam.

Fit hoc è quatuor locis eorum, qui fortunâ utuntur prosperâ.

I. In quibus amant gloriam, & de honore factis contendunt.

II. Quicunque bonæ sunt fortunæ eventus.

III. Quæ ipsi aut appetunt, aut quibus se iudicant ornatos esse oportere. Ita affecto invidiam creat *Æneæ* *:

*Turne, tot incassura susos patiæ labores ?
Et tua Dardaniis transcribi scepra colonis ?
Rex tibi conjugium, & quasitas sanguine dotes
Abnegat, externusque in regnum quaritur hæres.*

IV. In quibus ipsi non multum superant, aut superantur. Quippe, ut supra dicebamus, neque ijs invidemus, qui multo sunt superiores divitijs, amicitijs, honoribus; neque item ijs, qui multo sunt inferiores.

Invidiam excitat, ac insimul odium gignit *Marcus Tullius pro P. Quinctio*: *Non comparat se tecum gratia P. Quinctius, Sex. Nevi: non opibus, non facultate contendit. Omnes tuas artes, quibus tu magnus es, tibi concedit. Fatetur, se non belle dicere, non ad voluntatem loqui posse; non ab afflictis amicitia transfugere, atque ad florentem aliam devolare; non profusis sumptibus vivere; non ornare magnifice splendideq; convivium; non habere domum clausam pudori, & sanctimonia; patentem etque adeo expositam cupiditati, & voluptatibus.* Pluribus exemplis non puto esse opus. Quippe multo facillimum est invidiam cedere in hominum animis, quia innatus hic morbus penè est omnibus, facile invidere. Hinc *Tacitus lib. 11.* *Histor. ait, insitum esse mortalibus natura, recemens aliorum felicitatem agris oculis introspicere.* Et *Cornelius Nepos in Timotheo*: *Est, inquit, hoc commune vitium magnis liberisque civitatibus, ut invidia gloria comes sit, & libenter de his detrahant, quos emergere videant alius: neque animo a quo pauperes alienam opulentiam intueantur fortunam.*

Et hæc de invidia: in quibus, ut & in affectibus cæteris, potissimum hausimus ex fonte *Aristotelis*: unde etiam manavit rivus ille amoenissimus apud *Antonium Muretum*, commentario in *Catilinariam primam*: ubi egregiè, ut solet, de hoc differit affectu,

CAP. XIII.

I. DE ÆMVLATIONE, ET CONTEMPTIONE.

AEMVLATIO est dolor alicuius ob bona honorata, qua alius habere videtur, & qua etiam ipse acquirere potest, existens inter eos, qui sunt similis natura, non quod alij adsint illa, sed quod sibi desint.

Ei contraria est contemptio, quâ afficitur quis erga illos, in quibus videt non esse ea bona, qua vel affectus ipse est, vel assequi sinit.

I. QUID SIT ÆMVLATIO.

ΖΗΛΟΣ ἐστὶ λύπη τῆς ἐπὶ φαυλομένη παρυσία ἀγαθῶν ἐντιμῶν, ἢ ἐνδεσχευμένων αὐτῆς λαβῆσαι τῆς ὁμοίης τῆ φύσεως, ἢ ἄλλῃ, ἀλλ' ὅτι ἐγγὺς αὐτοῦ ἐστὶ. *Æmulatio (ita ζῆλος) Tullius quoque transtulit lib. iv. Tuscul. quæst. est dolor, ob presentiam bonorum, in similibus naturâ, non quod ea alij adsint, sed quod sibi desint.* Differt à zelotypia, quia æmulus doleat, quoniam sibi abicit bonum, quod habet alter: zelotypus dolet, quod alter eodem, ac ipse, bono fruatur. Laërtius in Zenone: Ζηλοτυπία λύπη τῆς ἐστὶν ἐπὶ τῶν ἄλλῃ παρῆναι, εἰ ἢ αὐτὸς ἔχει. *Zelotypia est dolor ex eo proveniens, quia alteri quoque adsit, quod ipse habet.* At differt æmulatio ab invidiâ, quod illa fit honesta; hæc verò, ut in Timæo quoque scribit Plato, non cadat in virum bonum: illâ quis macerat se, non quod habeant alij, sed quod non & ipse ijs ornatus fit bonis: hæc verò alienis bonis strabo fit, quod ipse careat. Declarat hoc Suidas istum in modum: Ζηλὸς, ἀγαθῶν τινῶν ἐπιθυμία, ἐπὶ τῶν τοῦ ἑαυτοῦ ἐπιθυμῶν τῆ ψυχῆ. Οἷον, ἔχει τῆς ἀνδρείας, ζῆλῶ τῶν τῶν ἀρετῶν. τῶν ἐπιθυμῶν κτήσασθαι τὸ καλὸν, μὴ φθονήσας τὰ κακῆμῖνον, ἀλλὰ κατὰ βελτίων ἀνδρείος ἴδιον. *Zelus sive æmulatio, boni alicuius cupiditas, qua animo circa invidiam inest. Vt, Habet quispiam fortitudinem. Hunc æmulor virtutis ergo. Hoc est, cupio idem bonum consequi, non invidens ei, qui bonum illud possidet, sed ipse etiam fortis esse vir volens. Neque nescius sum, ζῆλος, & φθόνος sæpe * conjungi, ac ζῆλος, cum apud Hesiodum in ἐπιθυμῶν, tum in Actis Apostolicis †, liquidò accipi pro φθόνῳ. Verum proprie id est ζῆλος, quod dicebamus: nempe ἀπὸ τῶν ἐπιθυμῶν †, quia est quidam animi fervor faces stimulosque animo subdens ad bonum.*

stum aliquod facinus patrandum. Interim, ut Græci ζήλον, ita Latini *emulationis* voce interdum laxiùs utuntur. Ut Maro in VI:

*Amulus exceptum Triton, si credere dignum est,
Inter saxa virum spumosa immerferat undâ.*

Et Plinius Panegyrico: *Nihil est tam prouidum ad similitatem, quam emulatio, in feminis presertim. Ea porro maximè nascitur ex conjunctione, alitur equalitate, exardescit inuidiâ. Hinc Nonius Marcellus: Emulatio ab imitatione hoc distat, quòd imitatio simplex est, & livorem atque inuidiam non admittit: emulatio autem habet quidem imitandi studium, sed cum malitiæ operatione. Nempe, ut Cicero in IV. Tuscul. ait, Emulatio dupliciter dicitur; ut & in laude, & vitio, nomen hoc sit.* Sed hæc accipitur, ut est imitatio virtutis expertis inuidiæ. Probus enim, ut ait Plato †, invidet nemini, cum tamen meliores præstantioresque semper æmuletur. Cujusmodi contentionem perutilem esse generi humano, etiam Hesiodus ait in Eργων.

† in Timao.

II. QUI ÆMULENTUR.

A ÆMULENTUR, qui bonis dolent similibus, propterea quòd & ipsi non habeant.

Horum loci sunt quatuor.

I. Qui autumant se ipsos dignos ijs bonis, quæ non habent: ut iuvenes, & magnanimi.

II. Quibus sunt bona honoratis viris digna: ut sunt divitiæ, amicitia cum multis magistratibus, & quæcunque sunt istiusmodi.

III. Quos alij dignos bonis ijs existimant, propter quæ dolent.

IV. Quorum maiores, cognati, aut domestici, aut natio, aut civitas honorata est. Ita Decius, paterno excitatus exemplo, devovit se pro patriâ †. Huc quoque facit locus ille Tullij pro Flacco; *Quod maxime florere in generis sui gloria viderat, laudem patriæ in libertatem vindicanda Pretor adamarat.* Andromache apud Maronem lib.

III. Æn.

*Ecquid in antiquam virtutem, animosq; viriles,
Et pater Aeneas, & avunculus excitat Hector?*

Et in X:

Spemque meam, patriæ que nunc subit amula laudi.

Justinus lib. XLII. de Mithridate II, Parthorum rege: *Claritatem parentum, emulatione virtutis accensus, animi magnitudine supergreditur.*

Idem

† Livius lib. 10. Cic. pro P. Sextio, & lib. 1. de Divinat. &c.

Idem lib. xxv. de Gallis à Brenno relictis ad tuendæ fines : *Ne soli desides viderentur, peditum xv millia, equitum III millia armaverunt.* Præcesserat, quæ alij Gallorum gessissent.

Interdum autem & illi dicuntur æmulari, qui non simile bonum, sed idem exposcunt. Ut cùm Vlysses non minùs, quàm Ajax, arma ex peteret Achillis. Vnde sic de eo Ajax apud Ovidium †:

† Met. 13.

*Premia magna peti fateor; sed demis honorem
Æmulus Aiæci.*

III. QVOS, ET QVARE ÆMVLANTVR, ET QVOMODO AD ÆMVLANDVM CON- CITEMVS.

AEMVLANTVR similes. Iccirco Agathocles, bellum è Sicilia in Africam transferens, priùs servos ingenuis exæquavit, ut ea res æmulationem accenderet, dum nec liberti novi cedere volunt virtuti ingenuorum, quibus ab imperatore essent æquati: & ingenui ducerent sibi turpe ab novis vinci libertis. Justinus lib. xxii: *Omnes deinde servos, militaris ætatis, libertate donatos; sacramento adegit; eosque, & majorem partem ferme militum, navibus imponit, ratus, exæquatâ utriusque ordinis conditione, mutuam inter eos virtutis æmulationem futuram.*

Eorum, qui æmulantur, tres sunt loci.

I. Quibus adsunt bona: ut fortitudo, sapientia, magistratus. Quippe, qui in magistratu sunt, optimam habent occasionem de multis bene merendi.

Idem dictum volo de imperatoribus, & oratoribus. Nam & illi summam habent facultatem opitulandi alijs: ut Cicero ostendit orat. pro Muræna; ubi artem imperatoriam, & eloquentiam, inter se confert.

II. Quibus multi se similes esse exoptant: item, quibus multi familiares, & amici esse gaudent: aut quos multi suspiciunt, aut ij, quos ipsi suspiciunt.

III. Quorum encomia ac laudes à poëtis, vel alijs scriptoribus, celebrantur. Qualis Achilles fuit: unde Alexander Magnus, cum in Sigeo ad tumulum ejus adstisset †, *O fortunate, inqueiebat, adole-* † Cic. orat. pro Archim. poëta.
lescens, qui tuâ virtutis Homerum præconem inveneris. Et Thucydides adolescentulus, cum Herodorus historiam suam Olympiæ legeret, ita gloriæ stimulis agebatur, ut lachrymas tenere non posset. Quo

conspicō Herodorus, Oloro, sive Orolo, patri ejus dixit, Μαχαρῆς

† Beatum ζα† σι† ἄστυκίας, Ὀλαρε. ὁ γδ σὺς ὑδὲ ἀργῶσαν ἔχει πῶν ἰσχυρῶ ὡδὲ τὰ μα-
judicose, O-
lore, ob e-
gregiam
prole. Filius
enim tuus
iamini ha-
bet, qui ve-
hementi
studio atque
impetu ad
disciplinas
feratur.
† virtutis.

Ζηματα. Auctores Plutarchus, Marcellinus, & Suidas.

Æmulantur propter ἀγαθὰ ἔπημα, hoc est, bona honorata, sive quo-
rum præmium est honor. Sunt hæc triplicia. Alia sunt ἄρετης †:
alia ἤδ' ὀφελίμων, sive ἐυεργατικῶν, hoc est, eorum, quæ utilia sunt, &
idonea ad bene faciendum: alia ἤδ' ἀπλουστικῶν τοῖς πλανήσις, id est,
quibus fruuntur propinqui.

Concitur æmulatio, si bona ea ostendantur adesse similibus, ut,
qui etiamnum destituuntur, ad illa adspirent.

IV. DE AFFECTV, QVI ÆMVLATIONI ADVERSATVR.

AEMVLATIONI contraria est καταφρόνις sive contemptio;
ut cum eos despiciamus, qui prosperâ quidem utuntur fortu-
nâ, verum bonis carent honoratis. Sanè, qui excelsio est animo,
non movebitur alterius divitijs; sed ex genere, & imprimis virtute,
eruditione, ac similibus, virum æstimabit. Hinc Cicero in deper-
ditâ oratione pro C. Cornelio, unde hæc ipse auctor adducit in O-
ratore ad Brutum: *Neque me divitiæ movent; quibus omnes Africanos, &
Lelios, multi venalitijs, mercatoresque superarunt: neque vestis, aut celatum
aurum & argentum; quo nostros veteres Marcellos, Maximosque, multi
eunuchi è Syria Egyptoque vicerunt: neque verò movent me ornamenta
ista villarum; quibus L. Paullum, & L. Mummium, qui rebus his ur-
bem, Italiæque omnem refererunt, ab aliquo video perfacile Deliaeo, aut
Syro, potuisse superari.*

Porrò interdum ijs, quos contemnimus, respondere dedigna-
mur: interdum verò eos contumelijs vexamus. Cic. in Vatin. *Si tua
tantummodo, Vatinij, quid indignitas postularer, spectare voluisssem: fecis-
sem id, quod his vehementer placebat, ut te, cujus testimonium propter
turpitudinem vitæ, sordescq; domesticas, nullius momenti putaretur, tacitus
dimitterem: nemo enim horum aut ita te refutandū, ut gravem adversarium,
aut ita rogandum, ut religiosum testem, arbitrabatur. Sed sui paullo in te
imtemporantior fortasse, quam debui. Odio enim tui, in quo, etsi omnes
propter tuum in me scelus, superare debeo, tamen ab omnibus penè vincor,
sic sum incitatus, ut, cum te non minùs contemnerem, quam odissem, tamen
vexatum potius, quam despectum, vellem dimittere.* Habemus de æmu-
laticæ,

latione, & affectu contrario : qui ultimum locum obtinet inter affectus ab Aristotele expositos.

V. CONCLVDITVR DOCTRINA DE AFFECTI-
BVS GENERALI PRÆCEPTO.

VNIVERSAM VERO hanc *παθολογίαν* obfirmabimus utilissimo hoc præcepto: in ciendis affectibus caput esse, ut orator prius eo affectu commoveatur, ad quem alium vult adducere: quemadmodum, præter Aristotelem, aiunt Cicero lib. II. de Orat. Horat. in Arte, Quintilianus, ac alij magno numero: quorum iudicio, circa *†* *movendos affectus hæc summa est, ut moveamur ipsi.* Hoc cum *†* *Fabius lib. 6. cap. 2.* probè intelligeret Polus histrio, Electram Sophoclis acturus, pro Orestis ossibus ossa filij sumsit, qui paucis antè diebus discesserat. Ea res cum luctum verum revocaret in memoriam; fletu adèd miserabili theatrum complevit, ut omnes eo commoti dolerent: teste Gellio lib. VII. cap. IV. Neque ideo affectuum simulatione Oratori opus est: quia, si rerum imagines, de quibus tractat, firmiter animo conceperit; fieri nequit, ut non præter cæteros affectu commoveatur.

CAP. XIV.

DE ARGUMENTIS ΗΘΙΚΟΙΣ.

TERCIA Inventionis pars considerat mores. Est autem morata oratio, quando indicat animi habitum, ac voluntatem. Spectatur in eâ, tum convenientia, tum probitas.

Morum alij respiciunt oratorem, alij auditores, vel cives universè.

Mores, quos in oratore relucere oporteat, sunt tres; prudentia, probitas, & benevolentia.

Mores civitatis cognoscuntur ex fine reipublicæ; qui libertas est in democratia; legum disciplina in aristocratia; divitiæ in oligarchia; custodia in monarchia.

At ratione auditoris variant mores quadrifariam, pro quadruplici eorum discrimine. Primo enim differunt affectibus; ut irâ, lenitate, metu, misericordia, &c. Secundo habitibus; ut virtutibus & vitijs. Tertio ætate, quæ triplex est; juvenus, vigor sive ætas constans, & senectus. Quarto fortuna, quæ sunt nobiles aut ignobiles, potentes vel impotentes, divites aut pauperes, fortunati aut infelices.

I. QUID SINT TA HΘH, ET QUÆ IN IIS
CONSIDERENTVR.

VIDIMVS argumenta *παθητικά*; superfunt *ἰδμά*: illa maximè in iuridiciali locum habent; hæc magis propria sunt deliberatiui. Quomodo autem à *πρόσει* differant, tum supra * diximus, tum ex illis Jul. Scaligeri verbis liquet lib. III. de re poetica cap. I: *Differt autem ἰδθ & πρόσει: non solum gradibus, ut aiunt, ita ut ἰδθ sit ἰδθ vehemens; sed quia ἰδθ est principium agendi, ἰδθ autem patiendi. Itaque, qui perturbatur, ἰδθ habet; ut invidius: qui perturbat, ἰδθ; ut iracundus. At quamquam in omnibus est perturbatio, tam ijs, qui perturbant alios, quàm ijs, qui ab alijs perturbantur: tamen, qui propriè loquentur, ita dicent, ut ἰδθ exeat ad actiones; ἰδθ comparat ad receptionem, & sit ἰδθ τῆ ἰδθ fundamentum. Cùm video miserum, patior. Ea est quidem misericordia, qua creat munificentiam: erit hæc ἰδθ. Sic patior accepta injuriâ. Hoc parit fortitudinem ad depulsiōem. ἰδθ est fortitudo. Hæc ille.*

Sunt igitur mores, ea quibus animi hominum perspicuntur. *Ἐστὶ ἰδθ τὸ ποιῶν, ὁ δὲ ἰδθ τῆ ἰδθ παρρησίας*, prout definit Aristoteles in arte Poetica: indeque cognoscere est, muta animantia non habere ἰδθ, cùm non agant *παρρησίας* sive *consilio*, sed instinctu. At impropiè loquitur Aristoteles, cum in historia sæpe ijs tribuit ἰδθ: uti & Plinius lib. XI. cap. XIIII: *Quod maximè, inquit, mirum, mores habent.* Loquitur de apibus.

Hoc ipsum plenius cognoscemus, si cogitemus, quibus rebus significetur ac detegatur animi habitus alioqui occultus & abditus, cùm non cadat sub sensum. Sunt autem duo, teste Aristotele; sermo & actio. Nam colligimus, quibus aliquis moribus sit præditus, cùm eum aliquè vidimus agentem, aut dicentem. De actionibus apertius est, quàm ut dici aliquid debeat. De sermone docet vetus ille Senarius:

Ἄνδρες χαρακτήρ ἐκ λόγων γνωρίζεθ.

Quos quisque moribus fiet, sermo indicat.

* *Heaut.*

act. 2. sc.

4.

frag. 167.

edit. H. St.

Terentij * quoque est:

Nam mihi, quale ingenium haberes, fuit indicio oratio.

Et Aristides orat. I. pro Rhetor. *† οὐκ ἀποστεινὴ δὲ ἢ περιποιμία τέπει, ἢ λέγουσι, οἷος ὁ γρόθω, τοιῶτον ἴδθ ἢ τὸν λόγον ἢ πάρος τὸ ἔργον ἀσπύτως.*

Nec ab eo recedis proverbium, quo dicitur, quales sunt mores, talem esse

oratio.

orationem; & contrà de oratione similiter se rem habere.

Sub sermone etiam comprehendo, quæ scribuntur. Imò in omni quidem oratione animadvertere licet ingenium, & mores hominis: sed nulla ex re magis insoles, quàm ex epistolis, relucet. Eoque in ijs doctrina hæc de moribus vel maximè utilis est.

Et in his verò, & in omni sermone actioneque, duo spectamus, τὸ ἀμύβιον, seu convenientiam, & τὸ ἄριστον, seu probitatem. Ejus rei exemplum, & quod multorum instar esse possit, habemus in Milonianâ, ubi Tullius ita loquentem inducit reum: *Valeant cives mei, sint incolumes, sint florentes, sint beati. Stez hæc urbs præclara, mihiq; patria carissima, quoquo modo merita de me erit. Tranquilla Rep. cives mei, quoniam mihi cum illis non licet sine me ipsi, sed per me tamen, perfruamur* &c. Cujusmodi oratio non alij convenit, quàm & optimo pariter, & fortissimo viro: qualis, Ciceronis judicio, erat Annius Milo, pro quo dicebaz.

II. QUI MORES RELVCERE DEBEANT IN ORATORE.

PORRò mores partim respiciunt oratorem, quem reddunt ἀξιόπιστον; partim auditores, aut cives in universum. † fidei.
 3077.

Mores, qui in oratore requiruntur, sunt tres; prudentia, probitas, & benevolentia. Plato in Gorgia tria requirit in consultore; scientiam, benevolentiam, & loquendi libertatem. Sed pro παρρησίᾳ jure substituit Aristoteles probitatem, utpote magis necessariam. Quantum enim in persuadendo probitatis opinio valeat; argumentum illud erit, quòd vir bonus (modò constet, quid sentiat) plus tacendo possit, quàm improbus suadendo. Ut omnino in eo habeat locum, quod ad Philadelphenses de episcopo eorum scribit B. Ignatius: *Σιγῶν πλέον δύναιται ἢ πλεον λαλόντων σωτηρίωςαι ἢ ἔπιτολαίς Κυρίου, ἢ τοῖς δικαίωμασιν, ὡς χορδῶν τῇ κηδέειαι* tacens plus potest, quàm alij plus loquentes. Convenit enim mandatis Domini, & justitiæ præceptis, velut choræ congruunt citharæ.

Cicero lib. 11. de Offic. solùm duo requirit, justitiã & prudentiam. Ita enim ait: *Fides autem ut habeatur, duabus rebus effici potest; si existimabimur adepti conjunctam cum justitiã prudentiam. Nam & ijs fidem habemus, quos plus intelligere, quàm nos, arbitramur; quosque & futura prospicere credimus, & cum res agatur, in discrimenque venturum sit, expedire rem, & consilium ex tempore capere posse: hanc enim*

omnes existimant vilem veramque prudentiam. *Fustis autem, & fides hominibus, id est viris bonis, ita fides habetur, ut nulla sit in his fraudis injuriæ suspicio. Itaque his salutem nostram, his fortunam, his liberos rectissime committi, arbitramur.* Verum præter hæc duo à Tullio requisita, etiam benevolentiam opus esse, ratio ipsa evincit. Nam, ut docet Aristoteles lib. II. Rhet. cap. II. non persuadent, qui existimantur ob imprudentiam malè sentire; vel qui rei putantur intelligentes, sed ob improbatem aliter, ac sentiunt, eloqui; vel denique qui prudentibus habentur, ac probis; sed putantur alteri magis parti favere, quàm nobis, aut certè minùs, quàm alijs, qui in eadem re aliud nobis dant consilium. Atque ex his lucem accipit, quod Xenophon ait penè initio libelli de Rep. Atheniensium. Dixerat, mirari fortasse aliquem, quòd Athenis omnibus liceat concionem habere, & consilium dare; cùm à vilibus & malis nihil sani debeat expectari. Huic rei ita occurrit. Ait, nihil mirandum esse, si in democratia magis talibus populus credat, quàm viris bonis ac præstantibus. Nam longè maximam populi partem vilibus istis capitibus constare: quemque autem sibi bene esse malle, quàm alteri. At viles istos in populari statu consulere sui similibus; cùm è contrario cives præstantiores ijs potiùs studeant, qui similes sui, plebeiis verò, & improbis istis, dissimiles sint. Sic enim inter alia loquitur, *Οἱ δὲ γνώσκουσιν, ὅτι ἢ τέτυ ἀμαθία, ἢ πονηρία, ἢ ἔυνοια, μᾶλλον λυσιτελεῖ, ἢ ἢ τῷ γενεῖ ἀρετῇ, ἢ σοφίᾳ, ἢ κακότητι. Νόουν* nimirum, hujus improbitiam, ac vilitatem cum benevolentiam junctam, prodesse amplius, quàm viri boni virtutem, ac sapientiam, conjunctam cum malevolentia.

III. QUOMODO CONSEQUATUR ORATOR, UT VIDEATUR PRVDENS, PROBUS, ET BENEVOLVS.

PRVDENTIAM ostendit orator, si modestè, non audaçter doceat, aut moneat alios: probitatem, si virtutes collaudet, ac vitia reprehendat: benevolentiam, si præ se ferat singularem amorem, & observantiam erga auditores, & remp. ac patriam; quæ potissima pars est moratæ orationis. Hæc de re egregiè Fabius, cujus sententiam lib. IV. cap. II. his verbis conceptam invenire est: *Ne id quidem præteribo, quantam asserat fidem expositioni narrantis auctoritas, quam mereri debemus, ante omnia quidem vitâ; sed & ipso genere orationis. Quod quò fuerit gravius, sanctius, hoc plus habeat necesse est in affirmando quoque*

quoque ponderis. Effugienda ergo in hac præcipue parte omnis calliditatis suspicio: (neque enim se unquam magis custodit iudex) nihil videatur fictum, nihil sollicitum; omnia potius à causâ, quam ab oratore, profecta credantur. Sed hoc pati non possumus, & perire artem putamus, nisi appareat; cum desinat ars esse, si appareat. Hæc elegantissimè, & verissimè Fabius. Ab oratoris moribus captatur benevolentia Divinatione contra Verrem: *Adductus, inquit, sum Iudices, officio, fide, misericordiâ, multorum bonorum exemplo, veteri consuetudine institutoq; majorum, ut onus hoc laboris atque officij, non ex meo, sed ex necessariorum meorum tempore, mihi suscipiendum putarem.* Et pro Roscio Ame Opprimi onere officij malo, quàm id, quod mihi cum fide semel impositum est, aut propter perfidiam abicere, aut propter infirmitatem animi deponere. Et hæc de moribus, quatenus oratorem respiciunt.

IV. VARIARE AFFECTVS, TVM PRO NATVRA GENTIS, TVM PRO GENERE REIP. TVM PRO QVATVOR ISTIS MODIS, QVIBVS EIVSDEM ETIAM GENTIS AC REIP. HOMINES INTER SE DIFFERVNT.

PROXIMUM est, ut dicamus de moribus ratione auditorum. Quos trifariam cognoscimus.

Primum ex natura nationis. Nam Galli sunt præcipientes, nec longæ spei patientes. Hispani contra lenti in consilijs: in bello autem laboris ac disciplinæ tolerantes: tumidi interim, & vile ministerium, etiamsi ampla spes affulgeat, averfantes. Itali mentis sunt reconditæ: Germani simplices & aperti. Poloni feroces, & quos fraude magis, quàm vi superes: Moscovitæ contra fraudulentis. Longum esset omnia persequi. Qui volet, adeat, quæ ingeniosè & eleganter de præcipuis gentibus Ioannes Barclaius differuit in Icone animorum cap. III, & sex proximè sequentibus. Contentus nunc ero verbis unius ex antiquis: nempe Siculi illius Genethliaci, Julij Firmici Materni lib. I. Mathesios cap. I: *Scythæ soli immani feritatis crudelitate grassantur. Itali sunt regali semper nobilitate præfulgidi, Galli stolidi, leves Græci, Afri subdoli, avari Syri, acuti Siculi, luxuriosi semper Asiatici, & voluptatibus occupati, Hispani elatâ jactantia animositate præposteræ. Ergo Scytharum radicem nunquam mitigat Iupiter: nec Italia aliquando Sol denegabit imperia: nec levitati Græcorum Saturni stella pondus imponit: nec Asiatica lascivitas sobriâ Iovis moderatione corrigitur: nec Sicilia*

Sicilorum acumen frigido ortu aliquando Saturni obrunditur: nec Syrorum avaritia lascivis Venereis radiationibus temperatur: nec Astorum malignosa commenta, & bilingues animos, salutare Jovis sidus impediunt: nec Hispanorum jactantiam pigræ Saturni lumen hebetare: nec Gallicam soliditatem Mercurij sapientissimum sidus exacuet. In quo an rectè de gentibus singulis judicium ferat, non est hujus loci disputare. Satis est, si illud nunc extra controversiam maneat, diversam esse cujusque gentis indolem; pro quâ τὸ ἰδίον in oratione mutare debeat orator.

Præterea mores cognoscuntur ex fine Reip. de quo superius in genere deliberativo satis diximus †.

† lib. 1.
cap. 3. sect.
2.

Denique pro quadruplici auditorum discrimine variant τὸ ἰδίον quadrifariam: idque in ejusdem etiam gentis hominibus, ac ejusdem Reip. civibus.

Nam vel diversis sunt affectibus, vel habitibus, vel ætate, vel fortunis.

Affectus plurimùm immutant, quia aliud suadet amor, aliud odium; aliud ira, aliud lenitas, aliud pudor, aliud impudentia; eademque aliorum est affectuum ratio; de quibus cum antè dictum sit, non est quòd ea hic iteremus.

Pro habitu quoque diversitate mores hominum sunt diversi: quomodo aliter affectus est vir justus, aliter injustus; aliter temperans, aliter intemperans. Sed de virtutibus vitisque nihil hic affert Aristoteles, quia de ijs egerat lib. 1. cum tractaret de genere demonstrativo, cujus finis est honestum, vel turpe.

Tertiò mores variantur ratione ætatis; quia alijs sunt moribus juvenes, alijs viri, alijs senes.


Postremò mores sunt diversi ratione fortunæ; sive prosperæ, sive improperæ, tum in nobilibus, divitibus, potentibus; tum in ijs, qui his opponuntur.

V. QUOMODO SECUNDVM ÆTATES HVMANA VITA DISTINGVATVR.

Cùm igitur de duobus primis generibus actum sit, ut dixi: superest, ut nunc mores diversæ ætatis, diversæque fortunæ, consideremus.

Ætas est quadruplex, pueritia, juvenus, αὐτὸν sive ætas constans, & senectus. Ita enim Hippocrates quoque dividit, cum ait:

ait * : Ἰέροντες ἀνοροῦτα τὰ νηστεύον φέρων δούτερον, οἱ καθεσκαῶτες ἤμισα, περ- * lib. 1. 8.
 εἰμία πᾶσαν ἢ μάλα, πᾶδια τῆτων ἢ ἀντίων ἢ ἀντίων αὐτῶ ἐουῶ. ^{phorism.}
 Συμῶτες ἔοντα. Senes facillimè jejunium ferunt; proxime post eos, qui ^{scilicet. 1.}
 sunt statâ ætate: minùs adolescentes: omnium minime pueri: atque inter ^{aph. 13.}
 hi precipuè, qui acriores ac promtiores sunt ad aliquid agendum. Ac si-
 militer Cornelius Celsus lib. 1. cap. III: Quod ad ætates verò perti-
 net, inediâ facillimè sustinent mediæ ætates, minùs juvenes, minime pue-
 ri, & senectute confecti. Sed jure Aristoteles tres tantùm ætates no-
 minat, quia pueritia, quæ velut feminium est omnis ætatis, nihil
 huc facit. Neque enim oratori faciendâ sunt verba ad pueritiam.
 Interim etiâ hac insuperhabitâ, quatuor ætates numerari pos-
 sunt; & dolescentia, juvenus, virilis ætas, quæ Plauto † media vo-
 catur, & senectus. Adolescentiam autem, & juventutem, meritò
 distinguimus, etsi Latini promiscuè etiâ usurpent; ut Seneca
 epist. xxx. Quemadmodum, inquit, senectus adolescentiam sequitur.
 Sallustius * quoque C. Cæsarem in Pontificatus Maximi petitione
 Catulo prælatum, adolescentulum vocat. Et Cicero Curionem,
 Crassum, Sulpitium, annum jam trigessimum, & quod excurrit, su-
 pergressos, nunc adolescentes, nunc juvenes vocat, secutus, ut vi-
 detur, lustrationem à Servio Tullio constitutam, quo juniores
 dicebantur usque ad annum XLVI. quâ de re vide Janum Douzam
 in schediastmate succidaneo ad Tibullum: nec non Rob. Titium
 lib. v. Locorum controversorum cap. XVI. & quæ in Origini-
 um libris diximus *. Verùm, si præstantium aliquot physicorum * ^{ante Lu-}
 sequimur sententiam, juvenus extenditur usque ad annum xxx. ^{venis.}
 Ἄκμῃ seu vigor corporis durat quinquennium; h. e. usque ad annum
 trigessimum quintum, qui numerus resultat ex quinque septenarijs.
 Eaque ἀκμῆ corporis, est ratio, cur Plato voluerit lib. IV. de legibus,
 quemque intra id temporis spacium uxorem capere. Atque idem
 in causâ est, cur anno xxxv, ut Macrobius † testatur, quasi coronâ
 desperatâ artem athleticam desinerent, qui ad eam usque ætatem
 sine ullo victoriæ præmio pervenissent. Sed ἀκμῆ animi annos du-
 rat xx: puta ad annum usque L, quæ ætas septem constat septe-
 narijs. Quicquid ab anno quinquagesimo residuum est, id assignat-
 ur senectuti: quæ, etiâ cum longissima est, centesimum annum
 non excedere, putat Lucianus in Hermotimo. Videlicet quia adeò
 insolens est excessus iste, ut prope miraculi loco habeatur. Optima
 est senectutis pars, quæ prima est: nempe ab anno quinquagesimo
 ad sexagesimum: quæ dici potest *cruda vir: disque senectus* †. Galeno
 lib.



lib. v. de sanitate tuenda, qui intra hoc spatium sunt, dicuntur *ἀμω-
γέροντες*. Nec iccirco, quicumque sexagesimum excessere, mente
sunt exensa, & corpore vieto, tardigemulo ac veteroso: quia
aliquos reperire est supra eam ætatem virides animo, ac vigentes,
& cum corpusculo suo colluctantes: ut de Clarano, condiscipulo
suo, scripsit Seneca epist. LXVI. Et Theophrastus *, jam exactis
LXXXIV ꝑ annis, cum sentiret prope adesse vitæ terminum, dixisse
fertur, *ἡμεῖς ὀπὸτ' ἀρχόμεθα ζῶν, τὸτ' ἐπιθνήσκωμεν*, *Vivere cum incipimus,
vivere desinimus*. Laert. in vit. Theophr. Itaque, ut Iurifconsul-
ti * docent, infantiam quidem dicemus extendi usque ad annum se-
ptimum; ætatem pupillarem usque ad annum quartum decimum;
pubertatem & adolescentiam, usque ad vigesimum quintum: ju-
ventutem verò, ætatem virilem, & senectutem, statuendum non ad-
stringi ad certos annos, sed ex habitu corporis atque animi discer-
ni. Qua de re Alciatus lib. x. *Περὶ γῶν* Juris cap. x. ac juniorum alij
magno numero. Quod si & ex antiquis nonnulla de ætatibus vo-
les, adi Philonem lib. de mundi opificio *, Cenforinum de die na-
tali cap. xiv, & Macrobius in Somnium Scipionis lib. i. cap. vi.

* pro eo
corruptè
Them-
istocles

legitur apud
Hieronymi
epist. ad Ne-
potianum.
ꝑ Laer-
tium: pro quo
centum &
septem est
apud Hie-
ronymum
eadem ad
Nepotianum
epist.

* l. si infāti
C. de jur.
delib.
* pag. 16.
& 17. edit.
Turneb.

VI. QUOMODO ÆTAS IUVENILIS, SENILIS,
ET MEDIA, MORIBVS DIFFE-
RANT.

ATQUE hunc in modum ætates distinguuntur. Nunc videamus, quomodo moribus differant juvenes, viri, & qui mediæ sunt ætatis.

I. Iuvenes flagrant cupiditatibus, præcipuè Venercis. Ut Terentianus Chærea *, quando ait:

— *Hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario,*

Fac tradas: mea nihil refert, dum potiar modo.

Item ꝑ:

— *Abduc, duc, quantum potes.*

Nempe, excusso rationis freno, sese, quantus quantus est, cupiditati mancipat. Rectè igitur apud eundem ait Democritus ꝑ:

— *Quæ vos propter adolescentiam*

Minus videtis, magis impense cupitis, consulitis parum.

Similiter de ijs iudicat B. Chryostomus epist. IIII. ad Olympiadem: *Ἡ' ꝑ πολλὴν ἑ ἐπιθυμίας ζῆλον, ἀδελφότερον ἢ ὀλοισμὸς* Nimirum, ut S. Basilius * ait, ἡ ἑ νεότητι ἐπιθυμίας ἀνοήτουτος. Eoque, ut cum Euripide

* Em. act.
2. sc. 3.

† aliquanto
post.

† Adcl. act.
5. sc. 9.

* Magna est
concupiscē-
tia tempe-
stas: ratio
verò longe
imbecillior.

* in cap. 3.

les. p. 903.

ca. Mor.

† juvenitatis
effrenes sunt
cupiditates.

ripide dicam, *ὅς τ' ἠβώοντα ἢ ἐβλῆσαν ἀγαγῶν.* Vnde ab ætate Cælium Cicero excusat, quòd cum Clodia consuesceret. Propterea quoque antiqui meretricios amores concessere huic ætati. Notum illud est * Mitronis apud Comicum:

*Non est flagitium, mihi crede, adolescentulum
Scortari.*

Et Catonis hoc apud Horatium †, de adolescentia ingredeunte lupanar:

*Nam simulac venas inflavit tetra libido,
Huc iuvenes æquum est descendere.*

Sed hæc non S. Scripturis modò refelluntur: verùm etiam è sanioribus philosophis. Notum Epicteti † illud: Πῦες Ἀ' εροδία σὲς γάμου † Enchir. καθαρῶτερον. A Venereis ante nuptias mundos esse convenit. Ac similiter cap. 47. hujus æqualis, Musonius: Ὅσαι συμπλοκαὶ, μοιχεύει ἐαυτοῦ ἑσσαι, ἐπερημῆται τῶ γίνεσθαι καὶ νόμον ἐν αὐτῶι παύουσι αἰσχρῶι. ἀνάηστοι δ' οὐ ἀπολαύουσι. Concubitus omnes, etiamsi non fuerit adulterium, si non juxta legem fiant, turpes & ipsi sunt. Ut qui solius libidinis causâ fiant.

Neque in libidine tantùm, sed etiam cæteris in rebus, vehementes esse cupiditates adolescentiæ solent. Nimirum nondum totam exuere pueritiam. De pueris verò sic Tullius lib. v. de Fin. *Quanta studia decertantium sunt! quanta ipsa certamina! ut illi efferuntur lætitiæ cum vicerint! ut pudet victos! ut se accusari nolunt! quam cupiunt laudari! quos illi labores non perferunt, ut equalium principes sint!* Adolescentiæ etiam similes esse mores, clarè idem ostendit pro M. Cælio, his verbis: *Non loquor de sapientia, quæ non cadit in hanc ætatem: de impetu animi loquor, de cupiditate vincendi, de ardore mentis ad gloriam. quæ studia in his jam ætatibus nostris contractiora esse debent. in adolescentia vero, tanquam in herbis, significant, quæ virtutis maturitas, & quanta fruges industrie sint futura.* Quibus ex verbis etiam cognoscimus, acره hoc adolescentiæ desiderium ad virtutem plurimum conferre. Et sanè dicam liberè, absque illo animi impetu nunquam contingit, ut quisquam solidam assequatur gloriam. Propterea talem jam à puero oratorem futurum Fabius optat lib. i. cap. III. *Mihi, inquit, ille detur puer, quem gloria juvet, qui victus fleat.* Hic erit alendus ambitu, hunc mordebit oburgatio, hunc honor excitabit: in hoc desideriam nunquam verebor. His moribus non in pueritia modò erat M. Brutus; sed etiam in adolescentia: de quo Julius Cæsar, † epist. 2. lib. 1. 4. ad Tullio teste †, dicebat: *Magni refert hic quid velit: sed quicquid vult, valde vult.* Quod Plutarchus * ita expressit: Ὅυτῶ δ' ἐπαυλαὶ ἐν* in Bruto.

οὐδα μὲν ὀβείλη; παρ ὃ δὲ βέλεια; , σφοδρὸν βέλεια; . Certè quia affectus juvenum vehementes sunt, ideo Græci *νεανικὸς* accipiunt pro magno; ut apud Aristotelem * *ἄφοροι νεανικὸς*, & Aristophanem in Pluto *νεβῆς νεανικὸν*; eodemque modo ab Athenæo Casaubonus † dici putat *λοπαῖς νεανικὸς*, ut sit *patina ingens*, non *olla nova*, quomodo verterat Dalecampius.

* lib. 1. Histor. Animal.

† lib. 4. Animalium.

Athen. cap. 21. & vide lib. 13. cap. 9.

‡ in Arte Poet.

Et si autem affectus juvenum sint vehementes: tamen citò iidem etiam pulchris fatigantur, semperque novitate capiuntur improvisa. Facile nempe fatiantur; quemadmodum ægroti solent. Vnde illud poëtæ Venusini de hac ipsa ætate †:

--- Cupidusque, & amata relinquere pernix.

Atque hinc etiam causam cognoscimus, cur adolescentia amicitiâ, nec satis magno judicio eligat; nec satis constanter, adversus oboriens fastidium, tueatur. Nimirum impedimento est τὸ τὸ ἀφορ, ἢ ἐυκίνητος τῆς νεότητος: ut loquitur Basiliius*.

† quod levis sit juvenis, & admodum mobilis.

* in cap. 3. Esæ.

Et talia quide: sunt desideria juvenum. At in senibus deseruit cupiditas: eoquæ ab ijs tam acre illud, quam desultorium hoc, abest.

II. Juvenes item, & faciliè, & vehementer excandescunt, propterea quòd sint φιλότητοι †; & ob corporis vires sciant, se præstare posse, quæ ira jufferit. Exemplo fuerit Gyas, de quo ita Maro*:

† honoris avidi.

* 5. Æn.

Tum verò exarsit juveni dolor ossibus ingens:

Nec lachrymis carneve genæ: segnemq; Menætem,

Oblitus decorisq; sui, sociumque salutis,

In mare præcipitem puppi deturbar ab aliâ.

At dispar est senum ratio: quia faciliè quidem & ipsi succensent; sed non æquè parent iræ. Ferunt enim, quæ juvenes non ferrent:

† lib. 3. od.

14.

Lenit albescens animos capillus

Litium & rixæ cupidus protervæ.

Non ego hoc ferrem calidus juventâs

Consule Planco.

Nimirum norunt senes, non adeo sibi proclivè esse alios ulcisci. Accedit, quòd naturæ frigus calorem ex ira proveniente[m] celeritè extinguit; unde fit, ut acutæ quidem eorum sint iræ, sed citò dissolvantur. Id voluit Aristoteles, cum scripsit, ἢ οἱ θυμὸν ἀφ᾽ ἑαυτοῦ μὲν εἰσὶν, ἀδελφοῖς δ᾽ ἢ. h. e. iræ senum acres quidem sunt, sed imbecilles. Confirmat hanc Aristotelis sententiam Lucianus †; quando expostulantem cum Iove Timonem inducit, quòd jam senex inultam hominum malitiam finat; cum longè iracundior fuerit in juventute. Audiamus ipsum:

† in Timone.

ipsum : Ἀμάρτῃ, ἢ ἀμβλυώπεις πρὸς τὰ γυμνάσια, ἢ τὰ σταεικνώματα, καὶ ἄπτε οἱ παρνεκνῆτες ἐπιτέρος γὰρ ἐπὶ, ἢ δξυδύμῳ ὦν, ἢ ἀκμαῖῳ πτωδύλῳ, πολλάκις ἢ ἀδίκων ἢ βλαίων ἰποίεις. At cecutis lippitudine. & alucinari ad ea, quae sunt, atque aures obscurare, sicut is, qui etate jam sunt confecti. Quandoquidem, cum juvenis fores, & acris animi, & praecepta ad iram, multa agebas adversus iniquos, & violentos. Et aliquando post: Ἐπιδειξάσθαι χαλῶν ἀνδραδῶν ἢ νέων Διός. Ostende iram aliquam strenui illius, ac juvenilis Iovis. In eodem etiam dialogo Mercurius ait Timoni : Ἀλλ' ἔα τὰ ὄργια ταῦτα, ἢ μετριώδην. Sed mitte iracunda haec, & juvenilia. Neque Aristoteli adversatur Ammianus Marcellinus, cujus illud lib. xxvii, ubi de ira Valentiniiani agit : Hanc esse animi ulcus diuturnum interdumque perpetuum, prudentes definiunt, nasci ex mentis mollitiae consuetum, id asserentes argumento probabili, quod iracundiores sunt incolumibus languidi, & foemina maribus, & juvenibus senes, & felicibus acrummoli. Non, inquam, adversatur ei, quod ante ex Aristotele retulimus, quia Ammianus videtur juvenes vocare juxta institutum Servij Tullij, quo juniores sunt usque ad annum xlv. Argumento est, quod Plutarchus, e cujus περὶ ἀφορησίας libro totus ille locus desumptus est, pro eo dixit, ἢ γέροντες ἀκμαζόντων ὀργιωτέρους. Confirmat quoque eandem rem illud Sophoclis apud Scholiastem Euripidis :

Ὁργὴ γέροντος, ὅσπερ μέγαν τοτὶς,
 Ἐν χειρὶ δὴρας, ἐν τὰ χειρὶ δ' ἀμβλυώδῃ.
 Senilis ira, mollis in gutta modum,
 Pungit manum, sed illico retunditur.

Ita Nazianzenus de Eusebio scribit, eum, cum rigidior fuisset olim, nunc senio malaciffari. ὁ σπινθὴρ σιδῆρος, inquit, πρὸς γέροντα μαλάσσει, ut ferrum igni, ita hic senio mollescit. Lucianus quoque in tyrannicâ collationem inter tyrannum, ac filium ejus, instituens, de tyranno ipso ait : Μοτερώτερος ἢ ὁ παρὲς ὅστις ἐστὶν ἡμεῶν ἀπολό, ἢ πρὸς τὰς ὄργας ἡπάτερ, ἢ πρὸς τὰς πολέους ἀμβλύτερος, ἢ πρὸς τὰς ἐπιθυμίας βραδυτέρος, ὡς ἐν ἡδῶ τῆς ἡλικίας τὸ γῆ σφοδρότερον τῆς ὀργῆς ἐπιχύσις, τὰς ἢ ἡδῶν ἀρβύλαις χαλινωγύσις. Porro senex longè fuit moderatior : quippe in ira mitior, in pœnis lenior, ad voluptates tardior : ut cui etas jam vehementiam appetitus cohiberet, ac cupiditates voluptatum refranaret.

Nec ei, quod vir eruditissimus, Hadrianus Junius †, scripsit, adversatur Aristophanicum illud in Vespis :

— τὸ γένος ἐὼ τῆς ὀργίης
 Τὸ σὺ γέροντων, ἐὼ δ' ἄμοιρον σφικτῶν.

* & senes sunt iracundiores is, quibus florida ac vitalis est aetas.

† procerbis Scavis ira.

— Qui senum irritat genus,

Perinde, quam si conciter vestras, agit.

Neque enim aliud innuit Comicus, quam quòd morosi sint senes, facileque irascantur; quòd Aristoteles quoque, & Sophocles, agnoscunt.

Præterea in juvenibus prolubium est, ac prolixus animus, magis que famâ, quam fame, commoventur, quia nesciunt, quid sit egestas. Vnde Horatio * juvenis dicitur,

* in Arte.

Vitium tardus provisor, prodigus eris.

At senes habent alios illiberaliter, atque, ut inquiebat ille apud L. Pomponium, Atellanarum scriptorem, rumorem parvi faciunt, dum sit rumen qui impleant. Norunt enim, quam difficilè pecuniæ acquirantur. Quod si quavis ætate difficile sit opes parare: quanto magis in senectute! Inopiam igitur timent senes; ad quam si redigantur, effœtis jam viribus, vitam tueri neutiquam possint.

* A. H. 5.

§. 3.

Atque hoc est, quod Terentius ait Adelphis *:

Solum unum hoc vitium affert senectus hominibus:

Attentiores sumus ad rem omnes, quam sat est.

Et Horatius in Arte:

Multa senem circumveniunt incommoda: vel quòd

Quærit, & inventis miser abstinet, ac timet uti.

Quod vitium jure taxat Cicero in Catone suo: *Avaritia senilis*, ait, quid sibi velit, non intelligo. Potest enim quicquam esse absurdus, quam, quo minùs via restat, eò plus viatici quærere?

Sed Simonides argutè hoc argumentum eludere conabatur. Si quidem rogatus, cur extrema in senectute ad rem foret attentior, respondit †, malle se defunctum opes relinquere inimicis, quam vivum egere amicis. Quo simul amicorum inconstantiam arguebat.

† Stobæus
serm. de In-
justitia &
avaritia.

IV. Iuvenes bonis sunt præditi moribus, quia omnia optimè interpretantur, *ἐκ ἑωυτοῦ ἐκ τῶν αὐτῶν ἀδιδίγματα ἀνομιὰς τοῖς παρῶσι*, non habentes in se ipsis exempla earum perturbationum, quas improbi; ut ait Plato lib. III. de Repub. At senes cuncta rapiunt in deteriori partem.

* nisi cum
P. Valerio
legere malis
versutilo-
quas.
Vide cū notis
in Demetriū
p. 157. edit.
Flor. Sed vi-
tiosi codices
Nonij cū de-
ceperunt.

V. Iuvenes sunt creduli, quia nondum sunt vulpionum dolis redditi cautiore. Senes sunt spe-*λυμανοι*, & ingeniati ad fraudes, atque, ut loquitur poëta apud Ciceronem, ad versutiloquas * malicias; ideoque etiam sunt suspiciosi: unde fit, ut, quos publicitus non vellicant, hos tacitè cogitationis convicio verberent.

VI. Iuvenes

VI. Iuvenes sunt *ὀβριπίδες* †, nec in maximis animum despon-^{† pleni bonis} dent : quod partim naturâ fit, quia multum habeant caloris nativi, *ἰσχυροί*.[†] partim experientiae defectu, quia non vident, cur hastas abijcere debeant, cum aut nunquam, aut raro, spe exciderint; partim ætatis privilegio, quia plurimum temporis residui habere sibi videantur. Ita de Alexandro juvene scribit Plutarchus in vitâ ejus, cum primum Perfarum oram conspexisset, quæcunque haberet amicis donasse; ac rogatum, quid sibi servasset, respondisse, *ἐλπίδα* †. E contrario † *ἰσχυροί*.[†] senes timidi sunt, tum quia calor naturalis in ijs refrigeratus est; tum quia sæpe spe sunt fraudati; tum quia pusillum id temporis esse judicant, quod restat. Quare & de præteritis gaudent sermones cædere; unde senex Horatio † dicitur *laudator temporis acti*. Ita † *in Arct.* Euander apud Maronem *VIRG. ÆN.* referre gaudet, quæ juvenis gesserat:

Qualis eram, cum primam aciem Præneste sub ipsa

Stravi, scutorumque incendi victor acervos,

Et regem hac Herulum dextrâ sub Tartara misi, &c.

Ac sæpe in eo, atque aded omni sermone, modum tenere nesciunt. Nempè à natura hoc ijs datum videtur, ut qui maximè possunt, alios etiam maximè aveant docere. Sanè Homerus quoque disertissimum Nestorem passim inducit verbosum: neque enim ausim cum alijs dicere *ἄσφαλιστόν* *. Ac contentim satis Menelaus apud Euripidem ait, Pelea senem nihil aliud posse, *ὡλὼ λήγει μόνον* †. Contentissimè autem Maximianus, qui vulgò diu creditus est Cornelius Gallus †:

Deficit auditor, non deficit ipse loquendo.

O solâ fortes garrulitate senes!

Sed etsi verissimum sit, senum nonnullos audientibus crucem figere longis logis suis: id tamen condonandum ijs, ob virtutes, quibus hoc vitium abunde compensant. Quin indignus videatur, qui ad senilem pertingat ætatem, si quis perferre nequeat hanc loquacitatem, eamque innoxiam.

VII. Iuvenes sunt verecundi, quia cum honestum & turpe distinguere per se nequeant, iudicium de eo ferunt ex prima institutione. At senes inverecundi sunt, quia, dum lucro omnia metiuntur, sæpe pudor & honestas per eos pedibus trahantur licet. Hinc Admetus parenti suo ait apud Euripidem †:

Φείδ, φείδ, τὸ γῆρας οἷς ἀναυδίας ἄλλοι.

Hec, heu, senectus plena ut impudentia est!

*† in Alce-
stide.*

† magna-
nimi.
* in Arte.

VIII. Iuvenes sunt μεγαλήτοχοι †, sive, ut Horatius * pro eo dicit, *sublimes*. Senex verò

-- res omnes timide gelideq; ministrat:

* *ibidem*.
† in Terpsio-
phorc.

ut idem * inquit. Imò sæpe nec tentare aliquid audet, quale res requirat. Exemplum habemus apud Herodotum †, in convivio, quo Amyntas, Macedoniae rex, excepit Persas. In quo cum Persæ impudicè attrectarent feminas, Α'μύντης ἤ ταῦτα ὀρέων, ἀπείμας εἶχε, καί τις δυσφορέων, οἷα ἕσθ' δειμαίων τὸς Πέρσας. Α'λέξανδρος ὃ δ' Α'μύντω, παρὰν τὰ καὶ ὀρέων ταῦτα, ἄτε νῆος ἢ ἰῶν κακῶν ἀπαθῆς, ἐδάμωσ' ἔπ κατέχων οἷος τ' ὤ. Amyntas quidem ista videns, etsi agre ferret, se tamen continebat, quia Persicum nomen supra modum metueret. At Amyntæ filius Alexander, cum adesset, & hac cernebat, nequaquam potuit ea perferre: quippe qui adolescens esset, nec malorum expertus. Vbi causam etiam apponi videmus hujus diversitatis. Nempe quòd adolescentes nihil aduersi ferant in vita: senes verò, multis malis edocti, sciant, quantis periculis obnoxia sint humana omnia. Cui causæ addere possumus alteram à temperamento, quia senibus frigus, sanguinem condensando, ingenium etiam obtundit. Ab utraque hac causâ est sollicita aded cogitatio, quæ efficit, ut etiam tuta anxie circumspiciant, ac sæpe nimio pavore præclara quoque consilia corrumpant. Ita abfuit parum, quin Fabius Maximus Cunctator consilium Scipionis de transferendo in Africam bello, quo rem ille Romanam penitus restituit, eò eversum iret, quòd meticulousè nimis pericula omnia expendere. Quare etsi senes, ob longam rerum experientiam, magnificè de se sentiant, ac sæpiùs juvenum consilia habeant despiciatui: interdum tamen magnos juvenum animos præferre convenit curæ senum, plusquam satis est, accuratæ.

IX. Iuvenes honestum præferunt utili, rectam secuti indolem, & mustæ ætatis, ut Nævius appellat, salutaria documenta. At senes utile præferunt honesto, quia nihil in vitâ habent carius vitâ, cujus parum superest.

* amicis
amicis.

X. Iuvenes sunt φιλόφιλoi *, quia societate gaudent, & amicitias honesto potiùs, quàm utili, metiuntur. Senes, ex regulâ Biantis, amant tanquam aliquando osuri, & oderunt tanquam aliquando amaturi.

* nequid
nimis.

XI. Iuvenes plurimùm transgrediuntur præceptum illud Chilonis, μηδ' ἐν ἄγαν *. Peccant enim semper in excessu; cujus etiam argumentum est, quòd omnia ut certissima asseverant, At senes peccant

cant in defectu. Iidem crebrò decepti, ut plurimàm in sermonibus addunt illud τάρχα †.

† forsan.

X II. Iuvenes sunt quidem μεγαλαδικητικοί, h.e. vehementer proni ad injuriam inferendam: verùm contumeliæ potiùs, quàm malitiæ causâ, alios mactant infortunijs: unde Ælianus, ludens epistolâ Oporæ ad Dercyllum amatorem, vinum quoque novum ait contumeliosum esse ob ætatem: καὶ οὐδὲ ὑβείσης διὰ νεότητα. Contumeliæ autem causâ fieri dicitur: quòd fit ob voluptatem, quam quis ex eo percipit, quòd videatur ἄλλων παρήγειν*. Ita Alcibiades Hippo-
nico, viro & genere, & opibus præstanti, colaphum impigit, ἔχ' ὡς ἄργυρος, ἢ διαφορῆς τιπὸς σεραχιδίς, ἀλλ' ὅτι γέλωτι συνδέμεθα ὡρὸς τῆς ἑταιρίας †: ut in Alcibiade scribit Plutarchus. At senem dispar ratio, qui magis injurijs sunt ob malitiam, quàm ob coatumeliam.

* alius esse præstantior.

† nonira, aut similitate impulsi, sed cum per ludum castigatissimè id cum senilibus.

X III. Iuvenes sunt misericordes, quia ex suo ingenio de aliorum judicant innocentia. Nam, ut Tullius ait ad Quintum Fratrem, *Vt quisque est vir optimus; ita difficillimè, esse alios improbos, suspicatur.* At senes misericordes quidem sunt: sed ideo, quia ob infirmitatem suam metuunt, ne simile sibi immineat.

X IV. Iuvenes etiam sunt propensi ad risum, eoque etiam ad dicacitatem. Ac senes facetias aspernantur: quippe ἄδυστικοί, καὶ οὐλαίτιοι, hoc est, *difficiles, queruli*, ut Horatius † expressit. Ac Sillio* similiter dicitur *queribunda senectus*. Eò autem queruli sunt & morosi, quia, ut Tullius † inquit, *contemni se putant, despici, & illudi*. Atqui, ut continuò addit, *in fragili corpore odiosa omnis offensio est*. Tales autem qui sunt, non possunt esse ἐντεταμένοι καὶ φιλογέλοιοι*. Siquidem ἐναντίον † τὸ ἄδυστικὸν τῷ φιλογέλωτι, ut Aristoteles ait. Quare causa hujus diversitatis est, quòd bona ætas, ut Tullio* juvenus vocatur, & animo, & corpore viget vegetque, & voluptatibus fruitur. Contrà senectus, quæ mala ætas dicitur Accio †, Turpilio, Plauto, voluptatum est expert, viribus effæta, morbis obnoxia: ut conqueritur senex ille Menæchmis*:

† in Arte: lib. 13.

† in Catone Maiore.

* faceri, & jocosorum studio, & querulum, & jocosum, sunt contraria.

* in Cat. mai.

† Nomini id Senium.

* alt. 5.

-- Confitus sum

Senectute, onustum gero corpus, vires

Reliquere. ut atas mala, merx mala est ergo.

Accedit etiam ad cætera senectutis mala angor ille ex cogitatione mortis propinquæ. Vnde Tullius de Senect. *Quarta restat causa, qua maximè angere atque sollicitam habere nostram ætatem videntur, appropinquatio mortis, qua certè à senectute non potest longè abesse.* Nimirum senes sunt φιλόθνητοι †. Imò quòd morti sunt viciniore, hoc

† cupiditas vitæ.

sunt vitæ cupidiores. Cujus ratio est, quia cupimus ea, quibus destituimur. At, extremâ ætate, quodammodo caremus vitâ, quia tota jam quasi effluxit. Sed Cato apud Tullium in eo totus est, ut doceat, senectuti non esse timendam mortem, ac denique de se ipso concludit: *Quod si quis Deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repuerascam, & in cunis vagiam, valde recusem: nec verò velim, quasi decursò spatium à carcere ad calces revocari.*

Quod ad *adultum*, sive virilem ætatem, ea adolescentiæ errores videt, seque improvidè ad eò in multis egisse, multùm miratur, & propterea, quicquid à se peccatum fuit, emendare conatur. Nec jam acres ad eò sunt affectuum stimuli, quia fervor ille sanguinis remisit. Itaque ut ætas ea inter juventutem, & senilem, veluti in medio, constituta est: ita etiam intermediam obtinet naturam. Nam, quæ bona adolescentia & senectus habet divisa, ea vigor ætatis habet conjuncta: & quæ juvenus ac senectus habent in excessu & defectu, ea virilis ætas habet in mediocritate. E. G. Juventus, respicit honestum, non utile; senectus utile, non honestum; virilis ætas, & honestum, & utile. Hinc Horatius in Arte:

*Conversis studijs ætas, animusque virilis
Querit opes & amicitias, inservit honori,
Commisisse cavet, quod mox vitare labores.*

Juventus fortis est, sed intemperans; senectus temperans, sed timida; virilis ætas fortis, & sicca sobriaque. Juventus nimis credula; senectus nimis suspiciosa; virilis ætas pro rerum naturâ confidit aut diffidit. Et sic de cæteris. Atque hæc de morum discrimine, ratione ætatis. De quo ex Aristotele etiam hausit ea Elias Cretensis, quæ adfert commentario in orat. 1. Nazianzeni †. Nempè doctrina hæc utilis est non modò in foro, aut curia, sed etiam in ecclesia. Admodum præterea necessaria est poëtæ: quâ de re sic Horatius in Arte:

*Si plausoris eges aulaa morantis, & usque
Sessuri, donec cantor, Vos plaudite, dicat:
Ætatis cujusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor naturis dandus, & annis.*

†col. 62. &
63. edit.
Cland. Mo-
rell.

VII. QUID NOBILITAS SIT, ET QUOT
MODIS DICATUR.

POSTREMÒ differunt mores ratione nobilitatis, potentiæ, divitiarum, aut felicitatis. Quid sit nobilitas, pauci sciunt. Vulgò certè existimant, à Cæsare, aut Rege, quemquam nobilem creati; cùm insignia quidem nobilitatis conferre possint, nobilitatem non possint. Neque enim, si rex Neroniano, aut Phalarico præditus ingenio, nobilem porrò censeri velit jubeat hominem nihili, cujus sibi opera in sceleribus patrandis utilis fuerit, is nobilis iccirco judicari debet: quin nobilis, antiquitatis judicio, per se fit, qui tyrannum hunc è medio tollat; uti argumento nobis est Harmodii, & Aristogitonis exemplum. Est nempe nobilitas nominis splendor. Quippe, ut nomen, ita & nobilis à noscendo dicitur. Cùm autem & scelere quispiam nobilis dici possit, ea, quæ de hîc agimus, nobilitas, est claritas nominis cum laude conjuncta. Sed neque hæc nobilitas est uniusmodi; cùm quidam nobiles per se fiant, alij nascantur. Per se quis nobilis fit, tum eruditione, non illâ vulgari, ac prædagogicâ; sed præcellenti, quâ quis longè lateque nomen suum diffundit: tum virtute, non quidem eâ, quam in omnibus requirimus, qui probi haberi volunt, sed heroicâ, sui que in admirationem cæteros rapiente. Ita eruditione nobiles fuerè Homerus, Euripides, Maro &c. Virtute nobiles facti Iphicrates, Scævola, Sicinius Dentatus &c. Qui verò nobiles nascuntur, hi vel nobiles sunt antiquis divitijs; cujusmodi innumeros hodie videre est, qui nec ipsi memorabile quicquam præstiterint, neque laudare parentes queant factis illustres: vel, quæ potior nobilitas est, nati sunt majoribus, qui egregium sibi nomen pepererint. Ita apud Romanos nobiles censebantur, qui jus habebant ponendæ imaginis: id verò ijs duntaxat concessum erat, qui magistratum gesserant curulem: eo que hi nobiliores censebantur, quò atria pluribus insigniebantur imaginibus, quas poëtæ *ceras* appellant, quia nihil aliud erant, quàm capita pectore tenus è cerâ effigiata. Porrò horum quidem, qui nobiles nascuntur, alij sunt *εὐγενῆς*, sive nobiles solùm, alij etiam *γενναῖοι*, sive *generosi*. *Εὐγενῆς* Aristoteli † sunt, qui bono sunt nati genere, licet interim à majorum virtutibus deflectant: cujusmodi hominum nobilitas in astragalis sita est; ut de leviro suo dicebat Herodes Atticus apud Philostratum †: at *γενναῖοι* sunt, qui non degenerant, sed

† lib. 2.
Rhet. cap.
15. dist.
† in viis
Sophistarù.

* lib. 1.
cap. 1.
† nobilem.
‡ generosū.

sed majorum imitantur virtutes. Itaque & Aristoteles in historiâ animalium * leonem *λυγῆν* † vocat; lupum *λύπαιον* ‡. Sed & Latinis aliud est *nobilis*, aliud *generosus*: unde est, quòd in epist. Hypsipyles ad Iasonem conjungantur ab Ouidio;

Si te nobilitas, generosaque nomina tangunt:

Et hoc Juvenalis Sat. viii:

Felix, & sapiens, & nobilis, & generosus.

VIII. DE MORIBVS NOBILIVM.

I. **S**OLENT autem nobiles esse, ut Appuleianâ voce utar, honoratus est, studet addere. Putant etiam, sibi honores ob majorum virtutem deberi. Neque ipsi solùm sic sentiunt; sed aliorum idem iudicium esse vident. Seneca ipse lib. iv. de Benef. cap. xxx: *Aliquando, inquit, daturum me etiam indignis quadam non negaverim, in honorem aliorum: sicut in petendis honoribus quosdam turpissimos nobilitas industrijs, sed novis, prætulit. Non sine ratione, sacra est magnarum virtutum memoria: & esse plures bonos iuvat, si gratia bonorum non cum ipsis cadat. Ciceronem filium qua res consulem fecit, nisi pater? Pluraque ejusce generis exempla mox subiungit. Et convenit Asconij illud in orat. pro Scauro: *Quo generis claritas etiam inertes homines ad summos honores provexit.* Et Theodericus rex apud Cassiodorum lib. ii. epist. ii: *Non relinqui inglorios patimur, qui generis claritate prædicantur.* Et apud eundem Athalaricus rex lib. ix. epist. xxiii: *Quid P. C. de vobis iudicemus, expendite: cum ad summorum culmina dignitatum germinis vestri viros, quos nunquam vidimus, eligamus, non fastidio negligentia, sed honorabili præsumptione natura.**

‡ lib. 5.
animad. in
Ath. cap.
29.

II. Solent etiam alios nobiles aspernari; præcipuè, qui minùs antiquæ sunt nobilitatis, idque ut majores habeantur. Quod etiam in causa est, cur erga alios ferociùs se gerant. Vnde Socrates de se apud Platonem ait in Theæteto: *Ὡς ἐγὼ εἶμι ἥδε μάλα μάλα ἡραιὰς τῆς βλαστῆς φαιναρέτης. Sum filius obstetricis valde generose, ferocijs prædita animo Phenaretos.* Ita vocem *βλαστῆς* rectè transtulit Calaubonus ‡: quamquam propriè *βλαστῆς* est *torvitas*; unde & Athenæus reprehendit Platonem, quòd Socratem inducat matrem appellan-tem *βλαστῆν*. Sed immeritò; quia eò respexit Plato, quòd bene nati magnificè de se sentiant, cæteros verò ferociùs despiciant. Nempè hoc ijs quasi innatum est, ut ait Aristides: *Ἡ μεγαλοφροσύνη ἔμφυτον κτήμα τοῖς κρείσσοσι.*

Docent

Docent autem Physiologi, nobiles, si vigilantis fuerint naturæ, liberos ferè gignere similes; quorum tamen posterì paulatim degenerent: sin fuerint ingeniis excellentibus, gignere insanos ac furiosos; ut liquet ex posteritate Alcibiadis, & Dionysii maioris: si denique fuerint *σαίμας*, hoc est, constantes ac graves, interdum quidem procreare liberos agrestes, ac contumaces; (quos Plato in IX. de Legg. *νεροσβόλους* vocat à similitudine feminum, quæ quia primò in boum cornua inciderint, non consequantur à solo justum temperamentum, adeoque dura fieri existimentur, ut ne quidem molliantur, si aquâ macerentur, quemadmodum Etymologici magni auctor refert; quin etiam ignis injuriæ invicta resistent, ut scribitur quindecimo *Γεωπονικῶν*;) interdum vero producere liberos inertes ac stupidos; quomodo plurimi viri docti liberos habuerunt, alij parum acutos, alij dementientes, & à communi sensu sequestratos. Exemplum peti, cum ex alijs jubent, tum ex liberis Hippocratis; in quos dicta à Comicis jaci solita, non modò agnoscit Galenus *, sed & liquidò cognoscere est è Nebulis Aristophanis. Verùm hos alius fuisse Hippocratis liberos, argumento est, quòd Eupolis quòque eos perstringat. At hic decessit initio belli Peloponnesiaci: quo tempore, cum Couus ille vates vix annorum fuerit triginta, cui verisimile fiat liberos ejus Athenis incessi solitos, tanquam cerritos? Verùm alium quoque arietem intorqueamus. Nobilis illius Hippocratis liberi dicti Draco & Theffalus, fuereque & ipsi medici haut ignobiles, & medicorum parentes. At illi, qui à Comicis exagitantur, Telesippus, Demophon, & Pericles nominati; ut testatur Aristophanis scholiastes. Quare non Coi, sed Atheniensis cujusdam Hippocratis filij, ridentur à Comicis: quod & ipsum pluribus adferit Casaubonus lib. III. Animad. in Athen. cap. XVI. & Marfiliius Cagnatus lib. IV. Var. Observ. cap. I. Verùm, non quia in Hippocratis liberis falsi sunt, iccirco veris eos defici exemplis, existimari debet. Nam res comprobari potest vel exemplo è L. Seneca paullo antè adducto de Ciceronis filio: qui, ut M. Seneca ait Suaforiâ postremâ, nihil ex paterno ingenio habuit, præter urbanitatem. Sanè filium M. Ciceronis populus Romanus non agnoscebat loquentem: ut Sidenius Apollinaris à veterum quodam (nomen tacet) dictum fuisse, ait epist. XI. v. libri VII. Idem testatur Plutarchus in Cic. & B. Hieronymus ad Furiam. De ebrietate ejus, res nota è varijs: inter alios Plinio lib. XV. cap. XX. Sed Ciceronis filio non insitam: cum idem liquere possit è liberis Socratis, Aristarchi Grammatici, Cimonis, Periclis,

* lib. quod
animi motus
res etc.

Periclis, alijſque. Vide illuſtrem hæc de re locum Ælij Spartiani in Severo Imp. Cauſa verò ejuſce rei eſt, quodd natura in generando deficiat, & velut efforta reddatur. Per ſe quidem optimi ſibi proponit: verùm nihil ſub cœlo perpetuum eſt, omniaque ſinem ſortiuntur; unde fit, ut natura ſenſim deficiat in generatione præſtantium ingeniorum; quemadmodum in plantis exoticis videre eſt, quæ paulatim vigorem ſuum amittunt: item in equis è Theſſaliâ, aut Mauritanîâ, in Italiã adveçtis. Singulis enim octonis, aut novenis annis, alios equos equalque advehere neceſſe habent, quia abſque iſthâc renovatione deficeret pullorum generoſitas. Neque exiſtimandum, contradicere ſibi Ariſtotelem, eò quodd nunc quidem dicat, veriſimile eſſe, bonos bonis gigni; quia natura optimũ intendat: nunc aiãt, nobiles ut plurimũ producere liberos diſſimiles; quia nobilitas ſit multorum majorum virtus, ac multitudine illâ præſtantium majorum natura defatigata præſtantes ceſſet producere. Non, inquam, hæc pugnant, quia veriſimile etiã eſt, quod rarò fit, modò vulgò ut plurimũ fieri ſit perſuaſum: quomodo veriſimile eſt, oriente cometã mortem magni nominis principi portendi; item bubonem in tecto ſtridentem funus domo minari; quia ita autumat vulgus; quamvis rarò eventus huic opinioni reſpondeat. Adde quodd non temere hoc de nobilium liberis in vulgus perſuaſum eſt, cùm in cæteris rebus ita videat uſu venire, ut plurimũ fiat, quod natura intendit: quod verò hic aliter fit, id eſt ex accidenti, quia vires deficiunt naturam, producendo multos præſtantiffimos majores jam laſſatam, ut dicebamus. Et hæc de nobilibus.

IX. DE MORIBVS DIVITYM.

AT quos divitiã producunt, — ut Lucillij verbis utar, ſere abhorrent ab ijs, quæ lædere poſſint exiſtimationem. Debent autem hoc educationi honeſtã. Unde Xenophon penè initio libri de Rep. Athenienſium: *Ἐν τοῖς βελτίστοις ἐνὶ ἀκολασίᾳ τε ἀλιγίᾳ, καὶ ἀδύνατι, ἀκρίβεια δὲ ἀλείπει εἰς τὰ χρεστά: ἐν δὲ τῷ δήμῳ ἀμαθία τε ἀλείπει, καὶ ταξία, καὶ πονηρία. ἢ τε δὲ πονία αὐτὸς μάλλον ἀγαθὸν ἢ τὰ αἰχρῆ. καὶ ἡ ἀπαίδευσία, καὶ ἡ ἀμαθία δὲ ἐνδειὰ χρεμάτων (ἐνεστὶ) ἐνίοις τῶν ἀνθρώπων.* In optimatibus enim & divitibus minimum eſt intemperantia ac iniuſtitia; ſtudio verò accuratiſſimum rerum honeſtarum: in plebe verò eſt plurimum & inſcitia, & conſuſionis, & improbitatis. Siquidem paupertas eos magis adducit ad turpia:

εὐπρία: ac plerique ob pecuniarum penuriam non potuere liberaliter educari, beneq; institui. Interim & divitias magna vitia consequuntur. Adeo quædam (ut Eucherius ad Valerianum ait) *societas penè est etiam nominis duabus his rebus, vitijs, & divitijs.* Quà *παρηγοία* gaudet non semel Salvianus Massiliensis. Hujus & illud lib. vi: *Simul ut destiterunt esse divites, desinunt esse vitiosi.* Quæ vitia autem divitias sequantur, paucis nos docet Plutus ipse apud Lucianum in Timone: ubi sic loquitur; *Ἐπειδὴ πλεῖστον τῶν πτωχῶν ἀναπτάσας τῶν ὑγῶν εἰς δέχεται με, συμπαιροῦσθαι μετ' ἐμὲ λαδαὶ δὲ τῶν ὄντων, καὶ ἡ ἀνοία, καὶ μεγαλευχία, καὶ ἡ μαλακία, καὶ ὑβρις, καὶ ἀσάνη, καὶ αἰδῶ ἀπὸ τῆς μύσεια.* Postquam aliquis, qui me primo est adeptus, adaperitis foribus receperit, clam unà mecum ingreditur fastus, vecordia, jactantia, mollicies, contumelia, dolus, & alia id genus innumera. Sed de præcipuis istorum distinctius agamus.

I. Imprimis divites sunt *ὕβρισται* *: ut Aristoteles quoque ait. Elegans ideo decretum inferorum contra divites, qui in vita contumeliosè tractarint tenuis fortis homines, commentum videas Lucianum in *Νοκυομαντία*: in quâ inter alia ridiculè ait, hanc eorum poenam fore, ut animæ illorum in terram remissæ, quinque & viginti annorum *μυριάδας* † in asinis sint, unoque mortuo, in alium, atque alium, commigrent, oneraque ferant à pauperibus agitati, usque dum id spatium exspirârît, quod poenæ huic fuerat decretum.

* contumelia
lib.

† decies
millia.

II. Sunt etiam *ὕψιφρονες*, h. e. superbi. Vnde Salvianus lib. vi r: *Taceatur superbia, & tumor. tam peculiare hoc divitum regnum est, ut aliquid forsitan de jure suo se putent perdere, si hinc sibi alius quicquam voluerit vindicare.*

III. Præterea divites, juxta Aristotelem, ut plurimum sunt *σαλακίαντες καὶ σβλήκοι*. i. Salaconis illius instar, qui cùm pauper esset, ditissimus videri affectabat †, arrogantes, multaque in moribus peccantes. Nam cornua tollunt propter opes, quia autumant, se possidere, quibuscumque ad vitam beatè degendam opus est; aut si quid deest, id pecuniâ faciliè acquiri posse. *Omnis enim res Divitijs paret*, ut ait Horat. lib. i r. Satir. r r. sapientia quoque ipsa, ut statim subjungit. Huc pertinet illud Pindari in Nemeis: *Ἐστὶ δ' ἐν ἐπιτυχίᾳ πανδοξίας ἄγρον.* Felicitati ac divitijs summæ inest sapientia opinio. Item versus isti Ennij, quos ab Euripide Iambis expressos in Hecubam suam Trochaicis transtulit versibus;

Hæc tu etsi perversè dices, faciliè Achivos flexeris.

Namque opulenti cùm loquuntur pariter atque ignobiles,

Q9

Eadem

Eadem dicta, eademque oratio aqua non aquæ valet.

Quamquam hi sanè versus parum faciunt ad præfens institutum, si cum Alciato legamus, *Nam cum opinati loquuntur.* Vulgata quidem lectio, quam & H. Stephanus retinuit in sua Agellij editione, defendi nequit, cum versus pravo malè talo incedat. Ea enim habet, *Nam cum opulenti loquuntur.* Si cum Alciato legamus, *opinati*; jam ab accusatione Agellij vindicatus fuerit Ennius, quod *res donatæ* verterit *opulentos*. Sunt enim *opinati*, qui in magnâ sunt opinione atque existimatione: unde *opinatissimi auctores* apud eundem Agellium, qui summæ sunt auctoritatis. Vide Alciatum lib. VII. Παισιγ. Iuris cap. XII.

* lib. II.
cap. 4.

IV. Molliter etiam divites se habent, ac luxuriosè; idque ut se hoc pacto ostentent. Iuvenal. sat. VI:

*Prima peregrinos obscena pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt secula luxu
Divitia molles.*

* lib. 3. de
raptu Pro-
serp.

Nempe, ut apud Claudianum * est,
-- *humanas oblimat copia mentes.*

V. Sunt & jactabundi, quia etsi revera sit angusti abjectique animi divitias mirari: tamen (ut Petronij verbis utar) *qui solas exstruere divitias curant, nihil volunt inter homines melius credi, quam quod ipsi credunt.* Adde quod præter se vident, non modò *res æque* atque in trivio natos; sed eos etiam, qui sapientes habentur, divitias suspicere: unde & Simonides, rogatus ab Hieronis conjuge, utrùm sapientes præstarent, an divites; divites respondit, cum sapientes semper in vestibulis divitum conspiciere sit. Quod si quidem ita, uti dixit, sensit Simonides, optimo jure reprehenditur hoc nomine à Platone lib. VI. de Rep. Melius Aristippus Cyrenaicus, qui Dionysio tyranno rationem quærenti, cur sapientes præ divitum foribus conspicerentur, non item hi ante fores sapientum; in causâ esse respondit *, quod sapientes, qui plurimum pauperes sunt (nam, ut Petronius ait, *nescio quomodo bona mentis soror est paupertas*) satis intellexerent, quibus egerent; divites non item.

* Laert. in
Aristippo.

VI. Divites etiam se dignos judicant imperio, quia in publicis muneribus opulenti præponuntur pauperibus: quod non frustra fit, cum in magistratu sinistram gignere possit opinionem tam inopia, quam avaritia. Equidem cum Sulpitius Galba, & Aurelius, in Senatu contenderent, uter adversus Viriatum in Hispaniam mittendus esset; rogareturque Scipio Æmilianus, cujus hæc in re senten-

tiae foret; *Neutrum*, inquit, *†* *mibi mitti placet quia aliter nihil habet;* *† Val. Max. lib. 6. cap. 4.*
alteri nihil satis est; aequè malam licentis improperij magistratam indicans in-
opiam, & avaritiam.

Omniun̄ autem vitiosissimi, & maximè insubidi ac insolentes sunt *οἱ νεόπλετοι* *. Quod suavissimâ, de Mella & Cæpione, narra- ** quibus recentiores sunt divitias.*
 tiuncula ostendit Joannes Barclaius in Icone animorum cap. XIV. *† quibus hanc consi-*
 Videlicet fortunæ subitæ ita inebriant homines, ut non sint, qui *gerit insti-*
 prius fuerunt. Accedit, quodd *νεόπλετοι* sæpius sunt *ἀπὸ δόξης* †: unde *entio.*
 est, quodd non modò *παροϊνῶ* gaudent ac lasciviâ; sed etiam nesciant ** quibus præca sume divitias.*
 rationem tractandi divitias. Nam *ἀρχαίοπλετοι* * majorum exemplo ** manâci*
 & institutione magis norunt modum conservandæ & augendæ rei *† in epiphora*
 familiaris; unde & deparci ac vulturij esse solent. Sicuti enim *† Juvenalis*
πρῶτον δὲ λωπῶν *, ut Aristophanes † appellat, hiras semper latrantes *sat. 14.*
 habent; ita nec divites ferè istiusmodi ullis opibus expleri possunt;
 sed *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit* †.

X. DE MORIBVS POTENTIVM.

POTENTES (quibus ab Aristotele opponuntur *ἀδωῶτοι*; Cicero *† lib. 2. ad Att. epist. 9.*
 pro Muræna *impotentes* vocat) non tantùm æstimantur divitijs; *† bis in iis*
 sed etiam *τῆ δωῶμα*, five *opibus*. Ita Latini potentiam vocant, quæ *purpura.*
 in amicorum, sociorum, servorumque multitudine sita est. Imprimis autem potentes dicuntur, qui funguntur magistratu. Eorum quidam, qui, ut de Vatinio dicebat Tullius †, strumam, h. e. turpia *† lib. 2. ad Att. epist. 9.*
 sua facta, *διδάσκει* † vestiri & occultari putant, divitibus sunt peiores; *† bis in iis*
 quia, quod libet, licere autumant. Arbitrantur enim, ut egregiè ob- *purpura.*
 servavit Tullius pro Quinctio, *sine injuriâ potentiam levem atque in-*
opem esse. Sanè contumeliosos esse in eos, qui tenuioris fuerint for- *† lib. 2. ad Att. epist. 9.*
 tis; indicat quoque hic Luciani locus in dialogo Junonis & Lato- *† bis in iis*
 næ: *μέγα, ὦ Ηρα, φοροῖς, ὅτι ξυῖ τῷ Διὶ, καὶ συμβασίλεις αὐτῷ, καὶ διὰ τὸ τοῦ θεοῦ ἀδωῶς*. Valde elato animo es, inno, quodd confuscas cum Iove, & *† pag. 155. ed. H. St.*
unâ cum eo regnes, atque hac propter absque metu contumeliosa es. Neque *† pag. 155. ed. H. St.*
 intra contumeliam se continent: sed damno etiam afficiunt. Meritò itaque Critias, qui unus è triginta Atheniensium tyrannis fuit, teruis loci hominibus tutum negabat, ut cum potentibus rem haberent. Id enim significatur illo ejulse dicto apud Platonem in Charmide †: *Μὴ κατῆναντι λῶνται* * *νεῦρος ἴσως μοῖστῃ αἴρεσι κρεῖων*. Ne, si hin- *† pag. 155. ed. H. St.*
 nulus sis, cum leone carnivium sortire portionem. Neque potentes, eos, *† pag. 155. ed. H. St.*
 quibus antistant, damno solùm mactant; sed bonis quoque planè *† pag. 155. ed. H. St.*

exuunt, ut meritò veteri verbo piscium vitam vivere dicantur.

† Margopo-
li.
* in Com-
ed.

Scitè hanc rem expressit M. Varro † apud Nonium *:

Naturâ humanis omnia sunt paria.

Qui pati, plus urget; pisces ut sape minutos

Magni comest, ut aves enecat accipiter.

Sanè solis in legibus impotentiores contra potentes præsidium ac fiduciam omnem repositam habent: ut his id verè sint leges, esse sanè debeant, quod palumbi laurus, cornici verbenaca supina, a- quila callitrichus, turdo myrtus, aut alaudæ gramen: quæ animan- tibus hisce esse amoletum quoddam, ex Zoroastre mago libro quin- etodecimo scribit Cassianus Bassus, vel quisquis auctor *ἡσπορικῶν* Constantino Cæsari adscriptorum. Quid quòd, proh dolor, nec in ipsis legibus sat præsidij reperiunt impotentiores? Quippe nec has reverentur potentes, suâ suorumque potentiâ subnixi. Itaque & Anacharis * leges aranearum retibus comparabat; in quæ si minores incidierint muscæ, retinent; majores verò ea perumpunt.

* Plutarchus
in Solone.

Quamquam verò hæc ita sunt, tamen negare non possumus, ple- rosque omnes potentes pleraque omnia habere magis laudabilia. Neque enim tam pecuniam appetunt, quàm honorem; ideoque con- tantur sibi demereri alios, à quibus *τίμω*, sive *domini* salutentur. Sunt etiam animis fortioribus, plusque adhibent industriæ. In gra- vitate ita colunt virtutem, ut magis se cœtent dignitatem. Ad in- jurias inferendas proclives sunt; sed potius in rebus maximis, quàm levibus: quomodo Eteocles apud Euripidem Phœnissis ait;

Εἴ τις ὃ ἀδικεῖν χεῖρ, περὶ τοῦ θεοῦ

Κείνησιν ἀδικεῖν τ' ἀνα δ' ἐνοχέω χεῖρ.

Nam, si violandum est jus, regnandi gratiâ

Violandum est: alijs rebus pietatem colas:

prout transfert Tullius lib. III. Offic. Vide etiam sis, quæ de prin- cipum, optimatum, judicum moribus, scribit Ioannes Barclaius in Icone animorum cap. XIV. & XV.

XI. DE MORIBVS FORTVNATORVM.

FORTVNATI (cujusmodi etiam dicimur formâ, conjugio, li- beris) partim nobilibus sunt meliores, partim deteriores. Me- liores, quia magis sunt li. iosi, ed quòd fortunam, quâ aucti sunt, rectè à Deo sibi obtigisse itatuant; contra quàm illi, quibus *τύχη* †. Deteriores verò sunt, quia dulci fortunâ ebrij, (ut de Cleo- patrà

† fortuna
rerum do-
mina.

patrâ dixit Horatius *) magis sunt inflati, temerarij & impotentes. * *od. 37.*
 Vt rectè scripserit Archytas Tarentinus lib. de bono & beato viro: *lib. 1.*
 Ε'πιδυτικοί † ἢ Δυρακίλοι τῶν πρῶτων, ἐτυχεύοντες. Ita Minucius equitum † *felices*
 magister, cum parvâ manu victoriam quandam reportâisset, succes- *sunt injurij*
 su hoc elatus, non dubitavit, quamvis impar, toto exercitu cum *& confidentes.*
 Annibale depugnare. At & se, & exercitum perdidisset *, nisi præ- ** Polybius*
 senti periculo fuisset liberatus operâ Fabij Maximi. *lib. 3. Li-*

Istiusmodi igitur moribus præditi sunt *Potentes, dites, fortunati,*
nobiles; quo ordine hos ipsos conjungit Terent. in Adelphis. Qui *Plut. in Fa-*
 verò opponuntur, contrario modo affecti sunt. *bio 6.*

XII. EPILOGVS DOCTRINÆ DE MORIBVS.

ET hæc de Inventione morum; quæ cum oratori omnino neces-
 sariæ sint, spissus est ille error Quintilianii scribentis, doctrinam hanc sine damno omitti posse. Nam cum homines assentiantur orationi moribus suis accommodatæ; variant autem mores eorum pro affectuum, habituum, ætatis, ac fortunarum varietate: quis non videt, planè hujus doctrinæ notitiam exigi in oratore, quòd, pro auditorum diversitate, diverso utatur orationis genere? Aristoteles; *Ἄπὸ ἐξουσίας πάντες τὴν τῶν οἰκτιρῶν ἰδέει λεγούμενοι λόγους ἢ τὴν ὁμοίους: approbant omnes eas orationes, quæ moribus suis conveniant ac similes sunt.* M. Antonius apud Cic. lib. 11. de orat. *Tantum efficitur sensu quodam ac ratione dicendi, ut quasi mores Oratoris effingat oratio.* Nec aliter in poematis comparatum: ut Horatius agnoscit, cujus verba superiùs * adduximus. Quod verò idem Fabius, infinitam esse hanc * *Sec. 6.*
 doctrinam, asserere non dubitat; aliquid videri potuisset, si ignorabilis fuisset ejus ævo liber Aristotelis secundus, quo ea ad certa genera ac capita referri, sciunt nò modò, qui eum legerunt, lectionem iterarunt, tertiarunt, (quod ejus meretur præstantia) sed etiam, qui vel tanquam per caliginem inspexerint. Qui adversus Aristotelem conjurarunt, hi Quintilianum, contra quem ipsum quoque * *Plinius*
 libris integris calamum strinxerunt, hæc in parte sequi malunt, quam *Mercat.*
 Aristotelem. Verùm quemadmodum sol geminus non est, neque *act. 1. sc. 2.*
 Thebæ sunt geminæ, et si furenti Pentheo videantur: ita neque hæc *& in vet. inscriptionis*
 vel inutilia, vel alius loci existimari debent, licet istiusmodi esse *collectione*
 stupor hominum credat. Equidem non ijs, calidam ut picem potent (quod imprecari olim inimicis solent *) verùm sanio- *Grucriana, pag. 1191. m.*
 rementem. *script. 2.*

DE LOCIS COMMVNIBVS, DEQVE ARGV-
MENTATIONE, ET AMPLIFICA-
TIONE.

PRÆTER locos cuiuslibet causa generi peculiare, adenda quoque est
sylvæ communis locorum in omnes causas. Loci istiusmodi, ut superius
diximus †, sunt duo; Possibile, & impossibile; Magnum &
parvum.

* lib. 2. cap.
† scilicet 3.

*Locus Possibilis, & impossibilis trifariam consideratur. Nam vel docet r
aliquid factum, aut non factum; vel fieri posse, aut non posse; vel, -
turum, aut non futurum. Factum, aut non factum, maxime proba-
tur in genere Iuridicali: fieri, aut non fieri posse; item, ecquid futu-
rum sit, aut non futurum, imprimis ostenditur in Deliberativo.*

*Magnam etidem, & parvum, potissimum ad genus Demonstrativum
pertinent.*

*Quemadmodum autem hi argumentorum loci ita sunt communes, ut uni
causæ generi magis competant, quam alij: ita enthymema etiam, &
exemplum, pertinent quidem ad omnia dicendi genera, sed gradu dis-
pari: cum enthymematis magis utamur in genere Iuridicali, exem-
plis autem in Deliberativo.*

I. DE ARGVMENTIS, QUÆ PETVNTVR
E LOCIS COMMVNIBVS.

CAP. XXV. lib. I. I. * aggreditur Aristoteles tractationem loco-
rum communium. Nam, ut supra † ostendimus, loci alij sunt
singulis causarum generibus proprij, de quibus fusè ab Aristotele,
& nobis, actum est lib. I: alij sunt omnibus generibus communes;
de quibus nos strictim cap. I I. lib. I. plenè verd Aristoteles hoc lo-
co. Sunt autem hi duo. Prior est, quia quid fieri potest, aut non
potest; τὸ δυνατόν, ἢ ἀδύνατον. Δωσάτων aliquid esse, non uno ostendi-
tur modo. Nam vel ἀπλῶς monstramus, aliquid fieri posse; vel spe-
ciatim probamus, aliquid aut factum esse, aut futurum. Alij hæc
ad tria referunt tempora. Nam ratione præteriti ostendimus ali-
quid factum; ratione præsentis, aliquid posse fieri; ratione futuri,
aliquid fore. Neque malè, qui tres distinctos hæc locos faciunt,
ut in

* sive iuxta
vulgarem
distinctionem.
cap. 18.
† lib. 1.
cap. 2. scilicet.
5.

ut in uniuersum sint quatuor loci cōmunes; de eo quod fieri potest, de factō, de futuro, & de magno ac paruo. Locos autem uulgarī notione appello summa inuentionis capita, & genera uniuersa, quæ à Boëthio dicuntur differentię primarum & maximarum propositionum. Sed Aristoteli loci sunt axiomata ipsa: quod idem Boëthius cūm alibi indicat, tum in Top. Cic. lib. i. his uerbis: *Maximas igitur, id est uniuersales ac notissimas propositiones, ex quibus syllogismorum conclusio descendit, in Topicis ab Aristotele conscriptis locos appellatos esse, perspeximus. Quod enim maxima sint, id est uniuersales propositiones; reliquas in se, uelut loci corpora, complectuntur: quod uerō notissima atque manifesta sint; fidem questionibus præstant, eoque modo ambiguarum rerum continent probationes.* Huiusmodi axiomatum, siue maximarum propositionum syluam adfert Aristoteles in quatuor locis antè memoratis. Ac in tribus quidem prioribus, nempe eo quod fieri potest, factō, & futuro, axiomatum siue canonum syluam apud eum uide cap. xxxv*, & duobus sequentibus. Erant fortasse, qui existiment, omnem eam propositionum syluam hic etiam legi debuisse: cæteroquin mutila fore, quæ de inuentione tradimus. Sed profectō, cui grave fuerit subinde consulere principem artis nostræ uirum, imō naturæ miraculum, is mihi indignus uideatur, cuius causā me excusando onerem, ut alterum labore leuam inquirendi. Faciant hoc, atque omnia bene dicta, etiam apertissimè exposita, cum puluisculo in areas suas conuerrent, quibus studium est Aristotelem, uel alios ueterum, excutere de manibus adolescentiæ. Mihi uerò abunde honoris habebitur, si unā cum antiquis legar: in quos nostra aliquando breuis introductionis; aliquando uerò uberis commentarij loco erunt.

De magno & paruo agendum Aristoteli erat cap. xxxviii†. sed remittit in hoc lectorem suum ad caput xxvii* lib. i. ubi ubertim tractauit de bonorum magnitudine; ex quibus cognoscere est, quid magis minūse sit honestum, utile, aut æquum. Fortasse autem subeat quemquam admiratio, quod in tractatione generis deliberatiui non rejecerit magni & parui doctrinam in hunc locum: aut inibi, cūm ageret de magno & paruo, non simul tractarit de altero loco communi, qui est *δυνατόν & αδυνατόν* †. Sed profectō hæc quoque in re meritō nobis Aristoteles Polycleti norma est. Quippe, cur de possibili & impossibili in genere deliberatiuo tractaret, causæ nihil erat. At iusta ratio fuit, cur ageret de magno & paruo. Nam finis generis deliberatiui est bonum: id autem ut cognoscatur,

† pag. 767.
edit. Bas.
Henrici
Petr.

* iuxta
uulgatam
distinctionem.
cap. 19.

† uulgo
cap. 89.
* uulgo
cap. 7.

† possibile
& impossibile
bile.

scatur, tum absolutè, tum relativè considerari necessum fuit; ac proinde id spectari debuit ratione magnitudinis. At ecce, aliud quoque amentant argumentum. Libro primo, inquirunt, de magno & parvo solum ratione generis deliberativi actum est: hic verò de ijs generatim tractandum fuit, propter genus demonstrativum, & juridiciale. Verùm facile est nobis hanc quoque, ut facer poeta † loquitur,

† Prudentim.

--- lateris sinuamine flexi

Ludere ventosam, jactu perente, sagittam.

Nam Aristoteles in genere deliberativo agit de bonorum magnitudine: at honestum, qui scopus est demonstrativi, & justum, quod generis juridicalis finis est, comprehenduntur sub bono. Quocirca de magnitudine ac præstantiâ velle hoc loco ediffertare, id verò, ut Aristoteles ait, sit *νεολογείν*, atque inanes sermones fundere.

II. DE RATIONE ARGUMENTANDI PER EXEMPLA, SEV VERA, SEV FICTA.

HACTENVS à nobis, qui Aristotelis ductum sequimur, actum est de argumentis *ἱθυκοῖς*, *παθητικοῖς*, & *σποδεικτικοῖς*; ijsque tum proprijs, tum communibus. Huic doctrinæ subjicit Aristoteles cap. xxxix †, quæ ad varia pertinent genera argumentandi. Hujus etiam partis prima ducam lineamenta, hanc secus atque fit in picturis, quas Græci *μορογράμματα*, ac fortasse etiam *ἑσολίσματα*; Latini, si vera est doctissimorum hominum suspicio, subleitas vocant.

† sive cap. 20. dist. 20.

Duplex imprimis est apud Oratores argumentationum forma: *ἐπιθυμηματικῆ*, & *ᾠδεδευματικῆ*: prior probandi ratio est certior: at, quæ per exemplum fit, planior est. De posteriori hoc prius dicam.

Exemplorum aliud historicum sive factum, aliud fictum.

Historicum dicitur, quod affert res gestas: velut, cum negatur permittendam, ut Rex Persarum in Ægyptum veniat, quia cum Darius, & Xerxes, Ægyptum occupassent, in Græciam cum exercitu trajecerunt.

Fictum est duplex; *παραβολή*, quæ Ciceroni similitudo, aut collatio; & *λόγος* seu *μῦθος*, qui Latinis fabula.

Παραβολή est, cum similem casum fingimus: ut, si quis ostendat, magistratum non forte, uti fit, ubi penes populum imperium est, sed suffragijs constituendum: nam si forti committatur, tantumdem fore, quàm si illi, quorum nomina forte ex urnâ exierint, athletæ consti-

constituantur, aut naucleri; quâ ratione fortè futurum est, ut is athleta, aut nauclerus designetur, qui gladiatoris, aut nauticæ artis, fuerit ignarus.

Μῦθος seu fabula rectè ab Aphthonio, & Theone in Progymnasticis, definitur, *ἄλογος ψευδὴς ἐπινοήσεων ἀλλήθια*. oratio falsa representans veritatem. Talis est illa, quam expressit Horatius epist. x. lib. i.

*Cervus equum præsignâ melior communibus orbis
Pellebat: donec in certamine longo
Imploravit opes hominis, frenumque recepit.
Sed postquam victor violens discessit ab hoste:
Non equitem dorso, non frenum depulit ore.*

Vfus est Stesichorus*, cum autor fuit conterraneis Himerensibus, ne, si vivi videntisque perire nollent, Phalaridi, quem jam ducem exercitus summo cum imperio crearent, præsidium quoque ac custodiam corporis darent, quibus postea abufurus esset ad occupandam tyrannidem.

Varie autem sunt *ἄλογα* seu fabularum species. Vocantur enim *Æsopicæ*, *Libycæ*, *Sybariticæ*: itemque *Phrygiæ*, *Ciliciæ*, *Caricæ*, *Ægyptiacæ*, *Cypriæ*. Dicuntur verò ita ab auctore, vel natione, à quâ fabulam accepimus. Nam suæ sunt singulis nationibus fabulæ, quas viri eruditi scriptis consignarunt, addito eorum nomine, à quibus manassent. At qui materiâ fabulas istiusmodi differre putant, plurimum fallunt; imò, ut Theon in Progymnasticis scribit, *ἔστιν ὁμοίως ὑπολαμβάνειν δοκῶσιν* *. Ex his est Græcus Aristophanis interpres in *Vespas*. Sed cum perperam is locus in vulgatis codd. legeretur, emendavit eum Scipio Gentilis lib. i. *Παράση*. cap. xxv. ubi & sententiam refutat Natalis Comitis, qui corrupto scholiastæ loco deceptus videtur. Etiam specie has fabulas distingxit Aphthonij interpres, qui sic scribit: *Ἰστορὸν ὅτι εἰσὶ τινες, οἱ εὐβαρῆτι μὲν κύνες λέγουσι, τὸς ἐκ μέσων ἀλόγων ζώων. Αἰσωπῆτις δὲ τὸς ἐξ ἀλόγων ἢ λογικῶν συγκειμένους. Λυδίους δὲ, ἢ Φρυγίους, ἢ Λιβυκούς, τὸς ἐκ μέσων ἀλόγων ζώων. i. Sciendum esse, qui Sybariticæ fabulas vocent, quæ solum sunt de animalibus ratione præditis: *Æsopicæ* verò, quæ & rationalibus constant, & ratione destituentibus: *Lydiæ* autem, & *Phrygiæ*, & *Libycæ*, quæ solum sunt de ratione carentibus. Verum falluntur hi, quia, ut bene scribit Theon, *ἐν πᾶσι τοῖς παραρημῆσι εἰσὶ ἀπασῶν αἰθῶν* in omnibus prædictis omnes istæ formæ insunt. Et hæc de fabulâ. Plura qui de exemplo volet, è junioribus adeat Rodolphum Agricolam; è veteribus, auctorem ad Herennium,*

* *Avist. 2.*
Rhes. cap.
39. at
vulg. 20.

* *pag. 2. 2.*
edit. Basil.
* *stultè*
sentire cui.
dentur.

* *pag. 3.*
edit. Ald.

rennium, Quinætilianum, Ammonium, Suidam in *περὶ δευτέρου*. Etiam videat, quæ de tribus exemplorum formis adfert Aristoteles cap. xxxix *: quo etiam docet, quomodo, & quando, ijs utendum sit. Nobis enim tantum per ea desultorium in modum decurrere animus fuit; quomodo, ut ait togatorum doctissimus †,

* vulg.
cap. 20.
† apud No-
nium in
Tipulla.

--- *Leuis*

Tipulla lymfōn frigidus transit lacus.

III. DE RATIONE ARGUMENTANDI A
Γ Ν Ω Μ Η, SIVE SENTENTIA.

VENIO ad alteram argumentandi formam, quæ est *ἐνθυμηματι-
νή*. Ad enthymema verò Aristoteles etiam *γναμολογίας* refert: cuius ratio est, quoddam ferè enthymematis antecedens sit *γνώμη*; inter-
terdum & consequens. E. G. Vim vi repellere licet. Non igitur committit latrocinium, qui vim vi repellit. Hic utraque enthymematis pars seorsum accepta *γνώμη* est. Est autem *γνώμη* generale pronunciatum de rebus actiones spectantibus, sive eligendis, sive evitandis, ad usus humanos. Autori Rhetoricorum ad Herennium sententia definitur oratio sumpta de vitâ, quæ aut quid sit, aut quid esse oporteat in vitâ, breviter ostendit. Talis est illa Euripidis in Medæa:

Χρὴ δ' ἔπειθ' ὄσως ἀγρίων πείθου ἀνδρῶν,

Παῖδας πολέων ἐπιδάσκειναι σοφίης.

Nequaquam oportet, qui sapiunt, vulgò ut suos

Sapientiores ille eddat liberos.

At Enthymema fit ratione additâ, quæ istiusmodi est apud Euripidem:

Χωρίς δ' ἄλλης ἢς ἔχουσιν ἀργίας,

Φθόρον πρὸς ἀσώτων ἀλφάρευσι δουραστῶν.

Nam prator hancce, quam jam habent, ignaviam,

Invidiam idem civium inveniunt gravem.

Verisimile autem fit, hâc re adductos inductosque esse, qui dixere, *γνώμη* esse enthymematis partem. Sanè non esse perpetuum, quod affirmatè adferunt; vel indicium fecerit isthoc Domitij Afri: *Princeps, qui vult omnia scire, necesse habet multa ignoscere*. Nec enim tam oculati sumus, ut ullum hic videamus *ἐνθύμημα*.

Porrò, ut ex magistri Herenniani definitione cognoscimus, sententiarum aliæ ostendunt, quid fiat; aliæ, quid fieri debeat. Prioris generis

generis est istud Pamphili apud Terentium in Hecyra*: *Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni, atque humiles sumus.* Cui sententiæ ge-
 mina est Tulliana isthæc apud B. Augustinum*: *Tales sunt hominum mentes, auali pater ipse*

Iupiter aulitiferas lustravit in nunc terras.

Quibus verbis Cicero interpretatus est isthoc Hericicum*:

Τοῖς ὅμοιοις ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
 ὅσοι ἐστὶν ἄμφοτερον πατρὸς ἀπὸ πάτρης θεοῦ.

Eundem locum respexit Octavius Felix, cùm in Octavio suo scribit: *Audio, poetas quoque unum patrem divinum atque hominum predicantes: & talem esse mortalium mentem, qualem parens omnium Deus induxerit.*

Posterioris verò generis ἡρώδης est isthæc Plautina †:

Nave agere oportet, quod agas, non ductariè.

Hujusmodi vel sunt re verà ἡρώδης; ut quæ homini conveniunt probo: vel solùm tales sunt opinione dicentis; ut quæ poëtæ tribuunt improbis, quò τὸ ἄριστον † servant. Quale illud Plauti Trinummo*:

De mendico malè meretur, qui ei dat, quod edat, aut bibit.

Nam & illud, quod dat, perdit; & illi producit vitam ad miseriam.

Noti etiam Euripidei versus in Phœnissis, quos Cæsar semper in ore habebat; Cicero verò sic expressit:

Nam si violandum e' t' jus, regnandi gratiâ

Violandum est: alijs rebus pietatem colas.

Neque enim hæc ex suo, sed ex Eteoclis sensu, poëta dixit. Apud quem ejus generis plurima invenias. Eoque nomine sæpius fuit reprehensus ab ijs, qui non satis cogitarent, poëtæ esse pro persona cujusque aptos effingere sermones, ac mores. Quamquam nec diffiteri liceat, poëtas, scriptoresque alios, interdum in ijs, quæ pulcherrimè sibi videntur dixisse, aberrare à vero; eoque sententias eorum exigi debere ad sanioris philosophiæ, rectæque rationis obruffam. Quâ de re vide, quæ scribit Plutarchus libro de læcione poëtarum: item recentior ille, sed par antiquis, Hugo Grotius, luculentâ illâ præfatione utriusque Ἀπολογία à se feliciter castigatæ, & mirâ venustate Latinis versibus expressæ.

Cavendum autem oratori à blando illo vitio, quod præclaras etiam mentes circa Neronis ævum invasit, ut sententias usurpent ad ostentationem sapientiæ. Quod multi hodieque faciunt, qui

* A. B. 3.
 §. 3.

* lib. 5. de
 civit. Dei
 cap. 7.

* Od. 2.

† in Eri-
 claria, quod
 Festum in
 Navus.

* decorum.
 * Scen. quo
 ille homo.

tum demum videntur sibi Atticè dicere, si sententiolis omnia, velut bracteatis diètis, reluceant, præsertim in clausulis. Quânto aliter, qui Iulij, & Augusti ævo, vixere! quàm nihil apud eos, nisi simplex, & nativum! Ad horum igitur nos exemplum componemus; si potius paucis sapientibus placere studeamus, quàm plurimis è vulgo. Quibus verò in rebus sententijs utendum sit; & quos conveniat sententijs uti; quemadmodum &c, quid fructus adferat eorum usus, tum auditoribus, tum oratori; id universum docet Aristoteles cap. quadragesimò *. Consulatur quoque Fabius lib. VIII. cap. v. magister Herennianus, itemque Aphthonius.

* al. cap.
22.

IV. DE GENERIBVS ENTHYMEMATIVM.

ENTHYMEMATA aliquotfariam dividi possunt. Præcipuæ sunt divisiones duæ. Nam alia eorum sunt *δεικτικά*, quæ probant rem esse, aut non esse; alia *ἐλεγκτικά*, quibus refutatur adversarij sententia. Item quædam Enthymematum sunt vera talia, quædam sunt *φανόμενα* *, uti & fit in syllogismis. Vtrâque in distributione præit nobis Aristoteles cap. XLII f. Ex locis enthymematum *δεικτικῶν* quædam sunt argumentorum *κατασυναστικῶν*, hoc est eorum, quibus sententiam nostram confirmamus. De his vide cap. XLIII *. At loci argumentorum *ἐλεγκτικῶν*, quibus adversarij opinionem convellimus, tractantur cap. XLIV f. Locos argumentorum *συναστικῶν* habes cap. XLV *. Locos argumentorum *ἀποσυναστικῶν*, quibus tolluntur argumenta adversarij, vide cap. XLVI f. Atque ita, cum oratores habeant quadruplices locos; proprios, assumptos, communes, & communissimos; ac locos proprios, & assumptos, explicaverit lib. I; communes locos declararit cap. xxxv, xxxvi, & xxxvii libri I: hac postremâ libri I. parte, quæ est à cap. xxxi v. usque ad finem, explicat locos communissimos. Neque hoc cuiquam eo nomine mirum videri debet, quod de locis communissimis egerit in Topicis. Nam Dialecticæ, & Rhetoricæ, sunt facultates similes, ac circa res quasi libet versantes; eoque iisdem utuntur locis; sed diversum ob finem, ut alibi * ostendimus ubertim. Adde quod Aristoteles non hic omnes explicet locos, quos in Dialecticis tractarat; sed tantum eos, qui propriè conducunt tribus causarum generibus; ad quos usus restrinxit Rhetoricen: cuius

* apparen-
tia.

† juxta
vulg. distr.
extremâ

parte cap.
22.

* vulg. cap.
23. parte

priori, usque
ad ver-
ba illa,

Αὐτὸς ἰσχυ-
ρῶς, ὅτι τὰ
ἀποσυναστικῶν
ἐστίν.

† vulgò ve-
liqua parte
cap. 23.

* al. cap. 24.

† al. cap. 25.

† lib. de
natura ac
constitut.

Rhetorices.

ius natura alioqui non latè minùs patet ; quàm Dialectices ; ut Aristoteles disertim scribit initio Rhetoricorum.

Nos nihilominus, superfectis locis communissimis, ad Dispositionem accedimus ; tum quia eos ex Aristotele ipso peti malumus, qui perspicuè satis hanc partem tractavit (non ignoramus autem, longè aliter sapere aquas in limpidissimis Aristotelis fontibus, quàm in nostris aliorumque rivis) tum quia prolixitatis metu properamus ad alteram officij oratorij partem. Nam scio, sic quoque futuros non paucos, quibus nimis prolixè, ac tædiosè, pleraque omnia prosequi videamur : cùm tamen, ut rectè inquit Plinius Secundus †, *Brevitas sit custodienda, si res permittat: alioqui, prævarigatio etiam cursim, & breviter attingere, quæ sunt insculcanda, insigenda, repetenda.*

† lib. 1. c.
p. 20.
quæ ad Cor-
nelium T.
citum.

V. DE AMPLIFICATIONE.

SED metuo, ne ab argumentatione ad *sixoquias* transitoris, injiciant aliqui manum, & aurem vellant, ob neglectam amplificationis doctrinam ; quæ ipsa à plerisque hîc tradi solet ; nec immeritò, si, ut argumentatio, ita & amplificatio, est Oratoriæ inventionis instrumentum, quemadmodum plurimi arbitrantur. Quare de ea quoque pauca hoc loco dicam : simul verò, ubi accuratiùs de ea agendi locus sit, exponam.

Ac primus quidem amplificandi modus est, ut ab hypothesi ascendamus ad thesin. Ita Cicero orat. pro Archiâ, ab Archiæ eruditione ascendit ad locum communem de studijs doctrinæ, ac laude poësis. Vide, quæ dicebamus superiori libro cap. v. sect. v. Cæterum hoc in genere observandum, ne nimis longa sit digressio.

Alterum amplificationis genus priori opponitur. Eo enim, quod generatim dictum est, uno pluribusve amplificamus exemplis, sive hæc vera fuerint, quæ ex historijs peti possunt: sive ficta, cujusmodi sunt, tum fabulæ poëticæ, quæ unde hauriri queant, ipsa indicat appellatio: tum apologi, quos è Græcis suggeret Phryx ille fabulator, & Babrius sive Babrius, prout Suidæ nominatur, quem vulgus Gabriam appellat: quamquam nec Babrius genuinus auctor videri queat, cùm quia hisce fabulis in metrum ipsum turpiter peccatur (nam *σκύζοντα* scripsit Babrius) tum quia eæ in veter. eodd. adscribuntur Ignatio Diacono. E Latinis adatur Phædrus,

Augusti libertus; cuius verbis Camerarius utitur passim in fabulis suis: imò & Faërnus inde versus multos excrispsit: Perottus etiam quædam adducit pro suis. Sed Camerarius videtur codicem habuisse lacerum, nec nomen Phædri præferentem. Volaterranus autem fucum voluit facere lectori: quod pura Phædri dictio ostendit; et si & aliqua ei aliena esse affuta, non inficior. Adeatur & Flavius Avianus, prout in antiquis codd. vocatur, qui vulgo Avienus dicitur; quod fortasse alius poetæ cognomen est. Commentarium in eum scripsit Albinus; fortasse ille, qui Caroli M. præceptor fuit. Eum se MSum habere, refert Barthius Aduersar. lib. xxxix. cap. vii. Quod si de Aviano vel Avieno, ut alijs vocatur, plura voles, vide, quæ scripsimus lib. ii. de Historicis Latinis cap. x.

Tertius amplificandi modus est, cum rem per definitionem, aut descriptionem, diducimus. Ut in Pisonianâ, ubi fusè docet Tullius, quid verè sit consulem esse, ut inde colligatur, Pisonem hoc nomine fuisse indignum.

Quartus modus species, aut partes usurpat pro toto. Quomodo in Manilianâ, ut probetur, Pompeium esse summum Imperatorem, præcipuas imperatoris virtutes enarrat. Et Arnobius libro primo adversus gentes, ut doceat, Christianos orbi terrarum non posse malorum fontem dici, singulas penè orbis partes percurrit, ac similiter se eas habere ostendit, ac autem multa secula.

Quintus modus causas rei adfert, aut effecta, aut accidentia. Ita, ut liqueat, nihil esse homicidio sædus, præstantiam hominis ostendes ab efficiente Deo, qui eum quasi manibus suis effinxit: à forma, quia animam habet immortalem, cui imago ipsius Dei insit: à materie, quia nihil magis admirabile est illâ omnium membrorum compage: à fine, quia conditus est, ut celebret conditorem suum, & cum eo felicitate fruatur sempiternâ: ab effectis, ut sunt civitates, disciplinæ, &c. ab accidentibus, ut igneâ ingenij celeritate, memoriæ firmitate, dominio in cætera concessio, &c.

Sextus est à simili, aut dissimili; pari, aut impari. A simili est hoc Catonis †: *Vita humana prope uti ferrum est. Si non exerceas, tamen rubigo interficit. Isdem homines exercendo videmus conteri. Si nihil exerceas, inertia atque torpedo plus detrimenti facit, atque exercitio.* A pari autem est hoc Senecæ epist. xlii v: *Nec rejicit quemquam philosophia, nec eligit: omnibus lucet. Patricius Socrates non fuit.*

Clean-

† apud Gel-
lium lib. i. x.
cap. 2.

Cleanthes aquam : : axit , & rigando hortulo locavit manus. Platonem non accepit nobilem philosophia , sed fecit. Quid est , quare desperes , his te posse fieri parem ? omnes hi majores tui sunt , si te illis geris dignum.

Septimus modus est ab oppositis. Ut si pacis bonum amplifices à calamitatibus , quæ bellum sequi solent.

Octavus est à testimonio. Nam hæc in re iudicium Ioannis Doxapatri , Græci Hermogenis interpretis , cui testimonium est distinctus à cæteris locus , magis mihi arridet , quàm sententia eorum , qui testimonia subiiciunt simili : quamquam hos sequi maluit Petrus Nunnescius Valentinus.

Ac hi quidem præcipui sunt amplificandi modi. Universè autem tot statui possunt , quot sunt rationes probandi. Quin ex iisdem utraque hauriuntur locis : ac unum idemque argumentum , & probandi , & amplificandi vim habet : sed diversum nomen accipit pro diversitate finis , propter quem adhibetur.

Pleniùs de hisce amplificandi modis dicemus lib. quinto. Nam quamquam aliorum hæc de re iudicium non ignorem , atque aded nec omnino eorum damnem sententiam : magis tamen placent , qui hanc doctrinam penè totam censent ad Elocutionem pertinere : quippe quæ non verborum modò sit , sed etiam sententiarum , ut suo loco ostendemus. Adde quòd , cum duo in Oratore spectentur ; quid dicat , quod Inventionis est ; & quomodo dicat , quæ res ad cæteras pertinet Oratoriæ partes : amplificatio non nova invenit argumenta , sed novo ea effert modo. h. e. non strictim ea tractat , Dialecticorum more ; sed ubertim , ac fusè. Porro de exaggeratione idem esto iudicium , quod de amplificandi modis.

Hæc paucula de amplificatione visum fuit adijcere , quia , uti diximus , plerique Rhetores , postquam de argumentis , & argumentatione , egerunt , de amplificatione tractare solent. Verùm ex ijs , quæ attulimus , liquere arbitror , cur magis nobis placeat Aristotelis consiliùm , qui , relictà hæc parte , accedit ad librum tertium : quo de Elocutione , & Dispositione agit. Hunc secutus , & ipse ad librum tertium me confero : sed , contrà quàm à magno illo Stagirità factum , quem tanquam optimum , ut sapiendi , ita etiam dicendi magistrum , sequi soleo , eo libro de sola Dispositione tractabo , Elocutionis doctrinà in posteriorem locum rejectà. Neque in eo temere nimis ab exemplo præceptoris recedere mihi

mibi videor. Nam uti in architectura, postquam materiam comparaverimus, mox de partium coagmentatione, sive ædificij structurâ; exinde de picturis, cæteroque ornatu, solliciti sumus: ita etiam in facultate oratoriâ, ubi omnis generis argumenta inveneris, prius de orationis dispositione; postea demum de expolitione ejus cogitandum. Quâ in similitudine præit nobis Dionysius Halicarnassensis lib. *περὶ συντάξεως ὁμιλίαις.*

FINIS LIBRI SECUNDI.

GERARDI IOANNIS VOSSII
COMMENTARIO-
RVM RHETORICORVM,

SIVE

ORATORIARVM
INSTITVTIONVM

LIBER III.

¶ VI EST

DE DISPOSITIONE.

CAP. I.



DISPOSITIO est idonea collocatio partium orationis.

Haec, juxta Aristotelem, sunt quatuor; Exordium, Propositio, Fides, & Peroratio: sed summum sunt sex; Exordium, Narratio, Propositio, Confirmatio, Confutatio, & Epilogus: è quibus prima ad conciliandum, postrema ad concitandum, media ad docendum imprimis adhibentur.

Ordo harum partium vel naturalis est, vel artificialis.

Naturalem vocant, cum partes eo disponuntur ordine, quo antè recensēbamus.

Artificiosus, naturā causse ita postulante, ab ordine naturali recedit.

I. DISPOSITIO COMMENDATUR, AC DEFINITUR.

NON in oratione minùs, quàm in cæteris rebus, locum habet illud Xenophontis in Oeconomico: Εἴς δ' ἂν εἰδῆς ἄλλος εἶναι τὸ χρῆμα, εἴς τ' ἀλλὰ δὲ

SI

* epist. ad
Pison.

ἢ τι καλὸν ἀνθρώποις, ὧς ἢ τάξις: nihil hominibus, aut ad usum commodius, aut pulchrius est ordine. Vnde meritò præcipit Horatius *,

Singula quaque locum teneant sortita decenter.

Sand' ordo ubi adest, res audiuntur lubentiùs, audita intelliguntur magis, intellectaque diutius inhærent. Sin idem negligatur, fit monstrum illud ex varijs animantibus conflatum, quod initio Artis depingit Horatius. Habet & tum locum illud Empedoclis de veterum quorundam philosophorum opinione,

Πᾶν ἐν παντὶ μέμικ' ἔ.

† quidvis
eius com-
mixtum.
‡ i. Met.

& hoc Ovidianum de Chao †:

Quaque eras & tellus, illic & pontus, & ether.

Quin nullum mihi videtur certius esse inscitiae argumentum, quam quòd res conturbantur: nullum majus artis industriæque indicium, quam ordo. Quamobrem, cum hæctenus de Inventione actum sit, in qua imprimis ingenio opus est: deinceps videndum de Dispositione, in qua maxime elucet iudicium, ac prudentia oratoris.

† lib. 1.
cap. 20.

Dispositio alia est verborum, quæ Græcis est *συνθεσις ἢ ὀνομάτων*; alia rerum, quam ijdem *τάξις* & *οἰκονομίαν* vocant. Vitruvius † quidem in architectura distinguit hæc tria, *τάξις*, *διάθεσις*, & *οἰκονομίαν*: quæ Latine reddit, *ordinationem*, *dispositionem*, *distributionem*. Sed in oratione primum tertiumque à Tullio pro eodem habentur. Vt epist. x. lib. vi. ad Att. *Nec οἰκονομίαν meam institutam: sed ordinem conservabo tuum.* Quod autem *συνθεσις* ad verba restrinximus, idem Fabio placuit, qui lib. viii. de ornatu agens, distinguit inter *ἀρρυθρόμικτον*, sive *malè dispositum*, & *κατασκευασμένον*, seu *malè collocatum*. Verùm cum dispositio verborum ad Elocutionem pertineat: hujus solùm loci sit agere de dispositione rerum.

Ea autem partes orationis in ordinem certum redigit; ut nihil aliud sit, quam iusta rerum inventarum collocatio.

II. DE NUMERO PARTIVM ORATIONIS.

* lib. 3.
Rhet. cap.
20. sive
juxta vulg.
dist. cap.
23.

PARTES Orationis necessariæ, secundùm Aristotelem, * sunt quatuor; Exordium, Propositio, Fides, & Peroratio.

Ex his duæ necessariæ sunt *ἀπλῶς*; Propositio, & Fides seu Contentio. Illa enim primariam orationis conclusionem aperit; hæc rationes assignat, quibus fulcitur.

Quod autem Propositionem dicimus simpliciter esse necessariam, non ita accipiendum, quasi distincta semper esse debeat orationis

tionis pars : sed quòd semper necesse fit , ut quomodocunque proponatur, sive id fiat in Exordio, sive post Exordium.

Duæ verò partes sunt necessariae *κατά τιν*. h. e. ratione infirmitatis hominum ; qui cùm sæpe rationibus non moveantur, affectibus sunt trahendi. Partes hæ sunt, Exordium, & Epilogus ; è quibus Exordium ad conciliandum, Epilogus ad permovendum valet.

Itaque, cùm tria sint argumentorum genera ; *ἡδὴ* quidem Exordijs, *λόγος* in Contentione, *ῥῆσις* in Epilogo adhibentur. Nec tamen intelligendum hoc, quasi *ἡδὴ*, & *ῥῆσις*, in alijs orationis partibus, quàm his, locum non habeant. Nam verum est, quod ait Cic. lib. *II*. de Oratore ; *Tribus rebus omnes ad nostram sententiam perducimus ; aut docendo, aut conciliando, aut permovendo : una ex tribus his rebus res pra nobis est ferenda : reliqua dua, sicut sanguis in corporibus, sic ille in perpernis orationibus, fusa esse debebunt.*

Sed in partitione orationis paullùm variare videtur Cicero ; quando quatuor has orationis partes facit ; Exordium, Narrationem, Contentionem, & Epilogum : è quibus medius ad fidem, extimas ad motum, valere dicit. Verùm ille, Narrationem cùm nominat, ostendit, se non tantùm agere de partibus orationis necessarijs ; sed omnibus, quotquot esse possunt. Narratio enim sæpe omititur, ut infrà * dicemus. Adde quòd genus Deliberativum per se * *cap. 3.* Narrationem nunquam habet, quia de futuris consultat, cùm narratio sit præteritorum. Quòd autem interdum Narrationem assumit, ut in Manilianâ ; id fit, ut ex rerum præteritarum commemoratione rectiùs institui possit deliberatio. Quòd verò Propositionem Tullius præterit ; id inde est, quia eam sub Contentione comprehendit : in quâ etiam sententiâ est Fab. lib. *IV*. cap. *XLIII*. *Mihi autem, inquit, Propositio videtur omnis Confirmationis initium ; quòd non modo in ostendendâ questione principali, sed nonnunquam in singulis argumentis, proponi solet ; maximeque in ijs, quæ ἐπιχειρηματικὰ vocantur.*

Ciceronem, & Fabium, sequitur quoque Trapezuntius ; qui sub Contentione Partitionem comprehendit.

Sunt etiam, qui Narrationem, ac Propositionem, unius partis nomine complectantur, quia ad Propositionem refertur Narratio. Si quidem hæc ideo affertur, ut status, ac primaria controversia, melius intelligatur.

Hinc liquet, quomodo & quadripartita, & quinquepartita, statui possit oratio. Sed eadem mente sex partes assignantur ; quia Contentio dividitur in Confirmationem, & Confutationem, quarum

illa argumentis causam nostram probat : hæc ad rationes adversarij responder. Interdum autem confutatione opus non est. Sanè qui eâ utitur , ubi actu adversarius non est , magis præjudicio causam gravat, quàm adjuvat.

Cicero quoque lib. II. de Oratore octo partes facit , quia partibus assignatis divisionem addit, & digressionem. Sed divisio pertinet ad propositionem: digressio verò refertur ad eam partem , in quâ fit digressio.

* *Constitutionem generalem.*

† *q. d. prævia expositione.*

Aplines junior , qui in Arte suâ quædam facultati oratoriæ adijcere voluit, inter exordium & narrationem * interijcit κατὰσαν: verùm novo magis , quàm necessario invento. Nam, eam exordij omnino partem esse , nemo, puto, diffitebitur, qui mentem in fronte non habuerit. Idem iudicium esto de *προεπιθεσι*, † & *προκατασκευη*, sive præparatione , seu præstructione : quarum utramque narrationi præmitti, scribit Fortunatianus : ac illam quidem docilitatis causâ ante eam collocari ; hanc verò , quod præparet iudicem ; sive occurrendo ijs , quæ obijci poterant ; sive quædam, quæ causam juvent, in exordio spargendo admiscendoque.

† *sect. 3.*

Verùm , ut error fœcundus est , nec desunt alij , qui tres tantùm partes necessarias agnoscant : unde & orationem putant signari poetico chimæra commento , uti diximus lib. I. cap. III. †. At non unâ de causâ sententia hæc exorbitat. Nam *ἀπλοῦς* quidem duæ tantùm sunt partes necessariæ, propositio, & fides. Sanè exordium, & epilogus, quia ad motum solùm pertinent , interdum omittuntur. Quare , qui tres faciunt partes necessarias, exordium, confirmationem, & epilogum, geminum errant errorem. Nam propositionem prætereunt , quæ omnino necessaria est : exordium autem , & epilogum, nominant, quæ necessariæ non sunt. Atque hinc quoque cognoscitur, Thomam Corræum longiùs abscessisse à veritatis viâ, cum lib. III. de Eloquentiâ cap. v. scripsit, exordium quidè, & epilogum , partes esse orationis , atque aded narrationem quoque : propositionem autem partium numero exterminandam. *Propositio*, inquit Corræus, *orationis pars non est ; sed partis auxilium , & adjuvamentum. Nam propositio adhibetur, ut intelligat auditor, quibus de rebus verba faciat Orator: ut in oratione pro lege Maniliâ: Primum mihi videtur de genere belli ; tum de imperatore deligendo, esse dicendum. Sed hoc modo est accessio exordij, & per se nihil præstat, nisi duas virtutes exordij, ut auditores doceat, quibus de rebus dicendum sit ; & attentos reddat, dum rei summam intelligant, & hoc vel illo exposito, sciant, quid requiratur.*

Verùm,

Verum, quomodo huic argumento obviam iri debeat, cognoscere est ex ijs, quæ de propositione suprâ diximus. Neque enim requirimus, ut propositio semper pars sit à cæteris partibus separata; sed agnoscimus, eam interdum exordio admisceri: quod cum fit, si propositio non repetatur postea, neque causâ consequatur partitio; tres quidem tantummodo orationis partes erunt; attamen nihil hoc Aristotelicæ sententiæ derogabit; quia propositio nihilominus erit scopus, & fundamentum universæ orationis: ex quo consequitur, eam non modò orationis partem esse, sed & partem principem; ut ut tum alij parti admisceatur. At, inquit idem Corràus, Cicero quoque in ijs, quæ maturâ scripsit ætate, propositionem præterit, ejusque in locum substituit narrationem. Nam cum alibi, tum lib. II. de Oratore, in Oratore ad Brutum, item in Partitionibus oratorijs, quatuor esse partes affirmat, exordium, narrationem, confirmationem, & perorationem. Quin, si eundem Corràum audimus, Aristoteles quoque in primo Rhetor. putat, veras esse orationis partes, narrationem, & confirmationem: exordium autem, & epilogum, esse accessiones. At de Cicerone quidem ad stipulamur: de Aristotele verò, quem sequimur, pernegamus: atque ad eò ambigimus, quâ parte corporis oculos habuerit Corràus, cum scribit, hanc quoque Aristotelis fuisse opinionem; cum is disertim adserat †, propositionem esse partem orationis necessariam; at narrationem sæpe præteriri. Alia quoque fortassean erunt, quæ adversum hanc videantur adversari sententiam: verumtamen ea, si qua fuerint, levicula fore arbitror, ac quæ solvere cuivis proclive sit; cujusmodi si consecer, metuo, ne spinas magis videar colligere, quàm rosas. Quare, ijs relictis, aggrediar rationem, quâ partes orationis collocari debent.

† lib. 3.
Rhetor. cap.
20. si ve,
juxta diff.
aliorum cap.

III. DE DVPLICI ORDINE PARTIVM ORATIONIS.

ORDO harum partium est duplex: unus, quem natura postulat; alter, qui oratoris judicio ac prudentiâ comparatur.

Naturalis est, cum primò aliquid ante rem dicimus; deinde rem narramus; hinc statum orationis assignamus; post occupamur nostris præsidijs confirmandis, contrarijs refutandis; denique concludimus ac peroramus. Quem ordinem indicari aiunt versu isthoc, *Exorsus narro, seco, firmo, refuto, peroro*. Interim fatentur, quia,

ut ait Fabius lib. IV. cap. XI. *Amentis est, superstitione preceptorum contra rationem causa trahi*; ordinem harum partium immutari interdum, aut partem aliquam omitti: atque id ordinem artificiosum nominant. Quando verò eo utendum sit, dispicere iubent oratorem ex personarum, locorum, temporumque circumstantijs. Hujus artificiosi ordinis exemplum esse autumant, quòd in Milonianà confutatio præcedit narrationem, ac confirmationem; quia narrando, aut probando, operam lussisset Cicero, nisi priùs ostendisset, defendi posse eum, qui fatetur, hominem à se esse occisum; neque ullum præjudicium Senatus esse factum; & quæ præterea ibi diluit orator. Sed hæc de re iudicium Aristotelis inferiùs * afferemus. Nunc singulatim de orationis partibus videamus.

* cap. 5.
sect. 3.

C A P. II.

D E E X O R D I O.

EXORDIUM est orationis initium, quo scopus indicatur orationis, ac preparatur auditoris animus ad reliquam dictionem.

Exordiorum non una est ratio, sed variantur pro diversâ causæ qualitate.

Ea vel honesta est, vel turpis, vel dubia, vel humilis. Adhæc vel perspicua est, vel obscura.

In causâ honestâ aperte benevolentia, attentio, & docilitas parantur; quod exordij genus Principium vocant. In turpi, subeuntes auditoris animum, eum ad audiendum preparamus; quod genus exordij Insinuatio nominatur. Quæquam hoc quoque interdum utimur in causâ honestâ; idque si auditor vel desessus sit audiendo, vel persuasus ab ijs, qui priores dixerint.

In dubiâ utimur Principio ducto à naturâ causæ, quæ honestatis partem habet.

In humili comparanda est attentio, in obscuro docilitas.

Neque eadem exordiorum ratio est in tribus dicendi generibus.

In demonstrativo sumuntur à quinque locis; à laude, à vituperatione, à suasionem, à dissuasionem, & ab ijs, quæ ad auditorem referuntur.

In exordio generis judicialis quatuor sunt loci. Nam preparatur auditoris animus quibusdam velut medicamentis, sumtis vel ab oratore, aut reo, vel ab auditore, vel ab adversario, vel à re. A reo quidem, vel adversario, ea petuntur, obijciendo crimen, aut diluendo. Ab auditore verò, reddendo eum benevolum, vel iratum; nonnunquam,

etiam attentum, aut non attentum, itemq; docilem. *At* re denique, qualitatem rei declarando.

In deliberativo genere olim non erat necesse monstrare scopum orationis, quia antè jam constabat, quâ de re agendum esset. *At* propter alterum exordij munus, fere incipiebant, vel à criminis depulsiōne, vel à criminatiōne, vel ab amplificatiōne, vel à diminutiōne, vel ab ornatu.

I. DE VOCABVLIS EXORDII, PROEMII,
ET PROLOGI.

SCITE Pindarus Olymp. vi, & ex eo Lucianus in Hippiâ, ἀρχομένου ἔργου, ἀρξάμενος καὶ δέμου τηλευγῆς* incipiente opere, frontispiciū oportet facere præfulgidum. Verum præclara quidem res est initium præclarum, at in orationibus conficiendis ardua. Hinc Cicero in Timæi fragmento: *Difficillimum est in omni conquisitione rationis, exordium.* Qui locus expressus est ex illo Platonis †, Μέγιστον δὲ πάντων † in Timæi ἀρχαῖον καὶ φύσιν ἀρχαῖον. Vnde liquet, in adductis Tullij verbis apud Nonium, pro *facillimum**, rectè nunc † *difficillimum* legi, prout Perionius, Stephanus, & Leopardus ‡, emendarunt. Quod si hæc pars minime facilis sit, atque obvia: purgatis omnino auribus opus erit in ijs, quæ de exordio dicemus. Quandoquidem verò nobis nunc quoque Grammaticis quodammodo esse visum est, age ab ipso auspiceur nomine.

Exordij vox à textoribus sumta est, qui propriè dicuntur ordiri telas, unde illud in Culice;

Atque ut araneoli tenuem formavimus orsum.

Plaut. Pseudol. †

Neque exordiri primū, unde occipias, habes;

Neque ad detexendam telam certos terminos.

Cicero lib. II. de Oratore; *Pertexere modo, inquit, Antoni, quod exorsus es.* Ibidem: *Multa querendo reperiunt non modo ea, quæ jam non possint ipsi dissolvere; sed etiam, quibus ante exorsa, & potius detexta, propè retexantur.* Plinio quoque lib. VI. cap. xv. i redordiri est telam in fila dissolvere: unde inquit, *Geminus feminis nostris labor, redordendi fila, rursusque texendi: nempe, quia texturam, non licium, mittebant Seres.* Confirmat id ipsum quoque ἑπιμολογία. Nam, ut monuit ante nos Josephus Scaliger*, Græcam est ἑρδνμα †, ἢ τολόνη ‡ ἢ τολόνη §. Item: ἀρξάμενος, ἄρχων & †. Auctor de utroque Hesychius.

Exor-

† in Timæi

* ut est in edit. Mediolanensi, Al-dina, Plantiniana, a-bis.

† in edit. Io-sia Dierecri. ‡ lib. I. §. cap. 25.

† Act. I. sc. 4.

* in Cul. † lana ps-ria, acpe-rata ad serpiendū. ‡ tunicam-tina.

Exordium Græcis *προοίμιον* vocatur; quod nomen quidam deducunt ab *οἶμος*. h. e. via; quam *ἱππολογίαν* stabilire videtur, quòd Aristoteles ipse in III. Rhet. *ὀδοπότην* vocat; quia nempe ad reliquam orationem viam munit. Verùm acutiùs vim Græci præverbij *οἶμος* cum Iul. Scaligero ꝑ consideranti, constabit, ab eo deduci non posse: quia ut fit ab *οἶμος*, non tantùm debeat *aditum ad causam* & *munitionem principium habere*; ut loquitur Tullius in secundo de Orat. sed viam ante viam sternere debeat; quo quid ineptius? Itaque rectiùs dedaxeris ab *οἶμος*, id est *ὀδὸν*, ut interpretatur Hefychius, ac Ammonius quoque, sive is est Herennius Philo, juxta quem *οἶμος οἶμος διαφέρει. Οἶμος μὲν γὰρ ἐστὶ ἀρνητικῶς ἢ ὀδός. Οἶμος ᾗ, ἢ ὀδὸν*. Certè, propriè *αἰάταβολαι*, ut Aristophanes vocat, (h. e. cantus cujusvis prolusiones experimenti gratiâ in antecessum dati, qui & *ὑπόχρησθα ἀσματα*, & *ἐνδοσμία*) nominantur *προοίμια*: quomodo voce specialiori *προοιμαίεσματα* sunt in arte fidicinâ, itemque *προοίμια* in *αὐδῶν*, sive tibiârum cantu. Atque inde etiam liquet, infirmum esse illud viri docti ꝑ argumentum, cum in suâ Aristoteleꝝ Rhetoricæ conspectu scribit, *προοίμια* à viâ originem trahere, quia alioqui *προοίμια*, & *προοίμια*, idem essent.

Quod verò oratoribus est *προοίμιον*, aut *exordium* (Varro aliud, *ἔνδοσμία* nimirum, intelligit *ἔνδοσμία λόγος*, cum *fabularum* dixit *exordia*) id propriè poëtis Comicis, & Tragicis, est *prologus*; unde Paccuvio apud Festum *prologium*; ut Varroni ab *ἔξοδος* *exordium*, Petronio à *μέθοδος* *methodium*. Vox autem prologi & prologij, quia præpositionem producit apud Poëtas, quibusdam merè Latina videtur; ut *prologus* dicatur quasi *proloquus*, *prologium* quasi *proloquium*: alij verò merè Græcam autumant, ac producere primam obliquidam; quomodo in *μέλος*, & *μαλίσθησαι*, prima est porrecta apud Homerum a, Antipatrum b, Christodorum c, fortasse & Persium d: alij denique ex Latino præverbio, & Græco nomine, factum judicant nomen Latino-Græcum: atque hoc eo defendi videtur, quòd & alię non paucę sint spurix ac hybridę voces: ut apud Plautum *inamilogus* e, *pulphagus* f, *pulphagonides* g, *thermopotare* h: apud Vitruvium i *pseudourbanus*: apud Quintilianum k *bi-clinium*, *epitogium*, *Anticato*: apud Plinium l *cryptoporticus*: apud Tertullianum m *protosedere*, h. e. *ὑποσδρῶν*: apud Aufonium n *myo-barbum*: in cod. Iustiniano o *melloproximus*. Atque, ut etiam cum præverbio composita afferamus, Latini cum accepissent à Græcis *proscenium*, quod Plautus p usurpat, exemplo hoc formarunt *passcenium*;

† cap. 21.
sive dist.
vulg. cap.
14.
† l. 3. d: re
Poët. c. 48.

† Dan.
Crameri.
a, hymno in
Mercurii.
b, epigram-
maticis A-
macreontē.
c, epigr. in
Asiam.
d, in prologo.
e, Pseud.
nō. l. sc.
Pseudale, nō
audū.
f, Mercato-
re.

g, prologo
Penuli.
h, Trimumo
sc. Stasime
fac. re.
i, lib. 6. c. 9.
k, lib. 1. c. 9.
l, lib. 2. ep.
ad Gallū, &
lib. 5. ep. ad
Apollinarē.
m, de coro-
na militis
cap. ult.
n, lemmae
epigr. 29.
o, peculia-
ri. & l. uni-
cuique. C. de
prox. sac. li.
12.
p, prologo
Traculenti.

mitti; quo utitur Lucretius lib. III: *Omnia summo opere hos vite post-*
scenia celant: ut optimè restituit Lambinus, et si dissentiat Scipio Gen-
 tilis q. Ac omnium maximè hanc rem firmare videntur, quæ non ^{q. lib. 1.}
 cum præverbio solùm, sed etiam cum voce $\lambda\omicron\gamma\omicron$, componuntur. ^{Παρέργ.}
 Ut *antelogium* apud Plautum r, ac *elogium* quoque simile videtur Io- ^{cap. 8.}
 sepho Scaligero; qui & hanc de prologi origine sententiam tuetur. ^{r, prolo go}
 Sed et si olim eam secutus sim, nunc tamen vix dubito, quin *elogium* ^{Menach-}
 quidem sit ab $\epsilon\lambda\omicron\gamma\omicron$, quasi $\epsilon\lambda\omicron\gamma\omicron\omicron$: *prologus* autem planè sit Græcum ^{μορια.}
 $\epsilon\lambda\omicron\gamma\omicron$, ac producat primâ, quia Latini etiam in ijs, quæ Græcis de-
 bent, interdum sequantur quantitatem Latinorum: ut Lucilius fa-
 cit in *propola*, Martialis in *propino*. Verùm de voce exordij, pro-
 cæmij, prologi, satis multa, ac nimis fortasse multa: præsertim cum
 fusè adeo de his agamus in Originum libris. Nunc pensiculatè de
 re ipsa dicamus.

II. QUID EXORDIVM SIT, ET QVOTVPLEX, ET
 DE QVINCTVPLICI CAVSSA, HONESTA, AD-
 MIRABILI, DVBIA, HYMILI, ET
 O B S C V R A.

EXORDIVM ab Aphthonij scholiaste * dicitur esse $\lambda\omicron\gamma\omicron$ ^{ἐξ.} * in prole-
^{gomenis.}
συνάξων τὸν ἀκροατῆν †. Pleniùs autem definitur, orationis ini-
 tium scopum indicans orationis, & præparans auditoris animum ^{† oratio}
 ad reliquam dictionem. Duo enim sunt procæmiorum genera, ut ^{preparans}
 monet Vlpianus in primam Olynthiacam. Vnum in initio præparat ^{auditorum.}
 auditorem ad reliquam orationem; alterum in mediâ oratione ad
 sequentia viam munit. Ita in Manilianâ, præter illud primum ex-
 ordium, aliud præmittitur tertie orationis parti, quæ est de eligen-
 do Imperatore. Par quoque epilogorum ratio est. Nam præter il-
 lam univèrsæ orationis perorationem, singule quoque partes suam
 habent conclusionem. Neque de nihilo est, quodd cum exordia,
 tum epilogi, singulis partibus addantur. Nam quemadmodum via-
 torem reficiunt spatia certis lapidibus ac intervallis distincta: ita
 recreatur quoque auditoris animus admonitione singularum par-
 tium. Nobis hoc loco de priori solùm exordij genere sermonem
 esse, satis, puto, ipsâ ostendimus definitione.

Exordij hujusce munus autor ad Herennium triplex facit. Nam
 & comparanda benevolentia, & attentio, & docilitas. Perdè

si hæc apertè comparentur, *νατ' ἔροχλι* Principium vocatur: si subdole, & circuitione quadam, *Insinuatio*.

Sed ut plenius id intelligatur; afferenda est distributio causarum; verum diversa ab eà, quam libro primo adducebamus. Quippe tum à partibus sive officio, & diverso auditorum genere, item sine, & tempore, causam dividebamus in deliberativam, demonstrativam, ac juridicalem. At hæc divisio sumitur ratione qualitatis. Nam divisio quidem generis in species tantum una esse potest: at per accidentia multifariam aliquid dispecimus. Itaque similibus planè ratio est, atque est nominis in Grammaticis. Aliter enim dividitur ratione qualitatis; aliter ratione aut generis, aut speciei, aut figuræ &c. Hæc vix tanti mihi videntur, ut ea monere fuerit operæpretium. At Mario tamen Victorino ꝑ levicula hæc quæstio videtur *occultâ nimis ratione ac difficili disputatione dissolvi*, ut verbis ejus utar. Nunc ipsam distributionem adferamus.

ꝑ commentario in 1. Rhet. Cic.

A qualitate igitur causa hoc statuitur quadruplex: *ἔυδοξος*, sive honesta, *μεγáδοξος*, sive admirabilis, *ἀμείδοξος*, sive dubia, & *ἀδóξος*, sive humilis. Quam distributionem similiter adfert B. Augustinus in principijs Rhetoricis. Sed M. Tullius 1. de Invent. Fabius lib. IV. cap. I. Fortunatianus lib. II. Cassiodorus in Rhetoricæ cõpendio, & plures alij, quatuor hisce generibus addunt quintum. Nam quatuor priora membra petuntur *ἄνδ' ἡ δόξαι*, sive opinione hominum; eoque rectè conjunguntur: quintum illud sumitur à facili vel difficili intelligentia, eoque alterius est divisionis membrum.

Causa *ἔυδοξος*, seu honesta, à Cassiodoro definitur. *cui statim sine oratione nostra favet auditoris animus*: ut, si quis pro parente optimo dicat. B. Augustinus * (apud quem pro *ἔυδοξος* legitur *ἔυδοξος*) *bonæ opinionis causam interpretatur*.

† in principijs Rhetor.
‡ Ibidem.

Causa *μεγáδοξος*, seu admirabilis, Augustino ꝑ nunc causa *opinionis mala*, nunc *contra bonam opinionem* nuncupatur. Hujusmodi est, si quis pro sacrilego dicat. Vnde liquet, causam turpem rectius admirabili subijci, quàm humili. Vtriusque opinionis meminit Fabius *. Æquè autem, ac causa honesta, diffundit se per laudationem, vituperationem; suasionem, dissuasionem; accusationem, defensionem: nec minus circa personam versatur, quàm circa rem. Ad personam pertinet, quòd Polycrates vituperationem conscripsit Socratis: ac Isocrates contra laudibus exulit *ἄνδ' ἔροντ' ἄνδ' ἔροντ' ἄνδ' ἔροντ'*, ut eum Justinus Martyr ꝑ vocat. Imò inventus etiam, qui diabolium

¶ lib. 4. cap. 1.
*.
‡ *hospitium occisorem Busfirim*.
† orat. 2. adversus Græcos.

diabolum publicè laudaret Witebergæ. Fuit is Joannes Brunus, natione Italus. Rerum verò exempla magno sunt numero. Fere autem ijs aliquod animi, corporis, aut fortunæ bonum vituperatur, vel malum contrarium extollitur. Ad animam pertinet, quòd Erasmus laudavit Moriam : quòd item Callicles in Gorgiâ Platonis multis verbis accusat philosophiam; ac quòd Thrasymachus apud eundem primo de Rep. Glaucus item in secundo de Rep. (idque fortius, quàm Thrasymachus) justitiam quidem accusat, injustitiam verò effert laudibus. Idem fecit Carneades, qui, ut ait Fabius lib.

xi. cap. 1, Roma, audiente Censorio Catone, non minoribus viribus contra justitiam dicitur differrisse, quam pridie pro justitiâ dixerat. Atque hic est ille Carneades, qui, ut apud Ciceronem lib. *ii. de Orat.* ait M. Antonius, *nullam unquam in suis disputationibus rem defendit, quam non probavit; nullam oppugnavit, quam non everterit.* Certè ad laudem injustitiæ referre potuit, quòd vulgus, cum omnia utilitate metiatur, satius judicet, videri, quàm esse justum: id enim neutiquam faceret, si ei bonum esset præstantissimum; cum nemo non sanus esse, quàm videri, præoptet. Arist. *i. Rhetor. διδὲ τὴν δὲ κακοσυνήθειαν κατὰ μῆτρον εἶναι*

ἢ τὴν ἀρετῶν ἢ τὴν αἰρετῶν, τὸ δὲ ὑμῶν εἶναι. Ad mala verò corporis ac fortunæ pertinet, quòd veterum aliqui, (ut libro primo diximus) vel inopia extulere, vel exilium, vel calvitium, vel podagram: quam è junioribus quoque laudavit Bilibaldus Pircheimerus. Vti Gulielmus Insulanus quartanam febrim. Quod & Phavorinus philosophus fecerat, Hadriani Cæsaris æqualis. At vel antiquitatis causâ nefas sit præterire Alcідamantem Eleatem, quem Gorgiæ Leontini discipulum facit Suidas, ac Quinctilianus † quoque inter antiquos Rhetoricæ scriptores reponit, atque à Platone Palamedem appellatum ait. Hic scripsit laudationem mortis, quæ constabat ex enumeratione malorum humanorum: ut è prima Tuscul. Ciceronis discimus: item è Tzetze Chil. *xi. Hist. ccc lxxxv*: qui tamen, cum multas Alcідamantis orationes legerit, hanc necdum sibi lectam agnoscit.

Ἀμφίδροος, sive dubia, vel anceps causa est, quæ partem habet honestatis, partem turpitudinis. Exemplum ejus suggerit Maro, cum in sexto *Æ.* agit de M. Bruto in liberos læviente, sed ob patriæ libertatem. Ita enim ait:

— *Natosq; pater, nova bella moventes,*

Ad pœnam pulchrâ pro libertate vocabit,

Infelix, utcumque ferent ea facta minores:

Vincet amor patriæ, laudumque immensa cupido.

Dubia quoque erat caussa Orestis, qui matricida erat, sed patris ultor. Menelaus certè apud Euripidem * vocat eum *μυρσοβόρτα* †, quia accusabat. At ipse de se inquit †:

* in Oreste
vers. 1589.
† matrici-
dam.

Ὁ μυρσὸς ἀμύρταρ, ὃν σὸ ἀπὸ δόκωσ δαπέτῃ *.

Eodemque modo de eo Iuvenalis libri 111. sat. 11:

‡ versu seq.
* Patris
defensor,
quæ in pro-
didisti, ut
moretur.
† vers. 213.

--- Deis auctoribus, ultor

Patris erat casti media inter pocula.

Patrem verò uicisci, laudis est. Vtrumque expressit Claudianus panegyri in VI. consulatum Honorij †:

Ense Thyestiada pœnas exegit Orestes.

Sed mistum pietate nefas, dubitandaque cœdis

Gloria materna laudem cum crimine pensat.

Tangit & Ovid. IV. Trist. eleg. IV:

Quò postquam, dubium pius, an sceleratus, Orestes

Exactus furis, venerat ipse suis.

Caussa quoque dubia sit, si quis injuriam faciat, ut multa faciat justè. Certè Iafon Theffalus, siquid vi alicui extorqueret, dicere solitus est, *δὲν ἀδικεῖν ἐπὶ αὐτὸν, ὅπως δύναιται καὶ δίκαια ποιεῖν* † in aliquibus se debere jus violare, ut possit multa justè agere. Ita dictum hoc extulit Arist. I. Rhet. at paulò aliter refert Plutarchus *. Ac talis quidem est caussa dubia.

* in præce-
ptis geren-
da Reipub-
licæ.

Caussa verò ἀδόξος, sive humilis est, quæ est de re vili & abjectâ: ut si quis ad Senatam referat de purgandis cloacis; aut litem alij intendat de tribus capellis; de quibus venustum est epigrammatum apud Martialem * ex Græco Lucillij expressum. Quemadmodum autem de causâ admirabili superius dicebamus: ita etiam in humili materia se plurima ostentauerunt ingenia. Inter antiquissima est Polycratis, qui calculorum encomium scripsit; uti & murium; in quorum laudibus, ut ait Aristoteles †, reposuit illud, quòd, corrosis atque absumtis hostilium arcuum nervis, auxilium tulerint, sive Ægyptijs contra Arabes, & Assyrios, ut vult Herodotus lib. I; sive, ut apud Aristotelem est, Troadis incolis; qui ob hoc beneficium à σμινθεσ, quomodo murem vocabant, Apollinem Sminthium dixere; ut ex Polemone testatur Clemens Alexandrinus. Sanè Sminthea eum cum alibi vocat Nafò, tum Met. XII. fab. VII. *Perniciem murum* eadem de caussa dicit Arnobius lib. III. Cum autem mures arroferint nervos, non quò auxiliarentur, sed ut famem explerent: vel ex hoc exemplo liquet, in humili materia causas per accidens

* lib. 6.
epigr. 19.

† 2. Rhet.

accidens habere imprimis locum : quod fallax est argumentandi genus, attamen ijs concessum, qui se in huiusmodi argumentis, sive exercent, sive ostentant. Hoc præter Polycratem, de quo jam dictum, fecere alij non pauci, tum veterum, tum juniorum. Ita comæ encomium scripsit Dion Prusæus, teredinis Clitarchus, pulicis Michael Pfellus, & post eum Cælius Calcagninus, item Petrus Galiffardus Araquæus, luti Antonius Majoragius, anseris Iulius Scaliger, cujus ex oratione fragmentum tantummodo habemus, umbrae Ianus Douza filius, asini, & pediculi, clarissimus collega noster Dan. Heinsius: & similia alij, ut ostendimus libri I. cap. v. sect. xxxi. Anonymus quoque funebrem scripsit in equum, asinum, canem, simium, felem, noctuam, picam, gallum, mærgum, gryllum, ac pediculum: in quæ undecim animantia orationes totidem ex Italicis factas Gallicas, è Gallicis Latinas fecit Guil. Canterus.

Vidimus de quatuor causarum generibus, quæ ab hominum opinione petuntur. Addamus nunc quoque de causa obscura, quam prioribus à Cicerone, Fabio, alijs, adjungi, paullo antè dicebamus. Obscura causa est, quam difficulter percipit auditor, non quidem vitio oratoris, aut suo; sed naturâ causæ, quæ tenebras habet. Triplex enim est obscuritas. Vna est rei, quam nunc consideramus. Altera est dicentis, cum res, quæ clariùs dici potuit, ita proponitur, ut ijs etiam, qui ingenio, & eruditione valent, negotium facessat. Tertia verò est ab auditore, cum ea, quæ dicuntur, per se perspicua sunt: quod verò à quibusdam non intelligantur, id vel tarditate fit ingenij eorum, qui audiunt; vel saltim, quod in huiusmodi re minimè sint versati. De altero tertioque obscuritatis genere vide, si voles, Galenum lib. I. *περ' ἀγμῶν*.

III. QUOMODO BENEVOLENTIA PAR- TVR, SIVE A PERSONIS, SIVE A REBUS.

DIXIMVS, quomodo variet causa: docendum deinceps, quomodo in qualibet harum præparandus sit animus auditoris. Ostendemus autem id potissimum in genere Iuridiciali.

Benevolentiam minùs aucupamur in honesto causæ genere, nisi auditor sit vel persuasus, vel defessus: alioqui enim plurimum per se ad conciliandum ac propitiandum valet. Maximè autem benevolentia ac favore opus est in genere infavorabili, quale omni-

modè quidem est turpe, ex parte autem anceps.

Paratur benevolentia tum à personis, tum à rebus. A personâ autem petitur trifariam. Primò à personâ, sive ejus, qui dicit, h. e. oratoris; sive ejus, pro quo dicit, h. e. rei. Aristoteles utramque personam comprehendit sub personâ *τὸ ἀδύρτος* t. Nimirum quia orator personam quoque sustineat alienam: unde illud loquendi genus, *Nego me restitutum*: hoc est, clientem meum. Imò contingit, etiam, ut idem sit, qui dicit, & pro quo dicitur. Quomodo Appuleius magiæ infimulatus causam ipse suam Carthagine egit apud Maximum Claudium, Africæ proconsulem. Idemque Romæ pro se facere apud Domitianum decrevit Apollonius Tyaneus, ejusdem rei postulatus. Orationem, quàm hoc fine pro se scripserat, refert Philostratus lib. vii. Itaque si Aristotelem intellexit Fabius, cum reprehendit eos, qui personas tres solum statuerunt, à quibus proœmia ducerentur: more suo, h. e. immeritò, summum sigillat Rhetorem. *Benevolentiam, inquit *, aut à personis ducimus, aut à causis accipimus: sed personarum non est, ut plerique crediderunt, triplex ratio, ex litigatore, & adversario, & judice: nam exordium duci nonnunquam ab auctore solet.*

* lib. 4.
cap. 1.

A personâ dicentis non uno modo paramus benevolentiam. Fit enim hoc nunc extenuatione ingenij, ac eloquentiæ; nunc virtutis, aut meritum nostrorum commendatione; nunc etiam ab infortunio nostro. Vnde Sulpicius Severus dialogo i. cap. xx: *Cum sis scholasticus, hoc ipsum quasi scholasticus artificiosè facis, ut excuses imperitiam, quia exsuperas eloquentiâ.* Cicero pro Valerio Flacco: *Cum in maximis periculis hujus urbis atque imperij, gravissimo atque acerbissimo reip. casu, socio atque adiutore consiliorum periculorumque meorum L. Flacco, eadem à vobis, conjugibus, liberis vestris; vastitatem à templis, delubris, urbe, Italiâ, depellebam: sperabam, judices, honoris potius L. Flacci me adiutorem futurum, quàm miseriarum deprecatore. Quod enim esset primum dignitatis, &c.* Pro C. Rabirio: *Esti, Quirites, non est mea consuetudinis, initio dicendi rationem reddere, quâ de causâ quemque defendam; propterea quòd cum omnibus civibus in eorum periculis semper factis justam mihi causam necessitudinis esse duxi: tamen in hac defensione capitis, fame, fortunarum omnium C. Rabirij, proponenda ratio videtur esse officij mei; propterea quòd, quæ justissima mihi causa ad hunc defendendum esse visa est, eadem vobis ad absolvendum debet videri. Nam me cum amicitia vetustas, tum dignitas hominis, tum ratio humanitatis, et in mea vita perpetua consuetudo, ad C. Rabirium defendendum est adhortata:*

hortata: tum verò, ut id studiosissime facerem, salus reip. consulare officium, consulatus denique ipse, mihi una vobiscum cum salute reip. commendatus, coegit. Non C. Rabirium culpa delicti, &c. Pro P. Sylla: Maxime vellem, Iudices, ut P. Sylla & antea dignitatis sua splendorem obtinere, & post calamitatem acceptam, modestia fructum aliquem potuisset percipere. Sed, quoniam ita tulit casus infestus, ut amplissimo in honore cum communi ambitionis invidia, tum singulari Antronij odio everteretur; & in his pristina fortuna reliquis miseris & afflictis, tamen haberet quosdam, quorum animos ne supplicio quidem suo satiare posset: quamquam ex hujus incommodis magnam animo molestiam capio, tamen in ceteris malis, &c.

Secundò captatur benevolentia à personâ ejus, apud quem dicitur, h. e. judicis, vel auditoris; nempe ab ejus fidè, vel existimatione, dignitate, sinceritate, & similibus. Ambrosius lib. vi. de Sacramentis cap. ult. *Non debes, quasi famelicus ad cibum, de cibo incipere; sed antè à laudibus Dei. Unde & oratores isti sapientes hanc habent disciplinam, ut iudicem factorem sibi præsent. incipiunt à laudibus ejus, ut benevolam sibi faciant cognitorem. Deinde paulatim incipit rogare iudicem, ut patienter dignetur audire. Audet & tertio postulationem suam depromere; quid petat, exprimere. Imò ne quidem Apostolus Paulus hoc negligendum sibi putavit cap. xxvi. Act. ubi orationem suam sic orditur: Super omnibus, de quibus postulo à Judeis, Rex Agrippa, beatum me duco, quòd sim hodie causam apud te dicturus. Maxime, quòd te gnarum esse sciam omnium, quæ apud Judeos sunt, & rituum, & questionum. Cicero verò id passim observat. Ita in exordio orationis pro Roscio Amerino fortitudinem animi extollit in Fannio; Te quoque, inquit, M. Fanni, quæso, ut qualem te jam antea populo Romano præbuiisti, cum huic idem quæstioni iudex præesses; talem te & nobis, & pop. Rom. hoc tempore impertias. Idem in Milonianæ exordio Pompeium laudat à sapientiâ & justitiâ, cum ait: Sed me recreat, & reficit Cn. Pompeij sapientissimi & justissimi viri consilium; qui profecto nec justitiæ suæ putaret esse, quem reum sententijs iudicium tradidisset, eundem telis militum dedere; nec sapientiâ, temeritatem concitata multitudinis autoritate publicâ armare. Quæ lectio alteri præstat, quam Janus Parrhæus * approbat: sapientissimi & illustrissimi. Nam Cicero mox justitiæ, & sapientiæ meminit: neque in iudicio possunt laudes magis appositæ afferri, quàm sapientiæ, & justitiæ: illa enim est intellectus, ac facit, ut quis sciat, quid æquum sit: hæc voluntatis est, atque efficit, ut agamus, quod æquum esse cognoscimus.*

Tertio paratur benevolentia à personâ ejus, contra quem dicitur.

* notis in Milonianâ.

tur. Fit hoc bifariam. Primò ab aduersarij nostri patrono; idque præcipuè, fingendo, nos ejus eloquentiam ac gratiam timere: quæ res facit, ut hæc judici sint suspecta. Deinde a personâ ipsius aduersarij: quod fit, adducendo eum vel in odium, idque commemoratione vitiorum, quibus laborat; vel in invidiam, sugillando potentiam, quâ target, & comparando reum, cui nullæ opes, tenues facultates, cum aduersario gratiosissimo; vel in contemptum, ostendendo, eum esse humilem abjectumque. Cicero pro Quinctio: *Quæ res in civitate duæ plurimum possunt, ea contra nos amba faciunt in hoc tempore, summa gratia, & eloquentia: quarum alteram C. Aquili vereor, alteram metuo. Eloquentia Q. Hortensij ne me dicendo impediatur, non nihil commoveor. Gratia Sex. Mævij, ne P. Quinctio noccat, id vero non mediocriter pertimesco.* Illustris quoque est locus Ciceronis in Vatinium, quem superius * adduximus, cum de contemptu ageremus.

* lib. 2.
cap. 13.
sect. 4.

Etiam quòd Tannonius, cum Appuleium accusaret, eum vocârît philosophum formosum, & tam Græcè, quàm Latinè disertissimum, id dixisse mihi videtur, ut orationem Appuleij redderet suspectiorem; non autem, quasi philosophiam, & utriusque linguæ facundiam, ei vitio verteret; quamquam sic videri velit Appuleius.

Interdum etiam contingit, ut idem sit is, apud quem dicit orator, & pro quo dicit. Istiusmodi causæ adfuisse Tullium, scribit Fabius lib. 1v. cap. 1. qui & se pro Regina Berenice apud ipsam ait causam dixisse. In cuiusmodi causâ non multum opus erit laborare de benevolentia paranda.

Quartò conciliatur benevolentia à re, h. e. causâ. Ita enim Varro lib. vi. de L. L. item Horatius, Suetonius, alijque, eo utuntur nomine. Notum illud Aufonij, *Imperium, licet, Venerem cur una notat res?* Inde & reus dictus, cujus causâ in iudicium venit, sive is nocens, sive innocens, atque aded non modò qui defertur, sed & actor. Cic. lib. 11. de orat. *Reos appello non eos modò, qui arguuntur; sed omnes, quorum de re disceptatur.* Ælius Gallus apud Festum: *Reus est, qui cum alio licet contestatam habet, sive is egit, sive cum eo actum est.*

Captatur autem à re benevolentia, si causam nostram extollamus, aduersarij deprimamus; si item causam nostram auditoribus emolumento fore, asseramus.

* universale, seu perpetuum.

Atque hic observandum præceptum *na dandum* *, ut, si causâ laboraret, persona ei opituletur; si persona, subveniat causâ. E. G. Si Manlius Capitolinus accusetur tyrannidis affectatæ; nullam faciamus tyrannidis mentionem, & de personâ dicamus; quòd Manlius

hic,

hic, fugandis è Capitolio Gallis, patriam conservaverit. Si verò & persona, quæ capitis arcessitur, malè audit, & turpe est facinus, quod admisit: quæremus, quod lædat adversarium, quò, si consequi non licet, quòd maximè optabile est, id adipiscamur, quod proximum est. Si denique adversarius sit vir bonus; expedire existimant, ut Tullium imitemur; qui, cum pro Muræna diceret, Catonemque, ut virum gravem ac fidei antiquæ, suspiceret, ac suspici sciret, non quidem in ejusce vitæ quicquam culpavit, aut culpæ potuit: ut tamen quomodocunque fidem detraheret, sectam Stoicorum, cui Cato se addixerat, irridere cœpit: atque id tam ridiculè fecisse dicitur, ut judicium risu dissolveretur, & Cato ipse diceret †: *Quàm ridiculum habemus consulem!*

† *Plut. in
Cat. Vitæ*

IV. QUOMODO PARENTUR ATTENTIO, ET DOCILITAS.

ALTERVM exordij munus Tullio, & auctori ad Herennium, est attentio. Attentum autem reddimus auditorem, tum promissione, tum rogatione. Promissione, cum recipimus nos dicturos de rebus vel gravibus & necessarijs; vel utilibus ijs, apud quos dicimus, vel admirabilibus, aut jucundis. Ita Horat. od. 1. lib.

III:

--- *Carmina non prius*

*Audita Musarum sacerdos
Virginibus puerisque canto.*

Rogatione, cum petimus, ut exiguo temporis spatio, attento intentoque animo, ac perpurgatis auribus, opera nobis detur. Sed quod à Cicerone dicitur de attentione in exordijs parandâ, id solum in humili, aut turpi, aut ancipiti genere, locum habet: item quando judex, audiendo partem adversam, defatigatus est. Falluntur, qui tunc præ exordio jubent abstinere. Nam vel imprimis tum eo opus est. Plurimum autem tunc confert promissio brevitatibus. Quandoque etiam conducit ordiri à fabula, aut dicto lepido, ad animos auditorum demulcendos. Ita attentionem sibi aliquando paravit Demosthenes. Nam cum auditores, ab adversarijs persuasi, penè silentium imperarent; proposcit, ut sibi pauca liceret extra causam dicere. Eo impetrato, fabellam istiusmodi narravit. Adolescens, inquebat, æstivo tempore Delphos, vel, ut alij volunt, Megaram profecturus, conduxit alinum; circa autem meridiem,

ridiem, cum nulla præberetur umbra, quâ solis ardorem levarent; & adolescens, qui afinum conduxerat; & agaso, recumbere sub afini umbrâ voluerunt: hic se locâsse afinum, non umbram afini, dicebat; at alter contendere, umbram quoque esse inter operas conductas. Cum autem hâc narratione cerneret iudices penè risu emori; jamque abitionem pararet, sed ab Atheniensibus retineretur; qui rogabant, ut reliquam narraret fabulæ partem: *Itane*, inquit, *de afini umbrâ audire vultis; de rebus gravibus, & serijs, non vultis?* Meminerit hujusce rei Plutarchus in vitâ Demosth. & x. Orat. Aristophanis interpres in Vespas, Zenobius, & Suidas. Videntur autem & hâc de fabulâ comœdiæ fuisse factæ. Nam in proverbio, *ἐν*

ἄσινι umbrâ.

σκιά †, disertim scribunt parœmiographi, ab Aristotele in didascalico cuiusdam dramatis inscriptionem istiusmodi referri, *Ἄσινι umbrâ. Λεωστέλης ἐν διδασκαλίᾳ καὶ δγματῶν πινθ. φέρει ἐπιγραφῶν, ἐν σκιάν.* Vbi per *διδασκαλίαν* intellige poetarum historiam. Poëtæ enim, cum fabulas spectandas exhiberent, eas dicebantur *διδάσκοντες*, indeque ipsi *διδάσκαλος* vocabantur, & si Comici forent, *κωμικοὶ διδάσκαλος* *; si Tragicici, *τραγωδοὶ διδάσκαλος* †. Ac Tullius quoque †, & Horatius *, similiter eos dicunt fabulas docere.

* *Isoocrates orat. de Pace.*
† *Aristot. de poet.*
‡ *in Bruto.*
* *in Arte.*

At si nec humile, nec turpe, nec anceps sit genus; neque etiam iudices defatigati sint audiendo partem aduersam: tum quidem necesse non est, nos de attentione magnopere esse sollicitos, quia auditoris animus orationis initio etiamnum alacris, & attentus esse solet; contra quàm sæpe fit in orationis cursu; ubi, ne auditor perforato omnia hauriat animo, & transmittente quicquid acceperat, non rarè opus est, ut afferatur aliquid, quo excitetur mens ejus: quomodo Aristoteles refert, Prodicum Sophistam, si animadverteret, auditorum animos peregrinari, eosque esse præsentis absentes, aliquid afferre solitum ex arte suâ, quam alioqui non docebat, nisi pretio quinquaginta drachmarum. Imò Cicero quoque id diligenter observat; quandoquidem etiam in reliquis orationis partibus sæpenumero iudices rogat, ut diligenter attentæque audiant. Quare Aristoteles jure eos ridet, qui sollicitè præcipiunt de parandâ in exordio attentione: partim nempe, quia attentio consequitur de benevolentia; partim quia ille considerabat exordia ratione eorum, quæ per se insunt; non eorum, quæ assumit. Atque id Cicero quoque vidit, cum in secundo de Oratore ait: *Et attentum commovent Græci, ut principio faciamus iudicem, & docilem; quæ sunt utilia, sed non principij magis propria, quam reliquarum partium: faciliora etiam*

in prius-

in principijs, quòd & attentum maxime sunt, cum omnia expectant, & dociles magis inijs esse possunt. Illustriora enim sunt, quæ in principijs, quàm quæ in medijs causis, dicuntur, aut arguendo, aut refellendo. Sed de eo, quòd neque docilitatem autumat Tullius competere exordio, non planè assentimur. Nam longè alia docilitatis, quàm attentionis, ratio est; cum hæc interdum assumatur; illa raro possit præteriri.

Interdum etiam fatius est, auditorem reddere non attentum, quàm attentum. Sed in hoc quoque Aristoteli adversatur Fabius †, † lib. 4. cujus verba apponam: *Nec me, quamquam magni autores, in hoc cap. 1. duxerint, ut non semper facere attentum & docilem iudicem velim; non quia nesciam id, quod ab illis dicitur, esse pro malâ causâ; qualis ea sit, non intelligi: verum quia illud non negligentia iudicis contingit, sed errore. Dixit enim adversarius, & fortasse persuasit. Nobis opus est ejus diversâ opinione: quæ mutari non potest, nisi illum fecerimus ad ea, quæ dicemus, docilem, & attentum.* Sed non affectus est Quintilianus Aristotelis mentem. Nam aliud est cogitationem auditorum planè ab oratione avertere, quâ ratione futurum est, ut tacendo non minus subleves causam, quàm orando: aliud verò hoc agere, ut ab accurata rationum pensulatione avocemus iudices, quia tantum argumenta suppetant nobis, quæ valida quidem videantur primâ facie, eoquæ facillè imponant auditoribus minus acutis, aut attentis; verum infirmitas quorum se foricis instar prodat de ijs diu multumque cogitantibus.

Docilis autem in exordio redditur auditor, tum ijs ipsis, quibus redditur benevolus, vel attentus (nam quòd majori cum benevolentia & attentione audimur, eò magis intelligimur) tum afferendo finem orationis nostræ; quod ut plurimum generatim fit, non accuratè, ac distinctè. Si tamen planè accurateque id faciamus, non necesse habebimus, absoluto proœmio, monere, quâ de re simus dicturi. Nam etsi necessarium est, ut in oratione quæstio ejus primaria clarè ac perspicuè auditoribus ob oculos ponatur: non tamen opus est, id fieri semper distinctâ orationis parte: quænamadmodum superiori capite diximus.

Interdum verò & in exordio causa dividitur: quale à Licymnio rhetore † vocatur *ἰσχυρὸν*, sive *rami*: quia est exordium ramosum. Præter quod, idem alia duo exordiorum genera adducit. Vnum *ἰσχυρὸν* nominat ab *ἰσχυρὸν*, quod inter alia impetum signat; ut videatur sic dici impressio, sive exordium ex abrupto. Alterum nuncupat

ἁπολαύτην, q.d. aberrationem: atque hoc videtur idem esse, ac infinnatio.

V. DE PARTIBVS EXORDII, IYXTA
HERMOGENEM.

EX ijs, quæ hætenus exposuimus, cognoscere licuit, quomodo tractari debeat tum principium, tum insinuatio: quas exordij species superius statuebamus. Nunc breviter dicemus de partibus exordij. Plerique proœmium in tria dispecunt membra; propositionem, ejus rationem, & complexionem, quæ transitio est ad ipsam causam. Verùm Hermogenes quatuor facit exordij partes: *ᾠροτάσην*, sive propositionem, quæ *ἁποδοσις* quasi viam parat; *κατασκευὴν*, sive propositionis rationem; *ἁπόδοσιν*, sive redditionem, quæ nova est propositio rem ipsam tangens, omnemque exordij dignitatē & auctoritatem continens, unde *ἀξιόσις* quoque appellatur; ac denique *βέβαιον*, sive comprobationem, quæ redditionis causam affert. *É. G. ᾠροτάσις* est: Non latet te, illustrissime Princeps, quantis ab hoste calamitatibus affligamur. *κατασκευὴ* est: Tantæ enim sunt, ut dubium non sit, quin earum rumor jam in regiones omnes vicinas sit diffusus. *Ἀποδοσις* est: Justitiæ autem ac sapientiæ tuæ est, curam eorum gerere, quibuscum foedus iniisti. *Βέβαιον* est: Si enim nos subegerint, difficile fuerit tibi soli eorum postea impetum sustinere.

Interdum tamen *κατασκευὴ* omittitur, cùm nempe *ᾠροτάσις* manifestior est, quàm ut indigeat probatione. Exemplum habes in primâ Olynthiacâ.

Interdum quoque *τῆ ἁποδοσις* non proponitur res ipsa, sed propiùs ad eam acceditur: quod cùm fit, *τῆ βεβαιον* non assignatur additionis ratio, sed id affertur, quod præcipuè in exordio intendebatur. Exemplum est in oratione Milonianâ, quod inferiùs afferam. Faciam hoc eo lubentiùs, quia video, eos à Fabio rideri, qui exordia dividunt in quatuor sensus: neque id aliâ de causâ, quàm quia non par ubique ratio sit. At si iusta hæc ratio est, ne debuit quidem de exordio præcipi quicquam, cum id prætereat nonnunquam. Quanto igitur meliùs fuisset, si rem ipsam Fabius explicuisset, ac iudicium reliquisset lectori,

VI. DE LOCIS EXORDIORVM IN GENERE
DEMONSTRATIVO.

ATQUE hæc quidem, partim universè declarant exordiorum naturam, partim generis juridicialis propria videntur; ut quæ diximus de paranda benevolentia in causa honesta, turpi, vel anticipi. Plerique autem Rhetores intra explicationem illam se continent. Sed longè accommodatiùs facit Aristoteles, dum ostendit, quomodo exordia variant pro diversis causarum generibus: item Bartholomæus Cavalcantius, qui in libris de arte Rhetoricâ, quos eruditè linguâ Hetruscâ conscripsit, fusè agit de variâ exordiendi ratione pro varietate causæ. Nos quoque, Aristotelis vestigijs insistentes, de singulis generibus tractationem hoc loco attexemus.

In genere igitur demonstrativo (in quo etiam separatis, & à causâ alienis exordijs uti licet, ut infrâ dicemus) loci proœmiorum sunt quinque. Sumuntur enim vel à laudatione, vel à vituperatione, vel à suasionem, vel à dissuasionem, vel ab ijs, quæ pertinent ad auditorem.

A laude id fit in oratione funebri adscriptâ Demostheni. Nam tum eos laudat, qui pro patriâ pugnando occubuerunt; tum Athenienses, qui instituerant, ut viri præclari post obitum laudarentur. A vituperatione orditur Isocrates encomium Helenes. Vituperat enim sophistas, quod sibi magnopere placerent tractantes *ἄτονον, ἢ πρὸς δόξαν* *. A suasionem, ut si quis dicat, oportere bonos honoribus affici, ideoque se Aristidem laudaturum. Aut si prædicet, eos laudibus extolli debere, qui neque celebres sint, neque improbi; cùm celebres frustra, improbi malè laudentur: ideoque optimam optimè operam collocatum iri in laudando viro bono, & obscuro, cujusmodi fuit Paris, quamdiu in Idâ monte vivebat ignotus. A dissuasionem, ut si quis adserat, cùm non debeant improbi honoribus affici, se decrevisse Pisistratum vituperare. Ab ijs, quæ referuntur ad auditorem; cùm id initio repellimus, quod offendere auditorem possit; sive id fit in Oratore, ob ingenij imbecillitatem; sive in argumento, ut si id humile fuerit, aut pervulgatum; sive in oratione, quæ parum sit exulta.

Ab auditore Aristoteles Chœrilum, poetam sanè præstantem † (quamquam aliud videatur Horatio *) exorsum dicit; cuius quinque

* *argumentum absurdum et admirabile.*

† *vide Isidorum Scripserunt in animaverboribus Eusebiana ad annum MDCCXIV. in Actis.*

que versus è Græcis commentarijs adducit P. Victorius. In ijs
verò etiam est illud ab Aristotele laudatum,

Νῦν δ' ὅτε πάλιν δίδασκω hoc est,

Sed quia nunc nota omnia —.

Quin eadem in re vel omnibus, vel pluribus modis, exordiri
possimus. Gorgias certè in Olympiacâ oratione incipit à laude
eorum, qui ludos instituerant. At Isocratis procœmium petitur ab
eorundem vituperatione. Nam turpe esse dicit, quòd Græci donis
eos exornarint, qui corporis viribus excellant: at ijs, qui prudentiâ,
& animi dotibus pollent, præmia nulla decreverint. Præterea,
cum facillimum sit laudem, aut vituperationem, consilij formâ pro-
ponere (quod fit per verbum *convenit, decet*, aut aliquid *ἰσχυρῶς* *)
certè levi immutatione ex exordio à laude, vel vituperatione, sum-
to faciemus procœmium, quòd à consilio petatur; & hoc item faciliè
in istud commutabimus. At ab ijs, quæ ad auditorem referuntur,
petemus exordium, si rogemus, ut, licet vereamur, ne id, quod
dicturi simus, vel incredibile videatur, vel difficile, vel pervulgatum;
attentionem tamen exigui temporis nobis non denegent.

* *aquipo-*
lens.

VII. DE LOCIS EXORDIORVM IN GENE- RE IVDICIALI.

IN Genere Iuridicali duplex est munus procœmij. Prius Aristo-
teli est, ut indicetur scopus orationis. Alterum est, ut quibus-
dam velut medicamentis præparetur auditoris animus. Atque hu-
jus muneris ratione aliquis etiam exordij usus esse possit in civitate
optimè constitutâ. Nam, ne exordio trunca mutilaque esset oratio;
quia, ut ait Aristoteles, habet in eâ rationem capitis.

Quatuor autem, juxta eundem, loci sunt, à quibus sumuntur hæc
ἰατρούματα * : persona rei, auditoris, adversarij, ac res ipsa: atque
ex his locis à personâ rei, vel adversarij, aut objicit crimen, aut di-
luit. Quæ tamen non eadem ratione, aut loco, fiunt ab utroque.
Nam, qui defendit, insinuare se debet auditorum animis; ideoque
opus est, ut prius refellat, quæ obsunt. At qui accusat, crimina
maximè in peroratione constituit; ut, recenti etiamnum memoriâ,
magis animo auditoris obversentur.

Loci, è quibus ducitur criminandi ratio, complures referuntur
ab Aristotele lib. III. cap. XXIV †. Hos inter ille quoque adfertur,
ut auditoribus ostendatur, quàm pestilens sit calumniæ virus. Nam
efficitur

* *medica-*
mentis.

† *cap. 15.*

efficitur hoc pacto, ut licet crimen id, cujus quis reus agitur, non probetur esse calumniam: tamen auditores, calumnie infensi, id, quod fortasse calumnia non est, velut præjudicio, calumniam esse cum animo suo cogitent. Multum quoque causam juvat, ut, antequam accusando reo operam demus, eum laudemus, ac quidlibet potius agamus, quam ut velle eum criminari videamur: & luculentas quidem amplasque animi dotes strictim, at minutas ampliter extollamus; quia grandia paucis commendata haut animo admodum hærent; exigua autem fusè tractata, si non deridicula videntur, at certè insuperhabentur. Horatius egregiè mores expressit istiusmodi hominis; qui rogatus de amici furtis, non quidem aut inficias it, aut colore aliquo purgat, quòd amici haut fucati erat; sed, ut certius venenatum figat aculeum, primò amici extollit comitatem, quæ profectò quid ad furtum? At mox, en spiculum virulentum, mirari se vir bonus ait, crimen isthoc commissum ab amico. Sed vatem ipsum Venusinum audiamus*:

* lib. 2.
sat. 4.

--- Mentio siqua

De Capitolini furtis injecta Perilli

Te coram fuerit, defendas, ut tuus est mos:

Me Capitolinus convictore usus amicoque

et puero; causâque meâ permulta rogatus

Fecit, & incolumis letor quòd vivit in urbe:

Sed tamen admiror, quo pacto iudicium illud

Fugerit. hic nigra succus loliginis: hæc est

Arugo mera.

Alit & nostrum seculum homines moribus istiusmodi coopertos, hæut vitijs potius; quæ scire, non usurpare virum probum & prudentem convenit.

Locus ab auditore reddit eum benevolum, vel iratum; quoadque etiam (ut ex Aristotele supra diximus) attentum, aut non attentum, iremque docilem; quod fit, si boni mores exprimantur; quia viri probi libentiùs audiuntur, eoque intelligentiùs.

Benevolus autem, vel attentus quomodo reddatur, antè è Tullio perfunctoriè declaravimus: plenius de parandâ benevolentia tractat Aristoteles lib. 11. & nos ex eo libro superiori. Ex ijs verò simul intelligere est, quomodo auditorem reddamus iratum adversario, aut non attentum nobis.

VIII. EXPOSITVR ARTIFICIVM, QVO CICERO
EST VSVS IN EXORDIO ORATIONIS
PRO MILONE.

SED uniuersa hæc jejuniùs dixerimus, nisi exemplis illustrentur. Instar verò multorum sit exordium unicum orationis pro Milone, in quâ hæc omnia, & quæ item generatim de Exordio dixi, luculentè perspicere est. Singulare videamus, quod meretur oratio singulari suo artificio. Quintilianus certè lib. iv. pulcherrimam; lib. xi. nobilissimam appellat: Pedianus quoque, in argumento ejus, ita perfectè scriptam ait, ut jure princeps haberi possit.

Ac primò duo afferebamus munera exordij in genere Iuridiciali. Vtrumque videre est apud Ciceronem: sed is hoc exordio, quemadmodum & aliàs facere solet, primò parat animos; ac dein de ostendit, quâ de re dicturus sit.

Porro cùm generatim de exordio agerem, monebam, secundum munus non eodem semper modo ab oratoribus præstari; sed interdum apertè animos præparari auditorum, ac tum Principium vocari; interdum obscurè & obliquè id fieri, ac nominari Insinuationem. Cicero in Milonianâ obliquè id facit, quemadmodum natura causæ exigebat. Nam patrociniò Milonis Cicero non tantum Pompeium offendebat; sed & alijs se reddebat inuisum: ac Pompeius quoque, quia ei Senatus in mandatis dederat, ut hanc causam cordi haberet, noctu forum armatis cinxerat militibus: quòd terrorem injiciebat Milonis fautoribus, aded quidem, ut Milo, quemadmodum scribit Plutarchus, auctor fuerit Ciceroni, ut in forum deferretur lecticâ, ne armis terretur. Hanc insolitam judicij formam tangit Cæsar apud Lucanum lib. i:

-- *Quis castra timenti*

Nescit mixta foro? gladii, cùm triste minantes

Indicium insolitâ trepidum cingere coronâ,

Atque auso medias perrumpere milite leges,

Pompeiana reum clausurunt signa Milonem.

At fallitur Asconius, qui in argumento ait: *Armatis milites adhiberi postularunt Calius Tribunus, & Milo, propter impetum Clodianorum, à quaesitore L. Domitio.* Falsus etiam L. Cornelius Balbus, cùm scribit †, Ciceronem id à Pompeio postulâsse. Neque enim, arbitror, tantopere terruissent arma Ciceronem, quàm vel ex orationis

† *epist. ad Cic. quæ est lib. 9. epistolarum Cic. ad Att.*

tionis Milonianæ exordio cuius perspicuum est, si ex ejus consilio ac petitione disposuisset illa Pompeius. Quare magis verisimile fit, Pompeium, aut L. Domitium, ijs cinxisse forum, nequis tumultus ab alterutrâ parte excitaretur: indeque factum, ut Clodiani ea contra Milonem, Milonis fautores contra Clodianos, disposita esse dicerent. Ex his perspicuum est, cur Ciceroni fuerit utendum arte ac *κρῦψις* quadam, ad discutiendum hunc metum. Ac primò ponit istiusmodi *σπίταρον*, sive propositionem, quâ se dicit timere. Mox *κατακλιω*, sive propositionis rationem assignat, quòd forum à Pompeio armatis militibus cinctum sit. Inde accedit ad *ἀπόδοσις*, sive redditionem, quando ait, se recreatum sapientiâ ac justitiâ Pompeij, timorem deponere. Postremò subjungit *βιάσις*, sive comprobationem, cum judicibus autor est, ut idem agant.

Cum autem Hermogenes has quatuor partes in exordio requirat: satis videre est, quomodo doctrina Hermogenica hæc ipsâ Ciceronis insinuatione comprobetur. Non tamen existimandum, has partes *ἀπὸ ἀνάγκης* esse necessarias; cum interdum alia sit exordij facies: aut solas esse exordij partes; cum eas in hoc ipso exordio mox sequatur adhortatio ad iudices; adhortationem autem excipiat scopi demonstratio, quod alterum erat exordij munus.

Porrò cum, juxta Aristotelem, quatuor sint loci, à quibus fumantur medicamenta: Cicero in Milonianæ exordio ab omnibus argumenta petit.

I. A personâ rei, cum, ad diluendam Clodianorum calumniam, statim Milo vocatur vir fortissimus, ac dicitur magis de Reip. salute, quàm de suâ, perturbari: & aliquanto pòst, ubi Tullius ait, eum semper steterisse à bonis, ac maximos sceleratorum hominum clamores pro salute Reipub. contempsisse. In quibus omnibus videri queat Tullius aliquantum foro servijisse. Nam Velleio Paterculo, cui haut temerè, præterquam in sui ævi rebus, fidem derogem, vocatur Milo *vir iniquus, & ultra sortem temerarius*.

II. A personâ auditoris, cum ad Pompeium reddenda benevolum, vocat eum virum sapientissimum, ac justissimum; & cum in adhortatione ad iudices ait, ex cunctis ordinibus viros amplissimos judicare.

III. A personâ adversariorum, cum ad iudices ijs reddendos iratos, unum ait genus esse adversum, quos Clodij furor incendiis, & omnibus exitijs publicis pavit; qui etiam pridie, quàm à Cicerone oratio haberetur, sint Munatij Planci concione incitati, ut judi-

cibus voce præirent. Item cum, ad reddendos iudices attentos, dicit, statuendum ijs esse de bonis ac fortibus viris, & bene meritis civibus: cumque, ad reddendos eos dociles, suam, ac Milonis declarat probitatem; velut cum ait, se recreari Pompeij, sapientissimi ac iustissimi viri, consilio; item illud, Milonem semper pro salute Reip. improbos neglexisse; quod etiam semper pro bonis contra improbos senserit.

IV. Denique à re, cum dicit, novam esse iudicij formam; item cum hanc ejus assignat conditionem, quod statuendum esset, utrum, qui semper iudicum auctoritati dediti fuissent, semper miseri lugerent; an, diu vexati à perditissimis civibus, aliquando recrearentur.

Illud præterea in hoc exordio considerandum est, quod Cicero, ut diximus, auditores reddidit iratos Clodianis: tum item, quod in adhortatione ad iudices, misericordiam movet à sua ac rei personâ. Hinc enim intelligere est, non solum *ἔπιθῆ* *, sed *πρόσθε* † quoque in exordio locum habere. Ita Lysias (cujus admirabile esse in exordijs artificium, scribit Dionysius Halicarnass. ‡) etiam in defensione Ephileti de cæde Eratosthenis adulteri, *ἀφ' ὧν ἐστὶν ἀφ' ὧν* * deprehensi, in ipso statim exordio, quod iudices adversario reddat infensos infestisque, petit, ut cuncti ita de scelere ejus cogitent, quasi ipsis domi suæ tanta esset illata injuria. Postea verò à re ipsâ, ac tum iudicum, tum suâ personâ, benevolentiam captat. Est & *πρόσθε* exordium Æschinis contra Ctesiphontem: quamquam hoc quidem nonnulli reprehendi posse censent, ut tragicum & vastum, perorationi, quàm exordio similis. Vt ut est, fatendum, *ἔπιθῆ* Exordio, *πρόσθε* Perorationi potissimum convenire. Atque hæc de Exordio generis Iuridicialis.

* *morem.*
† *affectum.*
‡ *trallatu*
de Lysia.
* *in ipsis*
verbis Vene-
ris, ut lo-
quitur
Vlpianus.

IV. DE EXORDIO GENERIS DELIBERATIVI.

IN genere verò Deliberativo unum tantum Exordij olim munus erat; ut nempe animi præparentur auditorum. Neque eaim necesse fuit, monstrare orationis scopum; quod primum erat munus in genere Iuridiciali. Ac ratio est, quod, antequam oratio haberetur, constabat jam, quæ de re agendum esset. Siquidem, ut autor est Pollux, atque item Vlpianus in I. Philippicam, & in orat. *ἐπιθῆ* † *πρόσθε*, solent antiquitus tabellas conscribere, ac concioni propo-

proponere, ne quem lateret, quâ de re instituenda esset consulta-
tio. At ratione alterius muneris, quinque traduntur ab Aristotele
Exordiorum loci. Primus est ob personam oratoris vel rei, à crimi-
nis depulsiōne. Alter est propter adversarios, à criminatione.
Tertius, & quartus sunt à re; quam si magnam haberi velimus, am-
plificatione utemur; si parvam, à diminutione incipiemus. Quin-
ctus est ab ornatu; ne planè ἀκόλαστοι sit oratio. In quo, si Aristo-
telein audimus, peccat Gorgias Leontinus, qui abruptâ utitur ora-
tione. Sic enim orditur, *Ἡμεῖς, ὡς ἂν εὐδαίμων ἴ.*

† capite
desinita.

† Eius, bea-
ta circumst.

X. DE LOCIS EXORDIORVM, IUXTA
HERMOGENEM.

ATQUE hæc est Aristotelica de locis exordiorum doctrina:
quæ non Tullianæ modò, sed etiam Hermogenicæ, vel eo no-
mine videtur præferenda, quòd Aristoteles distinctos faciat locos
pro varietate causarum. Quare me quidem non movet, quòd Jo-
cissimus Petrus Nunnescius Hermogenem sequi maluit: quemad-
modum & idem Inventionem Hermogenicam, non Tullianæ mo-
dò, in quo ei astipulamur; sed Aristotelicæ quoque anteponit. Ver-
ùm de Inventionem nihil hoc loco dicam; quia ex ijs, quæ libro pri-
mo docuimus, liquidò perspicere est, quamquam sint multa præclare
dicta ab Hermogene, quæ frustra apud Aristotelem quæras; longè
tâmen pluria, magisque necessaria, de λόγῳ, ἡδονῇ, καὶ πᾶσι, ab uno
& solo scripta esse Aristotele. Nec minori idem intervallo exsuper-
rat in ijs, quæ de proœmio præcepit. Interim nihil honorî Hermo-
genis derogamus, cujus præcepta Aristoteli hîc quoque facem ad-
lucere, compertum habemus. Atque id quòd magis pareat, age Her-
mogenicam quoque exordiorum doctrinam paucis ponamus ob
oculis, cumque Aristotelicâ componamus.

Exordiorum, juxta Hermogenem, quatuor sunt fontes; ab opinio-
ne, à subdivisione, ex abundantî, & ab occasione.

Ab opinione ducuntur multifariam. Neque enim solùm petun-
tur ab auditoribus, oratore, reo, aut adversario, quibus de perso-
nis suprâ diximus: verùm etiam a personis externis, quæ causam
adjuvent; sive hæ fuerint sociorum amicorumque, sive hostium: ubi
spectandum, quid imprimis personæ istiusmodi experant: ut si di-
camus, dolere socios ob dissidium hoc, gaudere inimicos.

Alterum genus exordiorum ducitur ex divisione. E. g. Cùm
universam ob vitam anteaactam hic laudem meretur maximam;

tum imprimis ob res hodierno die præclare gestas.

Exordium ex abundanti bifariam instituitur. Primum, si affirmemus, nos de re majori posse dicere: at hæc esse contentos. E. g. Quamquam graviori de crimine hunc accusare poteram: tamen, ne odio adductus videar, id tantum persequi malui, quod leuius est. Deinde, si dicamus, nobis aliquid nec-opinantibus obtigisse. Tale est illud: Cùm speràrim semper, fore, ut hic præmio à vobis ornaretur; nunc miseræ ejus testis, & defensor, apud vos esse cogor. Hujuscemodi procerij exemplum adduximus supra ex orat. Ciceronis pro Val. Flacco.

* in *Illiad.*
ἰώτα,
pag. 749.
edit. Rom.
† excogitavit
more suo
proanimum
ex tempore,
nempe à cō-
vicio, quo
excepti
erant.

‡ *Salve, Achilles: con-
viciū quidē
aqualis non
sumus indi-
di.*

§ *Sive in
reutorio A-
gamemnonis*

Atvide,
Sive &
hic nūc: ad-
sunt enim,
que animū
explicant,
multa

*Ad epu-
lanam. Sed
nō conueni-
amabilis o-
pera sunt
cura nobis:*

*Verū ad-
modū ma-
gnā eladē,
ō Iovis alu-
me, intu-
entes*

*Time-
am.*

Exordium ab occasione est, cùm id, quod in *ὑποθέσει*, seu redditione, petere instituimus, jam persuasum videmus auditoribus. Quale hoc: Cùm omnium vestri animis præclara sit infusa opinio de viri hujus virtutibus, ac meritis: haut longo mihi apud vos sermone opus fore arbitror. Hujuscemodi exordia solent esse grata, ob simplicitatem. Nihil enim affectati habent. Quin ejus generis sermo non tam præmeditatus videtur, quàm è re natus. Itaque gaudet tali Homerus. Ut cùm Ulysses lib. ix. luculentâ illâ oratione persuadere conatur Achilli, ut iram deponat, atque in bellum revertatur. Quippe (ut Eustathij * verbis utar,) *περίστασις τὸ συνήθως ποιοίμεθα ἕξ ἂντι τῷ κερῶ ἰσογῶντος, τὸτ' ἔστι ἐν τῷ συμποσίῳ.* Audiamus, quomodo poeta cum loquentem inducat:

‡ *Χαῖρ' Ἀχιλλεῦ, δαίττος μὲ εἶπες ἐν ἐπιδαίει,*
Ἦ' μὲ ἐπὶ κλισίῃ Ἀγαμέμνονος Ἀτρείδαο,
Ἦ' ἢ ἐνθάδε τῶν πάρος ἢ μνησθέντα πολλὰ
Δαίτυδ'. ἀλλ' ἔδαιττος ἐπεστυέεργα μέμνησθ'
Ἀλλὰ λίτω μέγα πῆμα, διοτρεφέες, εἰσρόωντες
Δείδιμα.

Ac hi quidem sunt quatuor illi exordiendi modi, quos Hermogenes vocat, *ἕξ ὑποθέσεως, ἕξ ὑποκαίρεσως, ἐκ σπασίως, καὶ ἐκ κερῶ.* Et sanè præcipui sunt, non tamen universi; quod nemo diffitebitur, qui eos cum Aristotelicis exordiendi locis conferre haut gravetur. Itaque, ut in eo Doxopatrii iudicium sequor, quoddam hos Hermogenis locos non modò in forensibus caussis, sed etiam panegyricis, ac suavorijs orationibus, locum habere iudicet: ita Apfimi contra, & anonymo Hermogenis interpreti, in illo subscribo, quoddam nonnulla Hermogenis inventis deesse arbitrentur.

Quamquam autem hisce veterum locis instructo non facile deesse possit ratio exordiendi; omnibus tamen minùs exercitatis, vel ab inge-

ab ingenio minùs felicibus, conducere videtur, ut ex Demosthene, Tullio, Dione Chrysoftomo, Libanio, ac similibus, colligant exordia ejusmodi, quæ alijs etiam argumentis aptari posse videantur.

Ut in suafione leviter immutari possit illud Catilinæ apud Sallustium: *Vixi virtus atque fides vestra satis spectata mihi foret, nequicquam opportuna res cecidisset: spes magna dominationis frustra fuisset: neque ego per ignaviam, aut vana ingenia, incerta pro certis captarem. Sed quia multus & magnis tempestatibus vos cognovi fortes, fidosque mihi, eo animus ausus est, maximum atque pulcherrimum factum incipere; simul, quia vobis eadem, qua mihi bona, malaque esse intellexi.* Ex quo exemplo facile erit statuere de cæteris. Sed cautione hic non leviter opus est, ne ea imprimis seligamus, quæ fuerint vulgatiore, aut alij vitio affinia: quâ in re peccari à non paucis, nec uno modo, solet.

XI. DE VIRTUTIBVS, AC VITIIS
EXORDIORVM.

TEMPVS igitur est, ut & persequamur laudes, ac culpas exordiorum. Nam *peffimus sane gubernator, qui navem dum portum egreditur, impegit:* ut scitè ait Fabius Quintilianus lib. IV. cap. I. Sunt autem, & laudes, & culpæ, duùm generum. Quemadmodum enim in corpore humano fit, ut venustas, & deformitas, sint ratione vel quantitatis, vel qualitatis, (quomodo in nasi quantitate peccat τὸ ὄνυξον*) ; tum in illâ, tum in qualitate si-^{* aquiline forma.} ve figurâ, τὸ σμῆρ †) itidem in exordijs observantur certæ virtutes^{† simæ figura.} vitiaque, quæ partim spectent quantitatem, partim qualitatem.

In quantitate observandum est, ut sint mediocria. Medium autem ex naturâ causæ pendet. Nam ut ædibus, ac templis, vestibula; ita causis exordia proportionem respondere debent. Quod facit Luciani locus in Demosthenis encomio: *Σὸ δ' ἵσως ἐν λάσεια, τὸ τ' παροίμια σκόμια ἐπὶ τῆ ἀουμιστρία ἐπαγαγῆσαι, καὶ οὐ μείζον προσηκόμιστο τὰ σιχαμμὰ τὰ δυλάκη.* *At tu fortasse metuis, ne, modo non servato, excipiaris illo proverbij cavillo, inscriptionem sacci esse sacco majorem.*

In qualitate exordiorum videndum, ut sint causæ nostræ conducibilia ac propria; ac proinde, ut sint de re, non autem vulgaria, quæ omnibus causis accommodantur; cujusmodi etiam oratores magni vitare non potuerunt. Istiusmodi esse exordia, scribit Aiconius*, quæ vel ab invocatione Deorum inciperent: vel ab reprehensione

† 11. *Æn.* henfione superioris temporis, ut illud Maronis †:

*Antè equidem summâ de re statuisse, Latini,
Et vellent, & fuerat melius.*

* *Apud A-*
scion. in Cic.
divin.

Et hoc Lucilij *:

Vellem cum primis, fieri si fors potuisset †.

† *Al. si*
forte po-
tisset. Sed oratione:
alteri ma-
lim.

Vtrumque vitij genus tangit Cicero in Divinatione: *Tu, inquit,*
horum nihil metuis, nihil cogitas, nihil laboras, & siquid ex vetere aliquâ

SI FIERI POTVISSET, IUDICES: aut aliquid ejusmodi ediscere potueris, præclare te paratum in judicium venturum arbitraris. Prior formula pertinet ad veterum consuetudinem, à Turnebo quoque paucis adnotata libro adversariorum quartodecimo cap. decimotertio. Solent enim antiqui Deos precari, antequam verba in senatu, aut concione, facerent; quemadmodum & hodie confuerunt Christiani Ecclesiastæ. Testatur id Plinius initio panegyrici: *Bene, inquit, ac sapienter, Patres Conscripti, majores instituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium, à precationibus capere.* Liqueat id quoque ex Gracchi oratione, in quâ occisus est; de quâ ita Cornificius *:

* *lib. 4. ad*
Herenniu,
in Demons-
trationis
exemplo.

Cum Gracchus Deos inciperet precari, cursim isti impetum faciunt. Et hoc Maronis †; *Præfatus Divos solio Rex insit ab alto.* In quem locum ita Servius †: *Mors, inquit, antiquo. Nam majores nullam orationem, nisi invocatis numinibus, inchoabant: sicut sunt omnes orationes*

† 11. *Æn.*

Catonis, & Gracchi. Nam generale caput in omnibus legimus. Vnde Cicero per irrisionem ait: Siquid ex vetere aliquâ oratione: Iovem ego optimum maximum. Et Demosthenes in oratione contra Æschinem: Πρώτον μὲν, ὡς ἀνδρες Ἀθηναῖοι, θεοῖς εὐχόμενοι καὶ ἱεράροις †. Hæc Servius. Ab invocatione quoque orationem orditur pro Muranâ, & C. Rabirio. Certè à Deo cujusque rei capienda esse exordia, monuit præter Platonem Xenophon lib. 1. *Cyropæd.* & in *Oeconomico.* Notum quoque Arateum isthoc,

† *Primum*
Deos, deas-
que omnes
precor, A-
thenienses.

Ἐκ Διὸς ἀρχαίμεθα: hoc est:

Ab Iove Musarum primordia:

ut transtulit Tullius: cujus & hoc in secundo de Legg. *A Diis immortalibus sunt nobis agendi capienda primordia.* Pertinet huc quoque locus Iamblichi initio libri primi de vita Pythagoræ. Charondæ etiam Catanæi sententiam suggeret Stobæus serm. 2 111. Vide & quæ Theon, ad allatum Arati locum, annotavit, & Radulphum Fernelium lib. vi. *Rerum Quotidianarum* cap. 1. & quos laudat Barthius *Adversar.* lib. LVII. cap. XVII. Et si autem ex his liqueat, piè ab

numinis

numinis invocatione initium sumi, & ita fere ab simplici antiquitate fieri solere: postquam tamen ea res penè in defuetudinem abiijt, omnino hâc parte iudicio opus est: nec eâdem sæpe chorda oberrandum, quia, ut cæteris in rebus, ita etiam Oratoriâ in Arte, omnia usu trita vilescant.

Quod de invocatione dixi, idem etiam locum habet in alijs omnibus, quæ communia sunt, & pervulgata. Ut si benevolentia, vel attentio, parentur vulgaribus rhetorum formulis. Cujusmodi exordia etiam à Luciano † ridentur. Quippe ab eo de Nigrino dicturus illo nomine reprehenditur, quòd multa aded *καὶ τῶν ῥητορικῶν ῥήμων ἀπειμαία*. Nec Carolus Sigonius (jure, an injuriâ, nunc non disputo) veritus est, Franciscum Robortelium propterea culpâre, quòd, laudaturus Imperatorem Carolum V, optaret sibi magna naturæ præsidia ad rem maximam. Vide eum, si tanti videatur, lib. 1. c. 1. Patavinarum disputationum: ubi inter alia sic adversarium compellat: *Optatio illa ingenij & eloquentia, cum te, maximo rhetore, indigna fuit; tum verò ita assiduo omnium usu & consuetudine vulgata & trita est, ut jam etiam in indoctis, & rudibus hominibus, justè reprehendatur.*

† in Nigrino.
 † ex Rhetorum legibus in proœmio dicant.

Vtile autem hâc in re præceptum Hermogenis, qui docet, ex communibus sententijs fieri proprias *ὁμιολογία* † *κοινοῦται* †, confitendo esse sententias communes. Isocrates ἐν τῷ περὶ τῆς εἰρήνης. Ἀπαρτὶς μὲν εἰσοῦσα *Σὺν οἱ παλαιότεροι ἐνθάδε, ταῦτα μέγιστα φάσκον εἶναι, καὶ μάλιστα ἀπὸ τῆς ἀξίας τῆς πόλεως, περὶ ἧν αὐτοὶ μέγιστοι συμβεβηκέναι. καὶ μέντοι εἰ καὶ περὶ ἄλλων τιῶν ἀειμαίων ἤρμοζεν τοιαῦτα ἀπειμαία, ἵσκει μοι ἄριστον καὶ περὶ τῆς ἐπιπέδου παρὰ τῶν ἀειμαίων ἐν ταῦθ' ἐπιπέδου τῶν ἀειμαίων.* Quicunque ad dicendum huc veniunt, dicere solent, ea, de quibus consilium daturum sunt, maximi esse momenti, ac digna, in quibus studium atque operam ponat civitas. Verum, si in ullis alijs negotiis hoc dicere convenit, arbitror, impræsentiarum ab eo initium capi debere.

Insuper in exordijs videndum est, ut sint propriè pro re, non communia nobis cum adversario. Si tamen jam usos nos esse communia exordio videamus, imitabimur B. Augustinum, qui cum à quærimonia, à quâ ipse exorsus esset, videret, similiter incipere posse Iulianum; continuò subjungit: *Sed hac pro tuo dogmate, quòd veritatem putas, etiam tu potes dicere. Auferamus itaque de medio, si placeat, ista communia, quæ dici ex utràque parte possunt; quamvis veraciter dici ex utraque parte non possunt.*

Nec communia modò exordia improbantur; sed etiam communia,

tabilia,

tabilia, quæque adversarius facilè ad suæ causæ utilitatem deflectat.

Curandum item, ut exordia sint ex re quasi nata, atque è visceribus causæ velut protracta; non separata, & longè accessita. Sed cum volumus, ea è natura causæ efflorescere; loquimur imprimis de genere deliberativo, & juridiciali. Nam in demonstrativo separatis exordijs uti licet: quomodo Isocrates, in encomio Helenæ, à sophistarum vituperatione orsus est: sophistis autem nihil est cum Helenâ commune. Itaque ut se ratio habet *ἐν τοῖς ἐνδοσίμοις*, quia musici in proaulijs quidvis præcinnunt: ita & Oratores in demonstrativo genere quidvis initio dicunt, & cum reliquâ oratione conjungunt. Idem in quæstionibus infinitis locum habet. Cicero certè separatis magnâ ex parte utitur procœmij in scriptis suis: cujus ratio fuit, quòd jam antè librum exordiorum confecisset, ex quo postea aliquod commodum seligeret. Hinc ipse factum ait, ut aliquando, *μνημονικῶν ἀμαρτήματ' †*, exordio eodem bis usus fuerit. Vide hæc de re ipsum epist. VI. lib. XVI. ad Att. Videtur idem fecisse, tum Antipho, cujus procœmiorum Suidas meminit in *ἀμαρτήματ'*, tum Demosthenes quoque, si ejus sunt sexagintaquinque illa *ἀμαρτήματ'*, sive, ut Pollux * vocat, *συμβουδικὰ* concionum exordia, quæ sub ejus nomine circumferuntur. Nam mihi quidem egregia, attamen ab alio quopiam, sive proprium, sive aliorum in usum, vel conscripta, vel collecta potiùs, videntur. Sallustium quoque in bello Jugurthino, & conjuratione Catilinariâ, usum esse principijs nihil ad historiam pertinentibus, scripsit Fabius lib. III. cap. X. Separata hæc exordia dixere galeata: si credimus Turnebo †. Qui eo pacto censet B. Hieronymum prologum, quem Sacris Biblijs præmisit, galeatum nuncupasse. Atque hoc arbitratur, è verbis istis ipsius Hieronymi elucere: *Hic prologus Scripturarum, quasi galeatum principium, omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum, convenire potest: ut scire valeamus, quicquid extra hos est, inter apocrypha esse ponendum.* Magis etiam luculenta sunt verba hæc Sulpicij Victoris in Oratorij Institutionibus, quas ad M. Silonem generum scripsit: *Vulgare (exordium dicitur) si tale, quale esse possit in omnibus causis, nec proprium personarum aut rerum, de quibus agatur. Quod idem & galeatum à quibusdam vocatur; quoniam ita commune esse possit omnibus causis, quemadmodum galea omnibus vulgò possit esse communis.* Sed, judicio meo, quæ hic de galeato principio dicuntur, ea adjecta sunt Sulpicio ab aliquo, qui sciret, Hieronymum sic prologum suum

† errore
memoria.

* lib. 6.
cap. 33.

† lib. 3. Ad-
versar. cap.
18.

suam nominasse. Valde autem hanc sententiam firmat, quod ea non in omnibus legantur Sulpicij libb. Unde est, quod distincto caractere exprimantur in editione Pythæana; quæ scriptorem hunc exhibet, prout eum ex optimis & vetustissimis codd. castigat Æmarius Ranconetus, Senatus Parisiensis Præses. Imò neque verum arbitror, quod dicitur, communia quævis Oratorum principia aliter vocari galeata. Neque id evincere est ex B. Hieronymo: qui *προομιὰς* * quidem voluit in universos Scripturæ libros; nec * *presari*. propterea tamen prologum suum dixit galeatum; sed potius, quia tralationem suam illo, quasi galeâ, adversus eorum munisset inficitiam, qui distinguere nescirent inter libros canonicos, & apocryphos. Quippe in omni metaphora spectanda est similitudo. Ea autem inter Hieronymi prologum, & galeam, non in eo consistit, quod utrumque sit vulgare, & multorum commune: sed quod, ut galea capiti apponitur, ad corporis defensionem; ita prologus hic initio assumatur, ad tuendam auctoritatem, & ut sic dicam, prærogativam librorum, qui *διότιδος* † sunt, ac canon fidei, & vitæ nostræ. † *divinitus inspirati*.

Fortunatianus alia quoque proæmiorum vitia facit: atque inter alia damnat, quæ sunt *προμικτά*, & *ὑποπρομικτά* †. Interdum tamen à sententiâ quoque, aut exemplo, incipere licet. Certè Tullius ipse † *à sententiâ aut ex- ple ducta*. tertium Officiorum librum exorditur à chriâ, quæ nihil aliud est, quam *προμῆ* * cum auctoris nomine. Ac Dionysius Halicarnassensis * *sententiâ* docet, ab exemplo quoque exordium duci posse.

Insuper monent rhetores, ut modus servetur in usurpandis luminibus verborum ac sententiarum: quandoquidem apparatus illa ac splendida exordia suspensionem movent meditationis ejusmodi, quæ multum diuque antecesserit. Sed hoc præceptum Elocutionem respicit: de quâ suo loco dicitur.

XII. VTRUM PRIMO, AN POSTREMO, SIT DE EXORDIO COGITANDUM: ET AN EO SEMPER SIT OPUS.

PORRO etsi exordium in oratione primum obrinet locum: non tamen primò, sed postremò ei mens ac manus admovenda, contra quàm vulgò multi faciunt. Tullius lib. II. de Orat. *Hiscæ omnibus rebus consideratis, tum denique id, quod primum est dicendum, postremo soleo cogitare, quo utat exordia. Nam si quando id primum invenire*

volui, nullum mihi occurrit, nisi aut exile, aut nugatorium, aut vulgare, atque commune. Principia autem dicendi semper cum accurata, & acuta, & instructa sententijs, apta verbis; tum verò causarum propria esse debent. Et aliquando potest; Hæc autem in dicendo non extrinsecus alicunde querenda, sed ex ipsis visceribus causa sumenda sunt. Iccirco totâ causâ perientatâ atque perspectâ, locis omnibus inventis atque instructis, considerandum est, quo principio sit utendum. sic & facile reperietur. Sumentur enim ex ijs rebus, quæ erunt uberrima, vel in argumentis, vel in ijs partibus, ad quas dixi digredi sepe oportere. Ita & momenti aliquid afferent, cum erunt penè ex intimâ defensione deprompta, & apparebit eas, non modo non esse communes, nec in alias causas posse transferri, sed penitus ex eâ causâ, qua tum agatur, effloruisse. Hæc ille.

In gratulatoriâ tamen, ac funebri oratione, nihil prohibet, quo minus ab exordio auspicemur. Nam in hujuscemodi materiâ facillè exordium dictabit affectus. Alias quoque interdum usu venit, ut se sponte offerat. Imò interdum nec exordio opus est; nedum de eo anxie solliciti esse debeamus. Liquet id ex orationibus patheticis, quæ initium habent abruptum; ut docet Macrobius lib. IV. Saturn. cap. II. Talis est illa Ariadnes apud Catullum *, quâ increpat Thelea: item apud Maronem oratio Iunonis, quæ incipit †,

* *carm. de
nuptiis Pelæi
& Thetidis.*
† *s. Æn.*
‡ *4. Æn.*

-- *Mene incepto desistere victam?*

Et Didonis ea *, cujus initium

*Disimulare etiam sperasti, perfide, tantum
Posses nefas?*

Idem passim fit in concionibus imperatorum, ac ducum: atque aliàs, ubi negotium fervet, & viri sunt brevitatis Laconicæ amantes. Hujus rei exempla longè plurima habemus in concionibus Livianis: quæ inde peti malo. Nam si exordio diutius insistant: quando tandem ad exodium, ut Varro vocat, five finem veniremus?

C A P. III.

D E N A R R A T I O N E.

NARRATIO est rerum gestarum, vel ut gestarum, utilis ad persuadendum commemoratio.

Utimur eâ in genere juridiciali, quando nobis de modo rei gesta non convenit cum adversario.

At

At in deliberativo raro hæc opus est.

*Neque in demonstrativo alia incidit, quàm intercisã; que ad Confirmatio-
nem pertinet.*

*Narrationem oportet esse perspicuam, quò intelligatur; verisimilem, quò
credatur; moratam, quò libentius audiat. Morata verò ut sit,
exprimere debet, quæ ad nostram virtutem, & improbitatem adver-
sariorum pertinent.*

Curandum quoque, ut, quæ dicuntur, iudicibus sint jucunda.

Debet etiam affectum movere.

*Neque semper exordio succedit, sed interdum differtur: breviorque est in
defensore, quàm in accusatore.*

*Interdum autem alienã narrãmus fide, quod ad securitatem facit; interdum
asseruatione utimur, quod fidem magis conciliat; interdum utrum-
que coniungimus.*

I. QUID SIT NARRATIO.

EXORDIO in genere Iuridicali succedit narratio, quæ quid sit, indicat Varro lib. v. de L. L. *Narro*, inquit, cum alterum facio *narrum*: à quo narratio, per quam cognoscimus rem gestam, quæ pars agendi est. Estque narratio vel facti, vel quasi facti; illa *ιστορικὴ* vocatur, hæc *μυθικὴ*, aut *ῥηματικὴ*. Etsi autem sola *ιστορικὴ* in oratione adhibenda erat: quia tamen non semper orator verba sua allegat fide historica; ideo vulgò narratio definitur, rerum gestarum, vel ut gestarum, utilis ad persuadendum commemoratio. Accedit & altera causa, quod olim Rhetores in fictã materiã suos plurimùm excercerent; quemadmodum diximus libro primo †.

Quod si quis descriptionem quærat, quæ non oratoriæ solum, sed cuilibet conveniat narrationi, his præterito oratoris fine, qui persuasio est, simpliciter dicat, eam esse *ἱστορικὴν * περιγραφοῦσαν γὰρ τὸν*, ἢ *ἢ περιγραφῆς*, ut est apud Aphonij scholiastem ‡: five, juxta alios, rei gestæ, vel ut gestæ, expositionem à principio ad finem. Nam, qui Troiam dicit captam, omnia quidem complexus est; non tamen narrat, quia hæc nuda est *ἱστορικὴ*: sed is demum narrat, qui commemorat omnia *ἀπὸ ἀρχῆς ἄχρι τέλους* †. Itaque jubent rhetores, in omni narratione considerare principium, medium, finem: adhæc quæ principium antecedunt, ut rei causas; quæque consecuta sunt, ut effectus. E. g. Raptus Helenæ est causa belli Troiani. Cæpit bellum à conscribendo milite, & apparandis navibus. Decennio est

† epilogos
doctrina de
statibus,
qui capiti
undecimo
subiungitur.
* expositio-
nem: fa-
cta, vel ut
facta.
‡ fol. s. edit.
Alid.
† ab initio
usque ad
finem.

pugnatum, idque vario Marte. Desijt bellum in expagnatione, & incendio Troiæ. Consecutæ sunt seruitutes, exilia, aliaque. Omnia hæc considerare non historici modò, sed etiam oratores solent. Sanè in narratione Milonianæ ea inuenias uniuersa.

II. NARRATIONIS UTILITAS, ET QUANDO
HABEAT LOCVM: ITEM QUOTV-
PLEX SIT.

EST autem narratio, velut sedes & fundamentum fidei, atque argumentorum quasi *σπριμασιμὸς*, seu *feminarium*: ut in quâ oporteat *σπριμασιμὸς τὰ σπριματα ἢ κατασκευῆς* †. Nam, ut optime monet Fortunatianus, quæcunque in confirmatione locum habent, ea in narratione quoque interponere licet, modò solum attingamus. Nam passim quidem inferenda sunt probationum principia: attamen nih. l. probandum, aut refellendum, ne, si id fiat, exhauriatur fides five contentio.

† Spargere
femina con-
firmationis.

Ante omnia verò de narratione videndum, num ea locum habeat, & quomodo eâ utendum sit. Nam interdum nullâ utimur narratione; interdum perpetuâ, siue continuatâ; interdum concisâ & interruptâ; interdum mixtâ. Non utimur narratione in genere deliberativo; quâ de re plenius capite primo hujus libri diximus. Neque in iudiciali eâ opus est, cum nihil prodest narratio: velut cum res gesta nota est ijs, qui audiunt, ita ut nihil obesse possit aduersarius aliter narrando. Omitti quoque potest, cum eodem modo narraturi essemus, quo aduersarius. Vtrâque de re ita Dionysius Halicarnass.

† Sunt etiâ
causæ quâ-
dam nota
habentes
narrationē.
Ea autem
sunt, cum
res iudicibus
nota est, et
apud utraq-
que partem
idem in
confessione.

ἐν τέλει αὖτε ἢ ἐν μελέταις ἀπυρίας. Εἰσι ἢ ἢ διὰ τὴν διήγησιν ἢ ἐκ ἔχουσι ἀπὸ τῆς εἰσι ἢ τοῖς διηγήσει τοῖς ἀπὸ τῆς γυναικῶν ἔχουσι, ἢ τοῖς ἀντιδικτοῖς ὁμοίως ἀμφοτέρωθεν ὁμολογῶντων.

Concisam, atque, ut Martianus Capella vocat, partilem usurpamus narrationem, cum res gestæ nobis obsunt. Itaque tum, (ut ait Tullius primo de Inventione) *membratim oportebit partes rei gestæ dispergere in causam, & ad unamquamque confestim rationem accommodare, ut vulneri præsto medicamentum sit, & odium statim defensio mitiget.* Eâdem interdum utimur, cum eodem modo narraturi essemus, quo aduersarius. Item cum singulæ narrationis partes invidiam adferunt aduersario: quod cum fit, etiam partes singillatim sunt commemorandæ, & exagitantæ; quod non semel, sed crebrò, aduersario indignetur iudex. Itidem cum series totius narrationis nihil

nihil aliud est, quàm confirmatio, & tota confirmatio nihil aliud est, quàm narratio suis probationibus, & amplificationibus, permixta. Id fit in genere demonstrativo; ubi causâ tota stabilienda est argumentis petitis è rebus gestis. Hæc enim ratio est, cur Aristoteles scribat, *διγνων ἐν τοῖς ἐπιδεικτικοῖς ἢ ἐν ἐπιζητοῖς, ἀλλὰ ἂν μὲρ*. Narrationem in genere demonstrativo non esse continuatam, sed in partes distinctam. Hujus rei exemplum habemus in divinâ illâ, ut Luvenalis vocat, Philippicâ secundâ. Item in Cluentianâ, ac Verrinis.

At narratione utimur continuâ, cum nihil horum est, h. e. cum rerum gestarum narratio nobis prodest, neque magnam conciliare potest adversario invidiam, neque est totius nostræ causæ prora, & puppis. Hujuscemodi narratio est in Quinctianâ, in eâ pro Sexto Roscio, alijsque plurimis.

Mixtam denique usurpamus, cum res gestæ partim profunt, partim obsunt. Tum enim, quæ profunt, continuâ; quæ obsunt, concisâ prosequemur narratione.

Sunt et aliæ apud Rhetores narrationis divisiones. Hermogenes eam dividit in ἀπλήν, ἐγκυριαστικόν, ἐπιειδικόν, simplicem, confirmatam, & illustratam. Απλή vocatur, in quâ nec causæ ponuntur, nec descriptiones, eò quòd res certa perspicuaque sit. Istiusmodi est illa pro lege Maniliâ. *Εγκυριαστικόν* dicitur, cum causæ adferuntur: cujus exemplum habemus in illâ pro Archia, item pro Rabirio Postumo. *Επιειδικόν* appellatur, in quâ descriptiones, atque ethopœiæ interferuntur: cujusmodi sunt in Verrinis.

Quin in unâ eademque narratione specimen omnium harum apparet. Ita in Miloniana ἀπλή narratio est: *Milo autem, cum in Senatu fuisset eo die, quoad Senatus dimissus est, domum venit: calceos, & vestimenta mutavit: paulisper, dum se uxor, ut fit, comparat, commoratus est. &c.* Vides, ut rem simpliciter, ac sine ambitione narret. At *ἐγκυριαστικόν* est, cum paulò antè ait: *Interim, cum sciret Clodius (neque enim erat difficile scire) iter sollempne, legitimum, necessarium, ante diem XIII. Kal. Febr. Miloni esse Lanuvium ad Flaminem prodendum, quòd erat dictator Lanuvij Milo: Româ ipse subito profectus pridie est, ut ante suum fundum (quod re intellectum est) Miloni insidias collocaret: atque ita profectus est, ut concionem turbulentam, in qua ejus furor desideratus est, quæ illo ipso die habita est, relinqueret; quam, nisi obire facinoris locum, tempusque voluisset, nunquam reliquisset.* Apertissimè hic videmus, adferri consilia, & causas facti, ac non facti; varia item argumenta, atque etiam, quæ argumenta hæc confirmant. Itaque his ipsis

narrationem habes *ἐπιδαύου*, sive apparatus, quando ait: *Atque ita profectus est*, & quæ sequuntur. Plurimum autem apparatus narratio luculentam continet expositionem omnibus sententiarum figuris tinctam; imprimis acclamatione, & *ἀξιώσει*, sive approbatione dicentis: quæ duo simul sæpe concurrunt. Ut, *O facinus indignum! à monstrum hominis in extremas terras deportandum!*

Sopater, ut exordium, ita narrationem quoque, dispescit in rectam, quam presè *διήκων* appellat, & obliquam, quam *κατάκων* nominat. Recta autem est, quâ apertè & simpliciter rem gestam exponimus. Obliqua, quâ callidè multa alia præmittimus, vel admiscemus, quòd hoc pacto animum auditorum aliò avertamus, ac criminis suspicionem ex animis evellamus. Rectæ narrationis exemplum cuivis fingere in proclivi erit. Obliqua narratio fit, si Alcibiades, accusatus affectatæ tyrannidis, ordiatur à vitæ antea actæ ratione: quo loco referre poterit, quomodo, philosophiæ studio incensus, longo tempore audierit Socratem; cùmque ad Remp. accessisset, optimè de eâ sit meritus: his se rebus concitasse malevolorum invidiam; qui nunc quoque affectatæ accusent tyrannidis; cùm Socraticâ disciplinâ aliter sit edoctus, ac naturâ semper amarit, maximique fecerit, populare imperium.

Apfines narrationem dividit in vehementem, gravem, patheticam, moratam. Verùm distributio ista non est hujus loci, cùm petatur ab Elocutionis formis, de quibus postea dicitur. Idem iudicium esto, de divisione Fortunatiani: qui quinque ejusdem genera statuit: directum, conversum, convincens, solutum, & comparativum. Altera quoque apud eundem distributio est; sed, ut videtur, non magni usus. Octo enim has facit narrationis species: *διήκων, ἀντιδιήκων, μεσικὴ διήκων, ἑξοδιήκων, ἰσοδιήκων, κατάδιήκων, ἐπιδιήκων, ἢ διασκεπὴς*: quibus nominibus quæ designentur, ex ipso, qui volet, Fortunatiano addisces. Vel sicuti obscurius hic exponere eam rem videatur, adeat Antonium Lullum Balearem lib. 111. de Oratione cap. x. Mihi animus est, hujuscemodi omittis, ea solum tractare, ex quibus non aspernandum capiat fructum, qui ad flexanimam illam reginam ferid affectant viam.

III. DE PARTIBVS NARRATIONIS.

PARTES narrationis sunt quatuor : procatastasis, narratio propriè dicta, petitio, & ejus ratio:

Procatastasis ab Hermogene vocatur pars ea narrationis, quæ refert vitam anteaactam, aut quæcunque antecesserunt præcipuum factum. At narratio propriè dicta est factum præcipuum, & maxime proprium causæ. E. G. In Licinianâ est propriè dicta narratio, quo pacto Archias civitate sit donatus ab Heracleensibus. At procatastasis est commemoratio eorum, quæ ad studiorum rationem pertinent. Sopater tamen, in divisione quæstionum, paullo aliter hæc voce utitur : ut cui procatastasis sit aditus, ac velut præmunio ad præcipuum factum : quæ dubitatione, aliâve figurâ institui solet. E. G. At unde initium sumam ? num prioris quoque vitæ scelera vobis ob oculos ponam ? an ab eo ordiar, cujus præcipuè gratiâ dica improbissimo homini scripta est ?

Petitio, quæ tertia narrationis pars est, poscit, ut condignè erga quempiam animati simus. E. G. *Et quisquam sit, qui in casu infelicissimi hominis misericordiâ non tangatur ?*

Postrema narrationis pars est petitionis ratio : quæ brevis esse debet. E. G. Si petitio fuerit ; *Quis nefario homini non succenscat ?* ratio istiusmodi subijci potest ; *Cum intelligat scelus adeo terribile atque atrox paratum esse.*

In hæc quadripartitâ narrationis distributione reprehendit Isaacus Tzetzes ea, quæ de catastasi ab Hermogene scribuntur. At immeritò, ut quoque Nunnesius observavit. Neque enim jubet Hermogenes, in catastasi universa commemorare, quæ ad anteaactam vitam quomodocunque pertinent : sed illa solùm ; (quod prudentiæ munus est) quæ causam juvant. Hujusce rei exemplum habemus in Ciceronis Cluentianâ ; cujus prima narratio planè procatastasis est. At in eâ nihil de beneficijs adfertur ; verùm tantùm de causis, ob quas mater iniquiori erat erga Cluentium animo.

IV. DE SEX IIS, QUÆ ARISTOTELES IN NARRATIONE EXIGIT.

DE narratione sex præcepta tradit Aristoteles. Requirit enim, ut ea sit dilucida, ac verisimilis ; ut honestos rei mores exprimat,

mat, ac contrarijs aduersarij; ut breuior sit in defensore, quàm accufatore; ut sit morata; ut affectum moveat; ut, si neceffe fit, differatur, neque femper collocetur in initio.

Atque hæc omnia obferuat Cicero in Milonianâ. Nam, ut dilucida fit oratio, primò declarat confilium Clodij; deinde occafionem pugnæ; postremò ejus eventum; atque in fingulis partibus, ita rem ob oculos ponit, ut non audiri, fed cerni videatur. Vbiq; etiam operam dat, ut fit verifimilis. Iccirco inter alia quoque docet, Clodium ex urbe egressum, cum grauiffimæ haberentur aduersus Milonem pro competitoribus ejus orationes. At nifi de infidijs cogitâffer Clodius, nunquam exiffet, cum furor ejus maximè requireretur.

Secundò, ostendit ubiq; Cicero, Milonem fuiffe virum fortiffimum, ac minimè infidiosum; Clodium contrâ pessimo omnia confilio instituisse.

Tertiò, longior fuit Clodianorum narratio, quàm Ciceronis. Multa certè præterit Cicero, quæ refert Pedianus.

Quartò, narratio exprimit improbos Clodij mores, ejusque confilia: veluti illo, *Palàm agere cœpit, & apertè dicere, occidendum Milonem.*

Quinò, misericordiam movet Cicero, tum alibi, tum illis verbis: *Quod si ita putâffer, certè oprabilius Miloni fuit, dare jugulum P. Clodio, non femel ab illo, neque tum primum, petiit; quàm jugulari à vobis, quia se illi non jugulandum tradidiffet.*

Sextò, cum interdum narratio differri debeat; id hîc quoque Cicero facit; quia demum narrat post confutationem, ac propofitionem.

Culpant aliqui, quòd inter narrationis virtutes folet perfpicuitas referri; quæ in omni custodienda fit oratione, nifi fortè quædâ obfcurari de industria debeant. Sed non cogitant, ed perfpicuitatè in hac parte requiri, quafi peculiarem; quia narratio fit causæ forensis fundamentum: ac proinde, nifi illa dilucida fuerit, tenebræ toti obducantur orationi. Docet hoc ipsum Tullius lib. 11, de Oratore: *Majore, inquit, periculo hac pars orationis obfcura est, quàm cetera: vel quia, si quo alio in loco est dictum quid obfcurius, tantum id perit, quod ita dictum est; narratio obfcura totam obcæcat orationem: vel quòd alia poffis, femel si obfcurius dixeris, dicere alio loco planius; narrationis unus est in causâ locus.*

Erit autem perfpicua narratio, ut ibidem dicitur, si verbis usitatis, se ordîne

ordine temporum conservato, si non interruptè narrabitur. Undeliquet, in oratione dilucidà, tum verborum, tum rerum, habendam esse rationem. Vide & Aristotelem lib. III. Rhetor. & Ciceronem in Partit.

Ad perspicuitatem quoque confert, ut in narrando temporis servetur ordo. Nam quemadmodum ab historico differt orator, quòd ille veritatem consecutetur, hic verisimilia: ita cum eodem convenit, quòd uterque temporis sequatur ordinem: contrà quàm poëtæ solent, qui etiam à fine, aut medio, ordiuntur: quomodo Homerus Iliadem à decimo, Maro Æneidem à septimo auspiciat bellii Troiani anno.

Perspicuitati etiam, ut rectè Fabius scribit, subijci potest *ἐπιπέπεια*, seu evidentia. Est autem *ἐπιπέπεια*, quàm rem non dicimus, sed ostendimus, & quasi ante oculos ponimus. Itaque illustrem habet *κασιπύπωση*: de qua in *σηματολογία* dicemus.

Morata ut sit oratio, exprimenda est *ὑποθέσις* †, tum rei, tum *† voluntas*, actoris. Eam quòd ostendamus, ita narrare convenit, ut appareat, *ac propositi-
tuna* nos magis sectatos honestatem, adversarium imprimis spectasse utilitatem. E.G. Ego verò monere hominem non cessabam, ne pavulus suos desereret: ille autem respondebat, sibi, ubicunque terrarum esset, liberos non defuturos.

Quod si quid minùs credibile videatur, ratio adjungenda est. Ita apud Sophociem ait Antigona, majori sibi curæ esse fratrem, quàm maritum, ac liberos; quia novum maritum, ac liberos, accipere possit; fratrem non possit. Quo argumento ante Sophoclè usà fuerat Intaphernis uxor, cùm, datà à Dario optione, superstitem sibi maluit fratrem, quàm conjugem, ac gnatos; teste Herodoto lib. III. Etiam Abauchas, cùm incendium undique circumdedisset domum, Gyndanem amicum, qui, gravi vulnere affectus, egredi non poterat, in humeros sustulit, rejectà uxore, corpori licet inhæreret; posthabitis etiam filijs, quorum alter periit flammâ, alter cùm matre ambustâ vix evasit. Idem, cùm hoc vitio ei verteretur, respondit, nec liberos sibi deinceps consequi difficile fore: nec de ijs constare, an futuri sint boni: at diu fore, priusquam reperiat amicum tam certis, quàm Gyndanes esset, cognitum argumentis. Auctor Lucianus in Toxaride sive de Amicitia. Quòd si ratio istiusmodi non suppetat, causâ rejicienda est in naturam nostram; ac dicemus, etsi plerique omnes aliter animati sunt, nos tamen ita semper affectos fuisset.

Insuper iubet Aristoteles, ut, quò affectum hominis significemus, ea quoque commemoremus, quæ mores hominis consequuntur: velut si quis, ad auidacem & agrestem alicujus animum ostendendum, dicat, eum loquentem incessisse. Hujuscemodi plurima suggerent Porphyrius in quæstionibus, ac Homericæ interpretes. Imprimis verò, quomodo mores hominum à signis ac notis suis exprimi debeant, elegantissimi docebunt Theophrasti characteres, quorum utinam non bona pars deperisset!

V. AN BREVITAS SIT NARRATIONIS
V I R T V S.

SVNT qui brevitatem inter virtutes narrationis referant, quos Sridet, & refutat Aristoteles, eò quòd neque brevem, neque prolixam, sed mediocrem esse, conveniat. Ita Lysæ pro Eratosthenis cæde narratio longa est pro brevitate orationis, quia præcipuum narrationis robur in narratione consisteret. Et rectè Tullius lib. II. de Oratore: *Si tum est brevitatis, cum tantum verborum est, quantum necesse est; aliquando id opus est, sed sæpe obest, vel maxime in narrando, non solum quòd obscuritatem affert, sed etiam quòd eam virtutem, quæ narrationis est maxima, ut jucunda, & ad persuadendum accommodata sit, tollit. Et paullo pòst: Sed & festivitatem habet narratio distincta personis, & interpuncta sermonibus: & est probabilius, quòd gestum esse dicas, cum, quemadmodum actum sit, exponas: & multo apertius ad intelligendum est, si sic constituitur aliquando, ac non istà brevitatem percurritur.* Consentit etiam Fabius lib. IV. cap. II. cum ait: *Fortasse ubique, in narratione tamen precipue, hac tenenda via, dicendi quantum opus est, quantum satis est. Quantum opus est autem, non ita solum accipi volo, quantum ad judicandum sufficit; quia non inornata debet esse veritas; alioqui sit indocta. Nam & fullit voluptas, & minus longa, quæ delectant, videntur; ut amenum & molle iter, etiamsi est spatii amplioris, minus fatigat, quàm durum aridumque compendium. Non enim mihi unquam tanta fuerit cura brevitatis, ut non ea, quæ credibilem faciunt orationem, inferi velim. Simplex enim, & undique præcisà, non tam narratio potest vocari, quàm confusio.*

Autor tamen Rhetoricorum ad Alexandrum (nam eum Aristotelem non esse, alibi diximus) tres statuit narrationis virtutes: ut brevis sit, ut dilucida, ut verisimilis. Idem facit Cicero I. de Inventione: item Theo in Progymnasmatibus. Itaque, ut tollamus hanc pugnam,

pugnam, dicendum est, cùm Rhetores brevitatem negant esse virtutem narrationis, tum eos adversari illis, qui tradebant, compendio omnia narranda esse, ita ut narratio xigua esset. At cùm brevitatem faciunt virtutem, loqui illos de brevitate, quâ referuntur ea omnia, sine quibus obscura est oratio, & ea remouentur, quæ necessaria non sunt.

VI. QUANDO NOSTRA, QUANDO ALIENA
FIDE, NARRARE DEBEAMVS.

Nec inutile est illud præceptum Hermogenis, in narratione alias esse utendum ἀναφορῶν, sive relatione aliorum: alias βεβαιώσεως, sive asseveratione: prius illud fieri δεῖ ἀσφαλῆς, ob securitatem: posterius διαπίπτειν, ut fidem faciamus. In genere laudativo magis utimur ἀναφορῶν. Quomodo securius narrari, satis est apertum. Nam cùm diximus, poëtas, aut historiographos, ita memoriæ prodidisse; vel nos ita accepisse à viris fide dignis; etiam cùm falsum est, quod retulimus, non tamen mendacij possumus argui. In iudiciali perpetud utendum βεβαιώσεως, quia minimè nobis fidem habebunt iudices, si ipsi videamur dubitare de rei veritate. Interdum utramque ininus rationem: ut si dicamus, ita traditum esse, ac nos id ipsam comperisse. Nam prius, ut dixi, ad ἀσφάλειαν facit, alterum ad πίστιν. Vide Hermogenem ἐν μέλλουσῶν δευτέρῳ.

C A P. IV.

D E P R O P O S I T I O N E.

NARRATIONE peroratâ, status orationis proponitur, causâque si multiplex fuerit, in certas partes distribuitur.

Fit autem hac diviso vel sejunctione, vel enumeratione.

Sejunctione aperimus; quid nobis conveniat cum adversario, & quid in controversiâ relinquatur.

Enumerationem, quot, & quibus de rebus, dicturi simus, exponimus.

Partitionis virtus est, ut sit plena ac perfecta; ut plana ac perspicua; ut brevis, nec plus quàm trium, aut summum quatuor partium.

I. DE EXCESSV SIVE DIGRESSIONE NARRATIONI ADNEXA, DEQUE ANANEOSI.

SUNT qui inter narrationem, & contentionem, interijciant excessum, ananeosin, partitionem, & propositionem. Itaque & Fortunatianus de quatuor istis hoc loco tractat: & Fabius †, priusquam ad propositionem accedat, differit de egressione, quam Græci *ἰσχυροδον* & *παρήλατον*, Fortunatianus excessum vocat.

† lib. 4. cap. 3.

Est verò hoc loco *παρήλατον*, non quævis alienæ rei, attemen ad causæ utilitatem pertinentis, extra ordinem excurrrens tractatio (quomodo à Fabio † definitur) verùm criminis amplificatio narrationi adnexa. Rectè autem, tum Fabius, tum Fortunatianus, negant, eam distinctam esse orationis partem. Nam neque semper, neque solùm post narrationem, locum habet. Siquidem tantùm, si *expositio circa finem* (narrationis) *atrox fuerit, prosequimur eam, velut erumpente protinus indignatione;* ut inquit Fabius *. Adde quòd, ut idè ait, tantùm ante confirmationem adhibetur, cùm res dubitationem non habet. Quippe ridiculum sit, id, quod adhuc in incerto est, velle in immensum extollere. Quare rectè Sopater duplicem facit *παρήλατον*, sive criminis amplificatiorem: unam, quæ antecedit confirmationem, ac *cataphora* dicatur, quâ Demosthenes usus orat. in Midiam: alteram, quæ sequatur, & *epiphora* appelletur, cujusmodi sunt loci communes in epilogis. Nihil verò contra Fortunatianum facit, quòd digressioni quoque in exordio locus esse possit; ut argumento olim fuit Ciceronis oratiuncula †, quam pro Milone habuit. Nam, ut antè dicebamus, per excessum hoc loco non quisvis signatur excessus; sed tantùm is, qui est quasi finis narrationis, ac patrati criminis atrocitatem oculis subjicit.

† ibidem.

* ibidem.

† Fabius ibidem.

Insuper tractat Fortunatianus de ananeosi, quasi renovationem dicas: quæ eo à *αενατασιν* differt, quòd hæc rem tractet ad iudicem conciliandum; ananeosis iudicem præparet ad rem audiendam. Ananeosin statuit Fortunatianus in Quinctianâ, & pro Cæcinâ. In Quinctianâ hæc signat verba: *Iudicium esse, C. Aquili, non de re pecuniariâ, sed de famâ, fortunisque P. Quinctij, vides.* Pro Cæcinâ hæc legere est: *Maximè fuit optandum Cæcine, recuperatores, ut controversia nihil haberet: secundo loco, ut ne cum tam improbo homine: tertio, ut cum tam stulto haberet. Etenim non minus nos stulticia illius sublevar,*

levat, quàm ledit improbitas. Quibus è locis cognoscere est, cur dicat Fortunatianus, ananeoſi judicem præparari ad proccimiorum modum. Nam in Quinctianâ conciliat Cicero judicum animum, recensendo incommoda judicij, novamque ejus rationem, quam inducebant adverſarij, ut nempe reus diceret ante actorem: Pro Cæcinâ verò concitat judices adverſus adverſarium, cujus notam fecerat improbitatem, & dementiam. Meritò autem nec ananeoſis ſtatuitur diſtincta orationis pars. Nam ex ijs, quæ hætenus diximus, cognoscere est, eam nihil aliud eſſe, quàm novum quoddam exordium. Hoc quid ſit, intelligit, quiſquis meminit, quod capite ſecundo ex Ulpiano rhetore oſtendimus; duo eſſe exordiorum genera, unum, quod toti orationi; alterum, quod certæ parti viam parat.

II. DE PROPOSITIONE.

SVPERVNT propositio, & partitio; quæ Hermogenico *ὑπερθετικὴ* *κατακομὴς*, q. d. *preconfirmationis* nomine, comprehendì poſſe cenſent.

Propositionis munus eſt, ante oculos ponere id, quod in controverſiam venit. Hanc rhetores Græci vulgò nominant *ἐπιθέσιον*, ſive *expositionem*, quia initio cauſæ *ὑποδείχαι* * exponat. Sed veteres oratores, teſte Hermogene, appellarunt *ἐπιθέσιον*, h. e. *promiſſionem*; quia hæc pollicemur, nos de cauſæ noſtræ capitibus acturos eſſe. Utitur *ἐπιθέσιον* vocabulo Demoſthenes contra Ariſtocratem, ubi ait: *ἵνα ἂν ἐστὶν ἡμῶν τὰ ἐπιθέσιον ἐπιδείξω. Vtile eſt me tria vobis, qua promiſi, demonſtrare.* Cicero quoque pro Quinctio ſimiliter locutus: *Oſtendam primùm, inquit, cauſam non fuiſſe, cur à Prætorè poſtulares, ut bona P. Quinctij poſſideres: deinde, ex edicto te poſſidere non poſuiſſe: poſtremò, non poſſediſſe. Quoſo C. Aquili, voſque, qui eſtis in concilio, ut, quid pollicitus ſim, diligenter memoria mandetis.*

Eſt verò propositio planè diſtincta à cæteris orationis pars. Nam exordij, cui eam ſubijcit Thomas Corràus †, pars eſſe nequit, cum plurimùm poſt narrationem collocetur. Nec narrationis, quæ inter alios Hieronymi Treutleri * ſententia eſt, pars eſſe poteſt, cùm rarò narrationem antecedit. Neque, quod Fabius * ſcripſit, confirmationis (niſi laxè hæc voce utaris) initium eſt; cùm ſe ad confirmationem habeat, ut conclusio ad argumentum. At conclusio ſyllogiſmi pars potiſſima eſt, aded quidem, ut & ſolo ſyllogiſmi nomine ab Ariſtorele † ſignetur: argumenti verò pars non eſt, cùm id

capita.

† lib. 3. de eloquentia

cap. 5.

* lib. 1. isagoges cap. 7.

* lib. 4. c. 4.

† 1. Analyt. prior. cap. 1:

1. Poſt. cõt. 4. 1. de anima cõt. 4. 2.

quod probatur, necessariò aliud sit ab eo, quo id probatur.

* *simplici-*
ter.
* *remotione,*
& *positione.*

Interdum autem propositio fit ἀπλῶς *, interdum κατ' ἀρχὴν ἢ ἰδίῳ †: ut apud Justinum lib. xxxi, ubi Hannibal ait Antiocho, non se eorum probare sententiam, qui contenderent, in Græcia esse sedem belli statuendam: sed putare, in Italia id fieri oportere. Verba Iustini sunt ista: *Nihil se consiliorum, aut ceptorum presentium probare ait; neque sedem belli Græciam sibi placere, cum Italia uberior materia sit.*

Interdum etiam non opus est propositione: non quasi ἀπλῶς omitti queat; sed quia, ut capite primo dicebamus, aliunde, puta, vel ex proœmio, vel narrationis fine, quâ de re agendum sit, cognoscitur.

Nonnunquam etiam id, quod imprimis in controversiâ est, præteritur, atque aliud adfertur, quod cum controversiâ cohæret. Id fieri solet, quando primaria quæstio ingrata est auditoribus: unde necesse habemus, paullisper avertere animum, ac aliud insinuare mentibus, quàm præ se primò ferebat oratio.

III. DE PARTITIONE.

QUÆMADMODVM autem simplex propositio, ita partitio quoque, quæ nihil aliud est, quàm propositio multiplex, pro diversâ causæ naturâ locum fortitur diversum.

Hermogenes observat, Demosthenem præmittere narrationi partitionem, quando fallere studet auditores; ut in oratione *de* *republica*. aliàs verd narrationi eam subijcere, ut oratione in Aristocratem.

† *lib. 2. cap.*
denarrat.

Fortunatianus † quoque monet, tum partitionem postponi narrationi, quandò vellongior est narratio, ac partitione paratur docilitas; vel cum, ad ciendam invidiam, narratio in plures conciditur partes. Prioris exemplum fuerit: Dicam, quæ rem antecessere, quæ in re ipsâ contigerunt, quæque eam sunt consecuta. Posterioris exemplum habemus in illis Tullij verbis lib. primo accusationis in C. Verrem: *Quæstor Cn. Papirio consuli fuisti abhinc annos quatuordecim. Ex eâ ad hanc diem quæ fecisti, in iudicium voco. Hora nulla vacua à furto, scelere, crudelitate, flagitio reperietur. Hi sunt anni consumti in quæsturâ, & legatione Asiaticâ, & præturâ urbanâ, & præturâ Siciliensi. Quare hæc eadem erit quadripartita distributio totius accusationis mee.*

Dispicendum præterea, quando simplex, quando item partita adhibenda

adhibenda sit. propositio. Nam, ut refert Sulpicius Victor, Cato perpetuò utebatur partitione, rariùs Cicero; hoc est, non nisi causâ exigente. Exigit autem, juxta Fortunatianum, si vel longa sit, vel conjuncta, vel obscura. Longa est illa in Verrem. Conjuncta est, quæ ex varijs constat capitibus; ut illa pro Muræna: *Intelligo, Indices, tres totius accusationis partes fuisse, & earum unam in reprehensione vita, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus esse versatam.* Obscuræ exemplum statui possit Cluentiana, in quâ hujusmodi est partitio: *Ostendam, Indices, primum, quoniam caput illius atrocitatis atque invidia fuit, innocentem pecuniâ circumventum; neminem unquam majoribus criminibus, gravioribus testibus, esse in judicio vocatum.* Deinde ea de eo præjudicia esse facta ab ipsis iudicibus, à quibus condemnatus est, ut non modo ab ipsis, sed ne ab alijs quidem illis, absolvi ullo modo posset. *Cum hac docuero, tum illud ostendam, quod maxime requiri intelligo, judicium illud pecuniâ esse tentatum, non à Cluentio, sed contra Cluentium: faciamque, ut intelligatis, in totâ illa causâ, quid res ipsa tulerit, quid error affinxerit, quid invidia conslarit.* Quamquam nonnulli, quorum iudicio & Fabius subscribere videtur, partitionem hanc eo nomine reprehensum eunt, quòd, *si probari posset tertium, nihil necesse fuerit dicere priora.*

Partitionem dividit Fortunatianus in eam, quæ instituitur per sejunctionem, & illam, quæ fit per enumerationem. In causâ conjunctâ locum habet sejunctionio; qua aperimus, in quibus cum adversario conveniamus; in quibus item discrepemus. At in causâ longa, vel obscura, adhibenda est enumeratio; qua breviter ostendimus, quot, & quibus de rebus, sumus dicturi, atque ita orationis habenas adducimus, ut certo se contineat gyro.

Mihi posterius tantùm genus mereri videtur partitionis nomen. Nam sejunctionio sanè sit: Pecuniam privatam de templo à se sublatam agnoscit: sacrilegium num sit, cognoscendum. At hic nullas in partes distribuitur oratio, eoque orationis partitio dici nequit. Nec est, quòd quis, non orationis quidem habendæ, attamen causæ ipsius divisionem esse contendat. Nam de quo controversia non est, id pars controversiæ esse nequit.

Partitionem tum plenam esse oportet, ita ut omnia complectatur, quæ in causam incidant; tum planam etiam, ne subtilitate suâ auditorem involvat, cum inventa sit, ut orationi lucem adferat. Partitio quoque genera debet afferre rerum, non partes generum. Ideo Cicero 1. de Inventione tres facit virtutes partitionis; brevitatem,

tem, paucitatem, & absolutionem. Brevitas est in verbis; paucitas in generibus; absolutio in toto. Herennianus quoque magister membra solum tria admittit. Alij quatuor summum esse volunt. Pluribus profecto uti, non dividere est; sed, velut bovem Molossi solent, orationem concidere & lancinare.

Quod si membrum aliquod in alias partes debeat dispelci; divisionem eam non confestim subjiciemus primariae partitioni, quod memoriam maxime onerat; sed suo eam loco referemus. Praenobis hæc in parte Tullius, qui in Manilianâ, expositis reliquis membris, postremum hoc pacto dividit: *Ego*, inquit, *sic statuo, in optimo imperatore quatuor has res inesse oportere.*

Observandum insuper, adferendam ab oratore partitionem, non quasi haud aliter dividi possit oratio; sed quia is commodè judicet, omnia ad ea capita revocari posse. Ut pro Roscio; *Tres sunt res, de quibus me dicere arbitror oportere.*

Curandum præterea, ut, si multæ fuerint partes, eodem illas tractemus ordine, quo proposuimus. At si paucæ fuerint, nihil impedit, quod minus alium ineamus ordinem; quia nihil tum periculi est, ne hæc re confundamus memoriam auditorum. Hinc liquet, quatenus recipiendum sit *ἀξίωμα* ac pronuntiatum illud, quo Fabius librum quartum claudit & obſignat: *Turpissimum esse, non eodem ordine exsequi, quo quidque proposueris.*

C A P. V.

D E C O N T E N T I O N E.

CONTENTIO distribuitur in Confirmationem, & Confutationem: illa argumentando causam nostram adstruit; hæc argumenta destruit adversarij.

In confirmatione consideranda est tum argumentorum, tum argumentationum dispositio.

Argumenta firma collocanda sunt in principio, cum, re narratâ, auctor auditor cognoscere, quid afferamus ad causam nostram probationem: item in fine, quia postrema maxime animo inherent.

At infirmiora in medium conijcienda sunt gregem, ut, qua per se parum possunt, turbam valeant.

Præterea, si firmamentum nostrum fuerit argumentum à causâ alienum, addiscemus

adducemus illud velut *causae proprium*. At quod adversarij proprium est, efficiemus alienum.

Cavendum autem, ne argumenta nimis condensemus: neque, cum affectum movemus, argumentis gaudebimus, sed sententijs.

Vititur Orator cum syllogismis, atque inductione; tum imprimis enthymematibus, & exemplis. Ac syllogismi saepe oratoribus sunt quinque-partiti; qui constant propositione, ejus ratione, assumptione, hujus approbatione, & complexione. Nam hic naturalis est partium istarum ordo; et si saepe eas transponit orator; quemadmodum & saepe partem aliquam praeterit, ut manifestant.

Enthymemata quoque saepe adhibet tripartita, adjecta antecedentis sive argumenti ratione. Nec raro conclusio prior est antecedente.

Quod si argumentatio non tam docendi, quam commovendi causa fiat, amplificatio appellatur. Cumque haec partim in augenda oratione, partim in rei exaggeratione occupetur: posterior imprimis hujus loci est. Ea fit incremento, comparatione, ratiocinatione de quantitate rei, aut congerie.

Confutatio non uno fit modo. Interdum ostendimus, falsa esse pro veris assumpta: interdum, is concessis, complexionem ex his consequi negatur: interdum contra firmam argumentationem alia aequè firma, aut firmitior ponitur: interdum utimur elevatione, ridendo argumenta adversarij.

Vt plurimum autem primò adoriemur argumenta adversarij validiora, ut, ubi ea diluerimus, quasi sponte manum dent infirmiora.

I. AN CONTENTIO APTE FIDES VOCETVR,
ET DIVISIO EIVS IN CONFIRMATIONEM
ET CONFUTATIONEM, ET QUAE
DO HAC ILLAM PRAE-
CEDAT.

SEQUITVR Contentio, quam Aristoteles *ἰσχυρὸς* *, ac Cicero eo-
dem modo orationis fidem appellat. Nam cum in Partitionibus
de Exordio, ac Narratione, egisset, sic scribit: *Nempe ea sequuntur,*
quae ad faciendam fidem pertinent? C.P. Ita est, quae quidem in confirma-
tionem, & reprehensionem, dividuntur. Et aliquantò post: *Age si ergo,*
quoniam in confirmationem, & reprehensionem, diviseras orationis fidem, &
dictum de altero est, expone nunc de reprehendendo. Non tamen satis-
facit haec interpretatio Fabio. Nam is, cum lib. v. cap. x. de enthymemate,

memate, epichiremate, & apodixi, verba fecisset, illa subdit: *Hac omnia generaliter alius appellat, quæ etsi propriâ interpretatione dicere fidem possumus, apertius tamen probationem interpretabimur.*

Idem quoque Fabius, more suo, à summo dicendi magistro in eo dissentit, quod contentioni seu fidei subjecerit, tum confirmationem, tum refutationem; uti & Tullium fecisse superius vidimus. Verba Fabij apponam. *Næque is, inquit, assentior, qui detrahunt refutationem, tanquam probationi subjectam, ut Aristoteles. Hac enim est, quæ constituat; illa, quæ destruat.* At quis non videt, utrumque ad faciendam fidem pertinere, tum ut nostra probemus, tum ut redarguamus contraria?

Quod ad situm harunce partium attinet, docent vulgò, duplicem esse ordinem, unum artis, alterum iudicij: (alij illum naturæ, hunc ordinem artificiosum vocant) artem exigere, ut præcedat confirmatio: verùm interdum contrà fieri: atque hoc esse *oïnovoiuia*. Ira enim ordinem iudicij vocat Apfines. Quod facem adlucet isti Sulpicij Victoris loco: *In dispositione hæc sunt, ordo cum eâ quæ Græcè appellatur oïnovoiuia.* Nam si, ut plerique Rhetores solent, generatim suffisset *oïnovoiuia* nomen; dixisset, *ordo, qui Græcis oïnovoiuia.* Verùm quod confirmationem docent semper præcedere juxta ordinem artis, largiter peccant. Rectius Aristoteles, qui lib. III. cap. XVI. †, auctor est, illum, qui prior dicit, prius confirmare; postea refutare; nisi multiplicem habeat causam adversam: eum verò, qui posterior est in dicendo, prius refutare, posteriùs confirmare; nisi parum suis argumentis moverit adversarius. Atque hoc etiam observat Cicero oratione pro Milone, quod significat illis verbis: *Se. antequam ad eam orationem venio, quæ est propria nostra questionis, videntur ea esse refutanda, quæ in Senatu sæpe ab inimicis, ab improbis sæpe jactata sunt.* Idem fit orat. pro Murænâ, pro Cælio, pro Syllâ, aliisque defensionibus; in quibus confutationem præmittit confirmationi. Ac ratio in proclivi est, cur alio reus, alio accusator utatur ordine. Nam orationem respuit auditor, si adversarius probabiliter dixisse videatur. Scopi quoque diversitas diversas efficit actiones. Accusator autem studet severitati, reus benevolentia: ille vulnera, hic medicinam studet facere. Quare eos † ratio fugit, qui, cum audiissent, duplicem esse ordinem; quod confutatio sæpe confirmationem præcedit, id pertinere putarunt ad ordinem iudicij, non artis, sive, ut alij appellant, naturæ. Vtrumque enim natura præcipit. Adde quod, cum Rhetorica sit facultas, Rhetoris est æquè præcepti tradere

† juxta
vulg. dist.
al. 29.

* ut Marc.
Capell. lib.
5. cap. de
dispositio.

dere accusatori, ac reo. Itaque, contrà quàm opinati sunt, illud potius ad ordinem judicij pertinebit, si, qui posteriùs dicit, priùs confirmet, quàm refutet.

II. QVO ORDINE PONENDA SINT ARGVMENTA IN CONFIRMATIONE.

IN confirmatione consideratur tum materia ejus, tum forma. **MATERIA** sunt argumenta; è quibus ea antecedunt, quæ ad probandum valent; sequuntur autem, quæ ad amplificandum adhibentur. Priora quoque sunt illa, à quibus alia oriuntur ac dependent: quomodo voluntas præcedit potestatem, quia hæc à voluntate quasi excitatur.

Sed & argumentorum ordo variat, tum pro ratione rerum, quæ probantur; tum pro firmitate, aut imbecillitate in probando.

Ratione rerum ordo vel artificialis est, qui genera rerum spectat; vel naturalis, in quo temporis habetur ratio. Id perspicuè factis de criminatione docet Julius Severianus: *Nos primum estimamus actorem quasi membra quadam facere debere; ut separet, quæ ad libidinem, quæ ad avaritiam, quæ ad crudelitatem, aliudve, quod ad noxæ genus pertinet: aut si non genera criminum, tempora tamen discernat prima; utputa, quæ ante militiam gesta sunt, quæ in militia, quæ post militiam. Ita hunc locum emendo; cùm in Plantinianâ Fruterij, & Parisiensis Pythœi pro aut legatur ut: quasi tantùm unicus sit ordo, ejusque postrema verba sint exemplum: quod profectò est oppositum statuere in appposito, ut vulgò loquuntur.*

Deinde variat argumentorum series pro eorum firmitate, aut infirmitate. Nam imbecillia in mediâ sunt congerenda oratione; quemadmodum (ut Homerus † etiam, & rei militaris scriptores * † *liad. d.* jubent) bonus imperator infirmiore armaturam in mediâ constituit acie. At firmiora collocanda sunt in principio; item in postprincipijs ad impellendum. Quod consilium etiam ad versarij Appuleij sequebantur; cùm, in accusando eum ob versus amatorios, maxime lascivis extremum darent locum. Vnde de ijs sic ipse in Apologia sua: *Recitem nunc & alios; quos illi, quasi intemperantissimos, postremum legere.* * *Veget. lib. 3, cap. 16.*

Neque tamen accumulanda argumenta alia super alia, quia sefe mutuò elidant: sed interserenda, quæ ad ornatum faciunt; quod ipsum quoque eleganter docet Dionysius Halicarnassensis,

† ἐν τῇ-
 χῆρ.
 * quo pacto
 violatur me-
 ditationis
 artificium.

lis, quo loco † præcipit *οὐκ τῆς ἐν μάλιστα ἀταχίας †.*

Quod si duobus solum argumentis caussa nostra nitatur : ordie-
 mur a fortiori, munitionisque ; inde imbecillius constituemus : tum
 ad validius vividiusque recurremus.

III. NEC QUIBUSVIS, NEC VBIVIS, VTENDVM
 ESSE ARGUMENTIS; SED ESSE, VBI SEN-
 TENTIÆ PRÆSENT.

† ἐν τῇ-
 χῆρ.

ARGUMENTA autem futilia, aut vitiosa, reiicienda sunt, ne
 magis numerare ea videamur, quàm expendere. Periculofum
 quoque est uti argumentis, quæ facile invertat adversarius, & con-
 tra nos torqueat. De utroque ita Dionysius Halicarnass. †. *Εἰσὶ δὲ
 κατὰ λόγων ἰσχυροὶ, τὸ τε διδιδάλυτα λέγειν, καὶ τὸ ἀντιτρέφειν ὅτι τὸ μὲν ἀδελ-
 φείας, τὸ δὲ καὶ κινδύνου. Sunt verò sermonis oratorij vitia, dicere solutu faci-
 lia, & quæ facile invertantur: illud quidem imbecillitatis est, hoc verò peri-
 culum adfert.*

Neque omnia argumentis sunt probanda ; ut illi faciunt, qui syl-
 logismo concludunt notiora ipsis argumentis : sed ea solum, quæ
 in dubium vocari possunt. Rectè Æschines contra Timarchum.
*Πεὶ μὲν δὲ ἴσθ' ἀγνωμόνων, σαφῆς ἴσως προσηύει τὰς ἀποδείξεις πειθῶν τῶν
 κατηγορῶν. οὐδὲ δὲ ἴσθ' ὁμολογούντων ἢ ἵσθ' ἔργα μέγα ἔργον νομίζω τὸ κατηγορεῖν
 ἀταμνήσους γὰρ μόνον προσηύει τὸ ἀκούστας. Nam fortasse convenit accusatori,
 ut res ignotas perspicuè probet. At in ijs, quæ in confesso sunt, haut magni
 operis puto, accusare. Nam solum opus est refricare memoriam auditoris.
 Quintiliani quoque est lib. v. cap. xii: *In rebus apertis argumentari
 iam sit stultum, quam in clarissimum solem mortale lumen inferre.**

Etiam, si affectus moveamus, satius fuerit argumenta omittere,
 quàm ea orationi inferere : quia *Haut bene conveniunt, nec in unâ sede
 morantur* enthymema & affectus. Quippe si *αὐτῷ* animo infedit,
 haut penetrat vis argumenti, cujus jactura fit: sin argumentum per-
 cipitur, expellitur *αὐτῷ* : aut si utramque agnoscitur, alterum al-
 terius vim infringit.

* prælectio-
 nem.
 † senten-
 tias.

Neque in oratione moratâ enthymemata locum habent, quia
 demonstratio nec mores, nec *προαίρεσις* * habet : verum loco argu-
 mentorum expedit usurpare *γνώμης* †. Ita, si pecuniâ, quam alteri
 commiseras, fueris fraudatus : rectè dicas, te eam alteri credidisse,
 quamvis haut nescires, nusquam esse tutam fidem.

Idem utimur sententijs, cùm affectus movemus.

Maximè

Maximè autem, cum manipularibus potiùs, quàm n amentatis hastis utimur, γλώσσῃ opus est; ut hoc velut amento præligatæ hastæ, i. argumenta, certius librentur. Attamen id fiat occultè, ut & in universâ oratione. Nam, ut dici solet, caput artis artem premere: neque, ut inquit Halicarnassensis †, quicquam magis verifimilem facit auditoribus orationem, quàm ἢ τὴν ἀπλοῦτητα ἢ προσποιήσεις, sive ὑπόχημα, h. e. affectatio, seu *prætextus simplicitatis*. Itaque ridiculi sunt, qui quasi eloquentiæ vela pandunt. Nam existimant iudices, oratorem ἡροπαικτικῶν τῶ δὲ δίκαιον *, ut Lyfiam locutum, scribit Iulius Pollux: eoquæ sibi cavent velut ab οὐραῖς μελωμένους †, quemadmodum scitè inquit Aristoteles.

Vtile quoque inventum illud Demosthenis, ut, etsi de firmamento causæ nostræ fuerit controversia, afferatur tamen quasi ad iudicationem pertineat: at firmamentum, quod adfert adversarius, eludatur ac rejiciatur, quasi parum ad rem faciat. Vide hæc de re Hermogenem περὶ μεθόδου δεινότητος.

Et hæc de argumentis, quæ Confirmationis materiam feceramus.

IV. PROBATIONEM ESSE AMPLIFICATIONE PRIORUM: ITEM, QUOT PARTES SINT SYLLOGISMI RHETORICI, ET QVO ORDINE HÆ IN ORATIONE COLLOCENTUR.

FORMA confirmationis est argumentatio. Differunt autem argumentationes ab argumentis, quodd argumentatio contineat tum argumentum sive rationem, tum id, quod ex ratione consequitur.

Estque argumentatio duplex. Nam vel docendi causâ fit, ac propriè argumentatio dicitur; vel sit ad commovendum, atque amplificatio nuncupatur. Vtra harum præcedat, ostendit Theon in Progymnasmatibus †: Προτερὴ μὲν εἶναι τῆν ῥώσιν καὶ τῆν χεῖρισί ὁ ἐπιδεικτικὸς λόγος. † cap. 8. ἔπειτα ἡ ὀνειδιτικὸς. ἄρῳτι γὰρ δεῖ πρῶτον εἰς τὸ δόξαι ἐλέγξαι, ἔτι εἰς δὲ τὸ μέγαλον ἀδικίᾳ τῆν ὑποδοσίαν τῶν ἀκούοντων παροξύναι. Ac prior quidem tum naturâ, tum usu, est probatio; posterior vero est amplificatio. Nam prius oportet aliquem convincere proditiōnis, ac deinde exasperare auditores contra tantum proditiōnis crimen.

Primaria argumentationis propriè dictæ species est, quæ voce Arithmetico-

ticorum συλλογισμὸς dicitur, quia ut, cum putamus rationes, primo æra singula notamus, inde summam subducimus: sic argumentatio hæc è duobus pronunciatis colligit tertium. Atque istud quidem ex Logicis, & aliunde, notum est. Illud magis hujus est loci, quodd, ex Ciceronis ꝑ sententiã, Orator syllogismum etiam quadripartitur, (ut cum Victorino * ita loquar) interdum etiam in quinque pronunciata dividit; cum nempe adjungitur & majoris & minoris probatio; ac tum nonnullis dicitur ἐπιχειρημα. Id certè voluit quoque Isidorus, cum lib. II. Originum cap. XX. ait, epichirema à dialectico syllogismo solum distare latitudine & productione fermomis. Vulgò epichirema scribunt per secundam in tertia vocalem: nec aliter Isidori codd. mei MSSi. Sed perperam: quod, quamcumque minutum sit, tamen nec monere piguit Cæsarem Scaligerum in præclaro de re Poetica opere ꝑ.

At idem Isidorus secum pugnat, cum tres facit epichirematis modos: ac tripartitum epichirema vocat, quod constat propositione, assumptione, & conclusionem: quadripartitum, cum adjungitur alterutrius propositionis probatio: quinquepartitum, cum utriusque propositionis probatio adjicitur. Nam tripartitum epichirema non est latius syllogismo Dialectico; sed simplex est syllogismus, cum non adjungatur probatio. Nonnullis tamen dialecticus quoque syllogismus epichirema appellatur; ut cognoscimus ex Alexandro in VIIII. Top. Cum plerum super hæc voce sententias, vide apud Fabium lib. V. cap. X.

Præterea sæpe partes syllogismi transponuntur: quin etiam inverso ordine collocantur. Exempli loco est illa Tullij argumentatio pro Cælio: *In Cælio nulla est luxuries. Si quidem deditus est optimarum artium studijs: in cujusmodi hominibus nulla reperiri luxuries solet.* Syllogismus est, si partes omnes inverso ordine relegamus: In ijs, qui dediti sunt optimarum artium studijs, nulla reperiri luxuries solet. Cælius deditus est optimarum artium studijs. Ergo in Cælio nulla est luxuries. Idem factum in exordio orationis pro Archiã, & aliàs sæpe. Ac similiter in Platone multis locis reperiuntur syllogismi, repudiato conversoque eo ordine, qui in docendo traditur; ut & monuit Agellius lib. II. cap. VIIII.

Quin haut temerè syllogismos invenire est, in quibus logicus servetur ordo. Factum id in illo Persij sat. V:

*An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
Cui licet, ut voluit? licet, ut volo, vivere: non sim*

Liberior

ꝑ lib. I. de
Invent.
* in I. Cic.
lib. de Inv.

ꝑ lib. 3.
cap. 78.

Liberior Bruto?

Qui profectò integer est syllogismus; ac ordinem planè eum servat, qui tradi solet à technicis; prout Augustinus & Fortunatianus eos vocant, qui Donato, Servio, & Isidoro, artigraphi appellantur. Imò apud eundem Persium inibi, Logicorum propodum modo, responsio additur; ac tantum non dicitur, negandam esse parasyllogismi illius minorem propositionem. Subijcit enim hæc:

— *Mendose colligis, inquit*

Stoicus hic, autem mordaci loris aceto.

Hoc (reliquum accipio) LICET ILLVD, & VT VCLIO, tolle.

Verum nihil hoc ad oratores, cum Persio propositum fuerit adumbrare Stoicorum disceptationes.

V. DE ENTHYMEMATE TRIPARTITO, ET EO,
QUOD PRESSE ENTHYMEMA DICITUR.

DE syllogismo satis: venio ad cæteras argumentandi formas. Ex his enthymema tantum constat duobus syllogismi pronuntiatis, quia præterit alteram propositionum; unde curtum vocatur Juvenal. sat. VI:

— *Aut curtum sermone rotato*

Torqueat enthymema.

Aristoteli ob eandem causam dicitur *μικρόλημμα* & *συλλογισμός* *. [†]syllogismus [†]inātantum [†]propositio [†]habens. [†]propositio [†]iones. [†]enthymema [†]manica sū [†]propositio: ^{*}propositio [†]major. [†]propositio [†]minor. ^{* in I. Cic. de Invente, † cap. 9.}
Nam syllogismus habet duas *προτάσεις* † five *λήματα* (utroque enim modo Aristoteles appellat) at *ἐνθύμημα διὰ μίαν πρότασιν* †, five ea sit *ἡ μείζων πρότασις* *, quæ & *ἀπλῶς πρότασις ἢ λήμμα* vocatur: five ea sit *ἡ ἐλάττων πρότασις* †, quæ & *πρόσληψις*, & *προσλαμβανόμενον* nominatur.

Victorinus *, & ex eo Isidorus lib. I I. Originum †, tradunt, enthymema quoque constare posse utraq̃ue propositione, conclusione ipsā omisā. E. G. Si inimicus est, occidit: inimicus autem est. Verum cum hoc pacto argumentantur oratores, cum aliā ratione antecessit conclusio: eoq̃ue non planè præteritur, cum *ἐὰν καὶ* repeti debeat.

Quemadmodum autem in syllogismo, ita etiam in enthymemate, crebrò præcedit conclusio. Quæ res satis est manifesta ex ijs, quæ de syllogismo diximus.

Doccat præterea Rhetores, enthymema interdum tot habere partes,

partes, quot perfectus syllogismus; puta quum antecedentis additur probatio, quæ si in syllogismo pro parte habetur, hic quoque pars erit. Verum, si rem ad vitam refecimus, nullus est quadripartitus, vel quinquepartitus syllogismus; quia, probationibus admittis, plures fiunt syllogismi; ac pars quidem syllogismi probata, siue maior, siue minor, fit conclusio; probatio verò est argumentum, siue medium. Quare nec enthymema pluribus, quam duobus, constabit pronunciatis: verum ratio annexa novum constituet enthymema. Ne quem verò moveat, quod Tullius primo de Inventione scribat, Aristotelem ipsum, ac Theophrastum, quique ab his profecti, quadripartitam, ac quinquepartitam statuere argumentationem; cum, id quam verum sit, neminem lateat, qui non plane sit peregrinus in Aristotele, ac Peripateticâ philosophiâ.

Est præter hanc altera quoque enthymematis apud Rhetores significatio. Nam & nomine eo κατ' ἕξιν intelligunt, quod ex contrarijs fit, atque ab Aristotele ἐνθύμημα ἐλεγκτικόν appellatur. Cicero in Topicis: *Ex hoc illa Rhetorum sunt ex contrarijs conclusa, que ipsi enthymemata appellant: non quod non omnis sententia proprio nomine enthymema dicatur; sed, ut Homerus, propter excellentiam, commune poetarum nomen efficit apud Græcos suum; sic, cum omnis sententia enthymema dicatur, quia videtur ea, que ex contrarijs conficiatur, acutissima, sola propriè nomen commune possidet.* Quintilianus lib. v. cap. xiv: *Ex pugnantibus verò, quod etiam solum enthymema quidam vocant, fortior multo probatio est. Tale est illud Ciceronis pro Milone: Ejus igitur mortis sedetis ultores, cuius vitam si putetis per vos restitui posse, nolitis?*

VI. DE INDVCTIONE, ET EXEMPLO.

ET hæc de syllogismo, atque enthymemate: quorum utrumque se habet, vel ut totum ad totum; ut cum ex universali adstruitur universale: vel ut totum ad partem; ut cum ex universali probatur singulare. Sequuntur inductio, & exemplum; quorum illud se habet ut partes ad totum, hoc ut pars ad partem.

De inductione observandum, quamvis exquisita illa Logicorum inductio necessario omnes enumeret partes, aut compluribus enumeratis subijciat, parem esse cæterorum rationem: oratores tamen sæpe contentos esse enumeratione præcipuarum partium, aut illustrium aliquot individuorum; quia ex ijs, quæ enumerat, tacitè intelligi velit, haut focus rem sese habere in cæteris. Ita Tullius in Milonianâ

Milenianâ, ut ostendat, cives sceleratos non injuriâ interfici, utitur inductione insignium aliquot individuorum, & unius, ut vocant, collectivi. Ait enim: *Neque enim posset aut Hala ille Servilius, aut P. Nasica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut me consule Senatus non nefarius haberi, si sceleratos cives interfici nefas esset.* Quo ex loco etiam Laurentij Vallæ error liquet, existimantis, inductionem semper institui per interrogationem. Geminum huic exemplum, ac in quo *in idem* non omnia, sed aliquam multa adferantur singularia, primò de Inventione adfert Tullius ex Æschine Socratico. Est is, non, uti existimantur multi, orator ille nobilis, Demosthenis adversarius: quippe qui Socratem non audierit, ut in vitâ ejus monet quoque Apollonius: verùm alius, qui à Socrate nunquam discedebat, ac cujus vitam apud Diogenem Laërtiensem legere est. Is verò indialogis suis Socratem (*nam hic erat mos discipulis, ut ingenio proprio reperta ad magistros referrent, quemadmodum monet Mar. Victorinus*) Socratem, inquam, inducit is narrantem, ut Aspasia Milesia rerum complurium inductione comprobârit, uxorem Xenophontis male alium maritum suo meliorem, quàm suum: atque itidem variarum rerum inductione usa, evicerit, Xenophontem malle uxorem alienam suâ meliorem, quàm suam. Estque Aspasia hæc, non Xenophontis uxor, quod Fabius * sensit; quique eum secutus Brufonius *: sed sophistria, quæ Rhetoricen docuit, & Periclem amavit; cùmque eidem nupsisset, Samij, ac Peloponnesiaci belli auctor fuit; ut monet Plutarchus in Pericle. Meminit ejus quoque Lucianus in Somnio, sive Gallo. Vtramque hanc, quam dixi, inductionem apud ipsum Tullium sis vide. Nam cùm liber ille in omnia versetur manibus; imò locus integer à multis jam in elementales libellos sit transcriptus: nihil, puto, hæc, quæ recocta crambe foret, toties lectori reponere attinet.

Exemplum nihil aliud est, quàm inductio imperfecta: ut diximus lib. primo *. Estque nomen id satis accommodatum, sive ita dicatur, quia unum aliquid è multis ad probandum *eximat*: sive quia id *ex ampla* facit materia: sive quia ejus est aliquid *ἔκταλον*, h. e. *explicare*.

Quamvis autem firmiùs concludant enthymemata, quàm exempla; plus tamen possunt exempla apud imperitam multitudinem. Idem sensit Macrobius lib. VII. Saturn. cap. IV: *Plebeia, inquit, ingenia magis exemplis, quàm ratione, capiuntur.* Causam cognosces ex Aristotelis problematis †. Hinc illa Oratorum apud eundem

in dialecticis.

* lib. 5. cap. 11.

* in apophthegmatibus.

* cap. 2.

* sect. 3.

* lib. 1.

Rhet. cap. 2. vulg. dist.

* alius 10.

* sect. 18. quæ 7. 3.

† alij, qui
gaudent
exemplis;
alij, qui en-
thymema-
tis.

lio, ut sint οἱ μὲν ἐπαυματωδῆς, οἱ δὲ ἐνδυμνατικοί †.

VII. DE AMPLIFICATIONE.

ET hæc de argumentatione, quæ docendi gratiâ instituitur. Altera, quâ ad ciendos utimur affectus, amplificatio nominatur. Quæ duplex est: una in augendâ oratione, altera in re exaggerandâ consistit. Prioris varij sunt modi. Princeps earum est translatio hypothefios ad thefin. Quæ si non proponatur nudè, ut fit in epiphonematis, alijsque sententijs generalibus; sed fusè tractetur: digressio dicitur in locum communem. Laxiùs enim thefios & loci nominibus utimur, quàm factum à Theone in Progymnasmatis: ubi duo hæc, cum alijs modis distinguit, tum eo imprimis, quod thefis habeat amplificationem rei controuersæ; locus verò rei confessæ. Vnde locus ab eodem definitur, oratio factum augens, de quo constat, siue delictum sit, siue præclarum facinus.

Vulgò tres statuunt modos amplificandæ orationis, διαμεσῶν, seu diuisionem, σύγκρισιν, siue comparisonem, & ἀντιθέσιν, seu oppositionem. Sed sunt isti quidem ex præcipuis: attamen longè plures esse, ostendimus lib. I I. cap. ult. sect. ult.

† lib. 8.

cap. 4.

* Cic. Ver.

† Caül. 1.

Exaggeratur oratio, iuxta Quintilianum †, quadrifariam:

I. Incremento. ut; *Facinus * est vinciri civem Romanum, scelus verberari, propè parricidium necari, quid dicam in crucem tolli!*

II. Comparatione †. ut; *P. Scipio, Pontifex maximus, T. Gracchus mediocriter labefactam statum Reipub. privatus interfecit: Catilinam, orbem terra cade atque incendijs vastare cupientem, nos consules persereamus?*

† Philipp.

1.

III. Ratiocinatione de quantitate rei. ut; *Tu † istis faucibus, istis lateribus, istâ gladiatoria totius corporis firmitate, &c.* Mirum enim, quantum vini ab eo in nuptijs Hippia exhaustum esse, tacitè colligimus, cum audimus, illum tantum bibisse, ut istâ gladiatoria corporis firmitate vinum omne ferre, & concoquere non poterit.

IV. Congerie. ut pro Ligario; *Quid enim tuus ille Tubero destrictus in acie Pharsalicâ gladius agebat? cuius latus mucro ille petebat? quis sensus erat armorum tuorum? qua tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?*

Sed alijs etiam modis exaggerari orationem, indicio crunt, quæ in schematologia dicemus, ubi propriè erit hæc de re agendi locus.

Tota

Tota autem amplificandi doctrina, tum ea, quæ oratio augetur, tum quæ res exaggerantur, deridicula videbatur Lacedæmonijs; ut qui solâ gauderent brevitate. Itaque Agefilaus, Lacedæmoniorum rex, nonnullis oratorem commendantibus, quod res exiguas mirificè verbis extolleret: At ego, inquit *, pessimum eum futorem arbitror, qui parvis pedibus magnos inducat calceos. Quo nihil dici potuit magis adversans Isocrati, qui Rhetorices esse aiebat, ex parvis facere magna, ex magnis parva. Profectò malè satis de arte suâ meritus est summus rhetor, cùm eam sic descripsit. Talis quidem erat illa Sophistarum, quæ orationis præstigijs iudicium corrumpebat. Genuina verò Rhetorice in eo tota est, ut morbo eorum occurrat, quibus, ut fieri amat, res major minorve apparet, quàm fuerit. Vix enim fieri possit, quin, si aliquid semel tantummodo, & brevissimè dicatur, facilè aures prætervolet, vel auditum etiam non intelligatur: quod ipsum tamen, si iteretur, fufusque diducatur, lucem accipiat, & penitissimè animo, affectui, ac memoriæ infideat. Interim, non tantùm in rebus exaggerandis, sed etiam in oratione augendâ, modus teneri debet. Modus autem dicendi esse debet, non qui dicit, sed cui dicitur. Quod ignorant illi, qui nequid eorum, quæ sciunt, indictum maneat, tempus perire malunt audientibus, quàm particulam orationis suæ: parum gnari, sic se etiam perdere gratiam eorum, quæ bene dixerant. Et hæc de Confirmatione.

* Plut. 70
Lacon.

VIII. DE CONFVTATIONIS VOCABVLO.

CONFVTATIONIS nomen quidam deducunt à confunden-
do. Volunt enim, eo modo venire à *confusum*, quo à *mulsum* est
multare. Verùm multimodis falluntur. Nam, ut è vet. constat
codd. aliud est *multare*, aliud *mulcare*. *Multare* est pœnam pecu-
nariam alicui irrogare: à *multa*, quod non Latinum, sed Oscum,
sive Sabinum esse vocabulum, prodidit Varro in undevigesimo
antiquitatum humanarum. Eo significatur *pecunia*, quæ à magistratu
dicta, ut exigi possit ob peccatum: ut idem ait lib. iv. de L. L. At *mulcare*
est probè aliquem verberibus mollire: unde & *Mulciber* dictus,
quod mulcet, hoc est molliat ferrum. Ac venit, non à supino *mul-*
sum, sed præfenti *mulceo*: quomodo à *dulceo*, unde *dulcesco*, est *dulca-*
re, & *edulcare*: illud semel iterumque usurpavit Sidonius Apollina-
rius: hoc utitur Cn. Mattius apud Agellium libro quinquode-

cimo cap. vigesimoquinto, & Non. Marcellum in *Edulcare* :

*Quapropter edulcare conuenit vitam,
Cura,que acerbas sensibus gubernare.*

Ac quemadmodum in multandi, ita in confutandi quoque falluntur vocabulo. Quippe *confuto* non à confundendo est, sed omnino à re coquinariâ originem trahit. Nam solent aquam feruentium ollarum futo compescere, quod iccirco vocabant *futare*, *refutare*, *confutare*. Varro lib. *iv*. de *L.L.* *Vas aquarium vocant futum, quo in triclinium adlatam aquam infundebant.* Titinius, vetus Poëta Comicus, in *Serinâ* * :

* apud No-
nium in
Trua, &
Confuto.

Sapientiâ gubernator torquet navem, hanc valentiâ.

Coquus magnum ænnum, quando fervit, paullâ confutat trua.

Sententia est, sapientiam res omnes moderari, atque efficere, ut, quæ modum excedunt, in se redeant; quomodo aqua, quæ effervercendo veluti insanit, simulac paullâ refutaveris trua, quasi in se redit. Nec incommodè transfertur ad argumenta, quibus occurrunt. Nam ut frangitur aquæ fervor, usu futi, quo, Varrone teste, frigida infunditur: ita, quamcunq; animo ferueat adversarius, ubi in contrarium pauca effudimus, frigida & invalida videntur, quæ dixerat. Nempe propemodum similis tralatio est, ac in *diluendi* verbo: quod à vino diluto petium est. Et hæc de voce. Rem videamus.

IX. DE DIVERSIS CONFUTANDI MODIS.

IN confutatione nihil ferè impugnatum relinquendum est. Varij autem sunt modi diluendi; de quibus Cicero lib. *i*. de *Inventione*, autor ad Herennium lib. *ii*. *Quintil.* lib. *v*. cap. *xiii*. Præcipui verò sunt duo illi, quos Aristoteles commemorat. Nam vel obijciendo aliquid contra argumentum adversarij, argumendi invalentiam, aut adversarij imbelliam (ut cum Agellio loquar) ostendimus: vel adversarij conclusionem contrariâ syllogismi nostri conclusionem loco quasi labefacimus, ac de gradu deijcimus: illud Aristoteles *ἰνυσιον*, hoc *ἀντιπολιτισμὸν* vocat.

Fit *ἰνυσιον* bifariam: vel id, quod ad probandum adfertur, inficiamur; vel, quod vult adversarius, ex eo consequi negamus. Vtrumque modum signat Jul. Severianus: *Proposito eo, quod adversarius dixerit, respondebimus duobus modis: aut non esse id, aut non ideo nos vinci debere.* Ita is locus est emendandus: ubi non in Plantiniana solum

folùm Fruterij, sed & Parisiensis Pithœi, planè contrario sensu legitur, *aut cum esse id.*

Potentissima autem est illa solvendi ratio, quæ fit *per inversionem*, sive per *inversionem*, quæ & violatio appellatur. Vt, Occidisti, quia adstisti interfecto. Imò eò non occidi, quia, si cædem commissem, coniecissem me in fugam. Simile est, Non est ducenda uxor, quoniam matrimonio adstrictis præciditur lasciviæ, & vagi amoris licentia. Imò è contrario ducenda est uxor, ut impudici amores vitentur, ac pudicitia fervetur. Itidem, Non ducenda uxor, ne, si liberos amittamus, incidamus in orbitatem, & luctum. Quin propterea ducenda est uxor, ut orbitatem vitemus, propagando genus humanum.

X. QVO ORDINE REFUTANDA SINT ADVERSARI ARGUMENTA.

IN adducendis adversariorum argumentis non uniusmodi semper servatur ordo: eaque ratio est, cur diversimodè hæc de re præcipiant Rhetores. Nonnulli jubent, quæ leviora videntur, priùs diluere, quòd, cognitâ eorum invalentiâ, fidem magis inveniamus, cùm difficiliora refellimus. Nec negari potest, oratores interdum hanc rationem inire; atque ita, postquam in levioribus fidem ademerunt adversario, faciliùs sese insinuare in animos auditorum. Nec dissimile est, quòd, cùm Plato in suis de Rep. libris priùs suafisset communionem bonorum, quæ minùs est absurda; deinde autem docuisset uxorum ac liberorum *κοινωνίαν* *, quæ minùs est probabilis: Aristoteles contra, neque id minori prudentiâ, in secundo Politicorum, priùs oppugnet communionem uxorum, ut planè *ἀρετῆς* †; postea verò bonorum communionem refellat.

Martianus tamen Capella * jubet initium capere à majoribus, atque ijs, quæ magis gravant. Et certè facit hoc Cicero in Cluentianâ, atque alibi non rarò. Quare, quemadmodum rationes nostræ validissimæ in primori statuendæ sunt acie: ita & expedit interdum, firmissima adversarij argumenta primo adferre loco, ut, ubi ea diluerimus, cætera delicias ac ludos faciamus. Quando verò alterutrum antistat, id prudentiæ est dispicere.

Vidimus de ordine argumentorum, quæ diluuntur. At è rationibus, quibus argumenta isthæc refellimus, ea, quæ maximè ad refutandum

futandum valent, posteriori loco constituemus, quia crescere, non decrefcere, debet oratio.

XI. QUÆ ARGUMENTA SINGVLATIM, QUÆ CONIUNCTIM REPVNTENTVR: QUOMODO ARGUMENTA ADVERSARIII SINT PROPONENDA: ET QUOMODO EA DEBEAMVS DICERE, QUÆ NON LIBENTER AVDIVNTVR.

VIDENDVM quoque, ad quæ argumenta fingulatim respondendum fit, & quæ conjunctim sint tractanda. Nam quoties adversarius voffellis potiùs pugnat, quàm gladijs; illa argumenta levia simul poterunt dilui. Simul quoque repudianda sunt, si tanta fuerint gravia, ut fingulis immorari causæ non conducatur: aut gravi argumento aliud grave opponendum, quod Aristoteli *ἐναντιον* esse dicebamus: Latini videntur id Thuscum appellasse jurgium. Augustinus contra Academicos lib. III. cap. IV. *Hoc est*, inquam, *Thuscum illud jurgium, quod dici solet, cum quæstioni intentata non eius solutio, sed alterius objectio, videtur mederi, &c.* At quæ ab adversario conjuncta sunt, ut, cum per se nihil possint, turbâ possint, hæc nos singula adoriri expedit, ut eorum futes inania videant & rideant auditores.

Præterea aliter ab acusatore firmissima defensoris argumenta adducuntur, aliter infirma, aliter media. Firma ejus argumenta proponit, quasi cognoverit, audiveritque, illum ita loqui. Infirma, quasi sciat, eum sic dicturum esse. Media, quasi opinetur: quod conjecturæ est. Hermogenem vide *ὅτι μὲν ἔχει δυνάμει*. Sed, præter hos tres modos, est & quartus, Ciceroni familiaris: qui dicere solet, *Roget aliquis, Dicat fortasse aliquis*. Atque is modus in argumētis medijs maximè conducit, ob dubitationem: unde & *fortasse* addit.

Illud quoque haut prætereundum: quia interdum fit, ut orator de se id debeat dicere, quod invidiam creat, aut rædium prolixitate affert, aut quacunque aliâ ratione molestiam parit: itemque ut de alio quid loqui necesse habeat, quod aut conviciùm, aut agrestis esse animi indicium videatur: satius esse, ut alium ea loquentem inducat; quomodo & Isocratem, & Archilochum fecisse, observavit Aristoteles †. Vide etiam elegantem Plutarchi libellum, Περὶ τῶν ἐναντιῶν ἀποκρίσεων ἀνεπισημῶν *.

† Libr. 3.
Rhet. cap.
§ 7. ex dist.
vulg.
* quomodo
quis se lau-
dare possit
circa inui-
diam.

XII. DE IOEIS.

INTERDUM quoque, ac imprimis, cum hilaritas benevolentiam conciliat, in dicta & jocos transfundi expedit. His mirum in modum indulgit Tullius. Ita orat, pro Quinctio, Sulpicium, & Catonem; pro Cluentio, Sext. Nævium; pro Sext. Roscio, Erucium; pro Roscio Comædo, Fabricium; atque alibi item alios, contra quos dicit, facetè deridet. Pertinet huc Macrobij locus lib. I. I. Saturnal. cap. I: *Et jam primum animadverto, duos, quos eloquentissimos antiqua ætas tulit, comicum Plantum, & oratorem Tullium, eos ambos, etiam ad jocorum venustatem, ceteris præstitisse. Et mox: Cicero quantum eâ in re valuerit, quis ignorat, qui vel liberti ejus libros, quos is de jocos patroni composuit, quos quidam ipsius putant esse, legere curavit? Eorundem quoque librorum meminit Fabius lib. VI. cap. III. de risu: Utinamque, inquit, & libertus ejus Tiro, aut alius quisquis fuit, qui tres hac de re libros edidit, parcius distortorum numero indulgissent, & plus judicij in eligendis, quam in congerendis studiis adhibuissent. minus obiectus calumniaribus foret: qui tamen nunc quoque, ut in omni ejus ingenio, facilius, quid rejici, quam, quid adjici possit, invenient.*

At si quis naturâ à jocos abhorreat, videndum, ne usu ei veniat id, quod contigit asino Æsopico canem imitanti. Sanè Demosthenem *αὐτὸν δὲ ἴδοντες ἐν γέλωτι**, jocandique facultate destitutum fuisse, à ^{* non nisi dictis dicentibus.} nonnullis memoriæ proditum est. Quamquam nec is tantopere, quam existimant quidam, hujusce Veneris expertus fuit: quâ de re vide Dionys. Halicarnass. lib. *ἐν τῷ Δημοδότης δεινότητι*. Illud certè Demosthenis non inficetum. Cum ei objecisset Æschines, quod in dicendo manum contineret in sinu; venusto ejus sermone scommate exceptit: *Non oportet, inquit, manum in sinu habentem concionari; verum manum in sinu habentem legationem obire.* Auro enim corrumpi se passus erat Æschines in legatione suâ ad Philippum. Autores hujusce rei sunt Demosthenes in orat. *ἐν Ἐκρυπτοῖς*, Elias Cretensis in steliteuticam primam Gregorij Nazianzeni, & B. Augustinus lib. II. adversus Crescentium Grammaticum. Nec minus scitè, cum Pytheas exprobrasset, quod oratio ejus lucernam redoleret; *Scio, inquit, tibi molestiam creare ardentem lucernam.* Nam Pytheas furti suspectus erat. Meminere hujusce rei, (quamquam non eodem planè modo referant Demosthenis responsum;) Plutarchus, Libanius, Ælianus lib. VII. Var. Hist. cap. VII. & Stobæus

bæus ferm. xxvi. Idem cum Demades clamaret, Δημοδῶνις ἰμὰ βέ-
 λεται διορθῆν· ἢ οὐ τίω Ἀθλιῶν † : respondit, Αὐτὴ μὲν τοι ἀέρουσιν ἢ Ἀθλιῶν
 μοι χέουσα εἰλήφθω *. Alludit autem ad Minervam virginem.

* Demo-
 sthenes me
 vult corri-
 gere, sus Mi-
 nervam.

* Atqui Mi-
 nerva hac
 antehac in
 adulterio
 fuit depre-
 hensā.

† libero
 homini.

‡ *Συρτα*, si-
 ve ei, qui
 fana ven-
 tris caul-
 sâ circum-
 ut apud Gre-
 cam vocem
 expressit
Plautus Ru-
dente act. 1.
sc. 2.

‡ *Achomi-*
nes facetos,
 or ad irri-
 dendum sa-
 ciles ac
 promptos,
 quos nunc
 εὐφροῆς
 appellant,
 illi calami-
 rosos voca-
 bant.

In jocis utile est illud consilium Gorgiæ, ut feria adversarij dicta
 jocularibus, & jocularia ferijs discutiamus. In ferijs tamen non nisi
 maximo cum judicio jocis indulgendum, Neque enim de nihilo
 est illud Dionysij Halicarnass. in Isocrate: Χαειροτομὸς γὰρ πᾶσι ἐν στυ-
 δῆ ἢ καλῶς γινώσκοντες, ἀποροσ πᾶσι γὰρ πολυμῶτατος ἐλέφ. i. Omnis enim
 jocosa festivitas in re feriâ, intempestiva est, & valde repugnat commiserati-
 onis. Etiam in dictis iplis delectu opus est. Quædam enim ridicu-
 laria & jocularia conveniunt ἐλαδέρων †, quædam βαμολόχῃ ‡. Quare
 videndum, ne, dum consecramur εὐτετραπλίαν, sive urbanitatem, affe-
 ramus σκώμματα φορτικά, & æruscatoribus digna. Est verò urbanitas,
 ut Aristot. ait lib. 11. Rhet. παραδὲ μέση ὕβρις. i. ita moderata contu-
 melia, ut haut nimis pungat. Contumelia autem est, quia & urba-
 nitas aliquem dolorem inurit, licet leviter pungat. Hinc Cicero
 pro Cælio: *Maledictio* (intelligit, quod Græci σκώμματα vocant)
 nihil habet propositi præter contumeliam, qua si petulantius jactatur, con-
 vicium; si facetius, urbanitas nominatur. Qui parato essent ingenio
 ad facetias ac dicta, eos ab Atticis, pressius eâ voce sumtâ, εὐφροῆς
 dictos fuisse, ex Eustathio cognoscimus. Imò & Hesychius eadem
 de re: Εὐφροῆς, inquit, ὃ ἐξ ἐτοίμου λέγων, ἢ σκώπτων. Neque hæc in re
 falli Grammaticos, docet illud Isocratis in Areopagitico: Καὶ τὸς
 δετραπλίους δ', ἢ σκώπτην διαμάνους (ὅς γὰρ εὐφροῆς ἀεροπαρευύσιον) εὐφροῆς δι-
 συχεῖς ἐτοίμοι. Latinis dictios appellatur. Varro lib. v. de L. L.
Hinc appellatum dictum in mimo, ac dictiosus. Quo loco, quamvis &
 alij dicta dicant, mimorum potissimum meminit, quia hi per pro-
 scenium currentes (falluntur, qui in humo ipsâ egisse, indeque pla-
 nipedes dictos putant) obvios quosque liberâ, & lascivâ, quin scurri-
 li etiam dicacitate laceffebant: unde & jocos mimicos damnat in
 Oratore Tullius. Plura de jocis vide apud Aristotelem lib. 11. L.
 Rhetor. cap. XXI. & lib. IV. Ethic. Nicom. cap. XIV. Item Cicero-
 nem lib. 11. de Orat. Fabium lib. VI. cap. IV. Macrobiū lib. 11.
 Saturn. cap. XI, ac denique Athenæum in XI V.

CAP. VI.

DE EPILOGO.

PERORATIO est artificiosus orationis totius exitus.
Partes ejus sunt due; enumeratio, & affectus.

Enumeratio precipua repetit argumenta. Ea raro adhibetur in demonstrativo; sæpius in deliberativo; usitatissima est in juridicali; in quo ipso frequentius hæc utitur accusator, quam reus. Cum primis autem usurpat, cum auditorum memoria periclitatur ob orationis longitudinem, vel cum argumenta conglobata pondus sunt additura orationi.

Affectus hoc loco vehementiores esse convenit.
Virtutes epilogi due sunt; brevitatis, & acrimonia.

I. DE EPILOGI VOCE, AC DEFINITIONE.

DEVENIMVS ad postremam orationis partem, quam Græci appositè vocant ἐπιλογον: quia ἐπιλογον ijs est aliquid expositis addere, fusiufque omnibus commemoratis, illa breuiter completi. Nempe ἐπιλογον dicitur, ut ἐπίμειψον, ἐπίκουλον, ἐπιπρόδον, & similia. Ex Hermogenis libro περὶ μεθόδου διανοίας discere est, partem hanc etiam vocitatam esse ἐπαύρονον, quia, qui refert capita, de quibus se acturum promiserat, is ad principium revertitur. Nec desuere, qui nuncuparent ἐπιφώνημα, quodd existimarent, eam habere se haut aliter atque tragematam in convivijis. Sed horum opinionem meritò refutat Dionysius Halicarn. ἐν τέλει, quo loco præcipit περὶ τῆς ἐπιλογίας. * Latini appellant perorationem: quomodo Tullius lib. iv. Tuscul. Quæst. ait: *Et quoniam multa dixi, est mihi perorandum.* Item pro Quinctio: *Mihi perdifficile esse, contra tales oratores, non modo tantam causam perorare, sed omnino verbum facere ullum.* Quamquam hic perorandi voce de tota oratione utatur. Vti & facit Appuleius in Apolog. cum, irridens privignum, ait: *Qui potuit perorare, poterit exorare.* Quidam hanc partem etiam, ut Fabius [†] monet, cumulum, & conclusionem vocant.

Definitur epilogus ab Aphthonij scholiaste †, λόγος * ἐστὶν ἀποσπαστικὸς τῆς ὁλοκληρουμένης ἐπιλογίας, ἀποσπαστικὸς τῆς ὁλοκληρουμένης ἐπιλογίας, ἢ ἄλλως, ἢ ἀπὸ τῆς ἀπὸ τῆς ὁλοκληρουμένης ἐπιλογίας. Nempe epilogi est artificiosè universam claudere orationem.

* quomodo
violetur
meditati-
onis artifi-
cium.
† lib. 6.
cap. 1.
‡ in prole-
gomenis.
* oratio
probationi-
bus antè
dictis super-
addita, con-
seriem ve-
rum, mori,
& affectu-
um exhibet.

Vniuersam dico, quæ, ut scripsit Martianus Capella, non solum totam orationem per oratione terminamus; sed eam quoque utimur in exordio, & narratione, alijsque orationis membris, antequam ad partem aliam transeamus.

II. DE EPILOGI OFFICIIS, AC IMPRIMIS DE
ENVMERATIONE POTISSIMORVM
CAPITVM.

† lib. 3.
Rhet. cap.
116.

EPILOGORVM apud Aristotelem † quatuor recensentur officia.

Primum est, conciliare sibi auditorem, & auertere ejus animum ab adversario.

Alterum est, amplificare vel extenuare.

Tertium, impellere animum ad affectum.

Quartum renovare memoriam brevi repetitione.

Præcipua autem munera sunt duo postrema; puta ἀνακεφαλαίωσις, quæ Aristoteli ἀνάμνησις; & ἀποπίνα. Quid sit ἀνακεφαλαίωσις, tum Quintilianus indicat, qui de peroratione agens ἀνακεφαλαίωσις vertit decurrere per capita; tum Laur. Valla, qui ἀνακεφαλαίωσις lib. II. I. versus Facium recapitulationem transtulit. Et sanè non esse hanc vocem nuperam, argumentum est, quòd eam olim usus sit antiquus Irenæi interpres lib. IV. cap. II. & lib. V. cap. XVI. Repetit ea pars præcisè ac breviter potissima argumenta, ut frequentata & conglobata magis moveant. Adhibenda autem in hac re varietas, ne auditores de suâ putent ambigi memoriâ; ideoque nec multa enucleabimus, aut partes partium retexemus; sed (quod Græcâ voce monemur) summa rerum capita solum perstringemus. Aristoteles quatuor modos assignat, quibus varietur conclusio: nempe per ironiam, per interrogationem, per collationem, & per naturalem simplicemque enumerationem.

Rarò autem hæc enumeratione in deliberativo utimur, eo quòd non solear id genus controversijs multis implicari. Rariùs etiam in demonstrativo usurpatur, quia hic maximâ ex parte nullus est adversarius. Potissimus ejus usus est in juridicali: non tamen parilis est ratio accusatoris, ac rei. Magis enim accusatori convenit, cujus argumenta condensata magis fiunt aculeata: minùs autem conducit reo, quia cum ejus sit solvere argumenta, quibus adversarius crimen intendebat; omnino metuendum est, ne, si ea, quæ responsa sunt,

sunt, ad pauca revocare velit, aut minus solidè cogatur respondere, aut subtiliùs dicere. Vtitur tamen Appuleius in epilogo Apologiæ: ubi argumentis singulis, licet plusculis, ut brevissimè, ita acutissimè occurrit.

III. DE AFFECTIBVS IN EPILOGO MOVENDIS.

ΠΑΘΟΠΟΙΙΑ affectus concitat. Sed variant hi pro causæ diversitate. In demonstrativo, si quis laudandus, excitari debet amor, admiratio, æmulatio. Sin vituperandus, cieri debet odium, invidia, contemptus. In deliberativo, tum spes cietur explendæ cupiditatis, aut ulciscendæ injuriæ; tum timor injicitur ex periculi magnitudine. In genere juridiciali omnia concurrunt, amor, odium, invidia: sed imprimis indignatio, & conquestio; aded quidem, ut vulgò horum duorum solùm meminerint. Itaque & Cicero libro primo de Inventione, cæteris affectibus superseffis, indignationis quindecim, conquestionis sexdecim locos adfert.

Magni autem artificij est affectus concitare; contrà quàm putant quidam inepti oratores, qui oratione non misericordiam rei, sed sui excitant. Catulus certè, cùm orator quidam putaret, se auditorem ad misericordiam compulisse, eoq̄ue rogasset, an non misericordiam movisse videretur; *Ac magnam quidem*, inquit: *neminem enim puto esse tam durum, cui non oratio tua miseranda visa sit.* Autor Cicero in secundo de Oratore.

IV. DE VIRTVTIBVS EPILOGI.

EPILOGI virtus est, ut sit brevis, & acris: imprimis apud judicè. Brevis hïc sit, ne morà resideat indignatio erga adversarium, aut imminuatur commiseratio erga reum. Nam, ut dicebat Apollonius Rhetor, *ἰδὸν δάκρυον ἐνεγκεῖν δ' ἀκρὺς ἴ.* Quod partim inde est, quia lachrymæ sint salte, cujusmodi calida sunt: partim quia aliena mala non altè aded in pectus descendent, ut diu durent. Nam quisque se maximè amat. Ideoq̄ue optandum imprimis, ut judex, vel irà inflammatus, vel commiseratione affectus, properet ad ferendam sententiam.

At acris esse epilogus debet, ut relinquat aculeos in animis auditorum. Multùm hïc re valuisse Ciceronem, ac imprimis, si opus

esset misericordiâ, argumento est, quodd, si is affectus sciendus foret, Ciceroni ab alijs peroratio relinqui solet. Ita enim de se ait in Oratore: *Quid ego de miserationibus loquar? quibus eodum usus pluribus, quodd etiamsi plures dicebamus, perorationem tamen mihi oranea relinquerebant; in quâ ut viderer excellere, non ingenio, sed dolore assequer.*

V. DE VOCE, QVÆ ORATIONEM ESSE FINITAM
INDICABANT: ET DE ALIIS, QVÆ POST
HABITAS ORATIONES FIERI
OLIM SOLENT.

ORATIONE finitâ, orator, si post se neminem speraret dicturum, subijciebat, *Dixi*; quâ voce causâ tota velut obli gnabatur. Vnde Sophocles Electrâ, *Εἶπνε δ' αὖ τὰ δῆτα*. *Dixi nunc quidem ista, quæ puta proposueram.* Neque aliter Terentius Phormione †, *Dixi Phormio*. Vulgò autem hoc vocabulo etiam terminant panegyricas, aliasque declamationes; sed præter veterum consuetudinem, qui eam tantum adhibuisse videntur in causis forensibus. Quin nec in omnibus orationibus forensibus id fiebat; sed in postremâ duntaxat, cum neminem præterea dicturum crederent, ac iudicibus tantummodo danda esset sententia. Monuit id quoque Polletus cap. xlii. lib. i. de historia fori Romani. Estque hanc rem confirmare Luciani dialogo, in quo de præstantia rerum gestarum Hannibal, Alexander, & Scipio, apud Minoem contendunt. Neque enim Hannibal, qui primus causam dicit, claudit hac voce orationem; sed Alexander, qui secundus est, ac neminem alium post se dicturum putabat. Idem quoque comprobant orationes adversariæ in Bis accusato. Neque obstat, quodd Rhetorice, quæ accusat Syrum, hoc est Lucianum (nam is Samosatæ, Syriæ Comagenæ seu Euphratenfis civitate, erat natus) orationem suam voce *εἶπνε* † concludebat. Nam sperabat Rhetorice, non datum iri Syro respondendi locum: quod ipsa à Dijs petierat, sed nequam impetravit. Non tamen orator solum hac voce utebatur: verum &, habitâ ab utrâque parte oratione, per prætorem pronunciari solet, *Dixerunt*; quâ voce auditâ, in consilium mittebantur Iudices, h. e. ad sententiam ferendam dimittebantur.

Ac in divinationibus quidem, & causis majoribus, universi iudices in cistam tabulas suas simul conjiciebant; quibus insculptæ erant literæ, A, absolutionis, C, condemnationis, N. L. ampliatio nis.

† Act. 2.
sc. 3.

† dixi.
sc. 3.

nis. Significabant enim hæ literæ, non liquet. Testis Afconius Pedianus. Non tamen existimandum est, has solum literas fuisse tabulis inscriptas. Nam multò fuisse plures, ex Cicerone, ac Cæsare, ostendit Hottomannus lib. 1. Observat. Juris cap. xi. Apud Græcos verò, Iudices absolutori reum albos integrosque in urnam calculos injiciebant; condemnaturi autem nigros, ac perforatos: quemadmodum tradit Vlpianus in Demosth. Quod si paria essent suffragia, reus absolvebatur: qui mos non Athenis modò, sed Romæ etiam obtinuit. Auctor Plutarchus in Mario, & Aristophanis scholiastes in Ranas.

Oratores & caussidici, qui causam vicerant, id palmâ ante fores suspensâ indicabant: ut testatur Lucianus *ἰν τῶν δὲ δαδανάων*: *ἡ δὲ* *ἰν τῶν δὲ δαδανάων*. Quam consuetudinem etiam tangunt Juvenalis, Martialis, Ausonius, alij.

* fores autē
viridi coro-
nate sunt
palma.

PARS ALTERA LIBRI III.

S I V E

C A P V T V I I.

DE SPECIALI TUM INVENTIONE, TUM DISPOSITIONE.

HACTENUS generatim egimus de inventionis & dispositionis doctrina. Sed præterea danda est opera, ut eam sciamus specialibus accommodare materijs. Hoc est, ut in consolatione, commendatione, gratulatione, hortatione, & similibus, tum argumenta eorum propria cognoscamus, tum quem ordinem natura & usus probare imprimis videantur.

Nec propterea existimandum est, posse hoc argumentum plenè planèque explicari artis præceptis. Viam illa muniunt ingenijs, non rem totam decidunt, ac determinant. Quippe, circumstantiâ mutatâ, variat hoc artificium: imò, etiam non mutatâ, alia atque alia tractandi ratio occurrit. Multa igitur a rhetore omittuntur, quæ per se videntur homines prudentes. Interim ad eam prudentiam comparandam, atque etiam augendam, plurimum illud confert, si præstantium scriptorum orationes atque epistolæ retexantur, inque resolutionis artificio

ſpectetur, cur hic aliter, quàm ille, argumentum idem vel ſimile tractari. Hac ratione conſequimur, ut faciliùs videamus, qua via ac ratio præſenti conveniat tempori.

I. DE RATIONE ACCOMMODANDI ILLA AD
QVAMLIBET MATERIEM, QVÆ GENERA-
TIM HACTENVS DIXIMVS.

POSTQVAM de tribus cauſarum generibus, & affectibus, ac moribus, item de partibus orationis, univèrſè dictum eſt: ſequitur, ut nunc videamus, quomodo, quæ generatim explicuimus, ſigillatim cuius argumento accommodentur. Multiplex enim eſt orationum, atque epistoſularum materies: & pro ejus varietate variat tractandi ratio. Incerto auctori de typis epistoſularum, qui Græcè ab Aldo editus, poſteaquæ ab Achille Statio Luſitano Latinè redditus * eſt, epistoſularum formæ minimùm ſunt viginti: nimirùm amatoria ſive conciliatoria, commendatitia, expoſtulatoria, exprobratoria, conſolatoria, increpatoria, monitoria, comminatoria, reprehenſoria, laudatoria, ſuaſoria, deprecatoria, percontatoria, reſponſoria, allegorica, cauſatoria, incuſatoria, congratulatoria, ironica ſeu ſimulatoria, gratiarum agens. Et cum formas tam multas adferat, fore tamen idem agnoſcit, ut plures ſuperaddant anni ſequentes, atque ipſa ætas, quæ bonarum artium feliciffima eſt inventrix. Nec propterea de omnibus hiſce; ſed de præcipuis tantùm affectuoſarum orationum vel epistoſularum generibus, agere nunc animus eſt. Nam ut in alijs artibus, ita hic quoque difficillima tantùm tradi neceſſe eſt: quibus cognitis, non operoſum erit de cæteris ſtatuerè.

Cùm autem orationes affectuoſæ hæc nudo conſtent affectu; ſed argumenta quoque admisceant, quorum reſpectu pertinent ad aliquod è tribus cauſarum generibus, uti diximus lib. I. cap. III, & IV: viſum primò agere de ijs, quæ referuntur ad genus deliberativum; cujuſmodi ſunt monitoria, adhortatoria, conſolatoria, petitoria, commendatitia, & conciliatoria. Nam qui monet, vel adhortatur, ſuadet id cujuſ monet, & ad quod adhortatur. Scio eſſe virum eruditum, qui hanc flagellet ſententiam: ſed ei, tanquam murum Semiramidis, oppono Iſocrateum iſthoc ad Demonicum: Διότιρ ἡμῖς ἢ ἐπαγγελίῃ ἐυρίπτες, ἀλλὰ ἐδραῖνεῖν χρῆſαντας. μέλλομέν σοι συμβουλευῆν, ὡν χεῖν τῆς πεωτέρας ἰβήραθ; &c. *Quare nos, non hortatione arre-*

pià,

* *Edidit
Lovanij
Bartholo-
maus Gra-
vius anno
1551.*

ptā. sed conscriptā admonitione, tibi consulturi sumus, quæ adolescentes debeant expetere &c. Sic enim capiendus is locus: etsi aliter aliquantò eum ceperint, & Budæus, & H. Stephanus, & alij; qui tamen ipsi nec inter se conveniunt. Itidem qui consolatur, suadet, nequis lugeat omnino, aut ne tantopere: rem quoque suadet, qui petit: item qui commendat, cum hic pro alio petat. Neque obstat, quòd commendatitia quoque laudet eum, quem commendat. Siquidem laus ea refertur ad suasionem rei, quam ostendit esse honestam, utilem, facilem. Quomodo & objurgatio fere ideo fit, ut quis consilio nostro utens rectè instituat vitæ rationem. Vnde & ea hujus quodammodo est loci. Itidem in conciliatoriâ quispiam suadet amorem sui. Quæ cum ita sint, de hisce omnibus singularim eo, quo proposuimus, ordine, proximè suscipienda est tractatio.

II. DEMONITIONE.

MONITORIA est duplex. nam vel simplex est, vel admiscet obiurgationem. Simplex docet simpliciter, quod sit cuiuspiam munus: ut apud Sallustium oratio Micipsæ moribundi ad Jugurtham: unde huic generi maximè conveniunt γνάμια. In obiurgatoriâ verò (ut Themistij * verbis utar) μιμνῆσθαι ἡμῖν τοῖς σοφωτέροις τῶν ἰατρῶν, εἰ τὰ κηρότερά τῶν φαρμάκων, μέλιτι τὴν κύλικα ἀειχέσαντες. πίνειν διδάσκει. imitandi sunt nobis sapientiores medici, qui pharmacia amariora, melle circumlito poculo, bibenda præbent. Itaque in eâ primò & imprimis benivolentiam amoremque conciliabimus, ne non tam admonere, quàm fugillare, ac bilis quasi vomitum velle in alium evomere, credamur. Observat hoc Chremes Terentianus †:

Quamquam hac inter nos nuper-notitia admodum est:

Inde adeò quòd agrum in proximo hic mercatus es:

Nec rei fere sanè amplius quicquam fuit:

Tamen vel virius tua me, vel vicinitas,

(Quod ego in propinquâ parte amicitie puto)

Facit, ut te audacter moneam, & familiariter.

Vbi verò hanc benevolentix partem abunde nobis exsecuti videbimur; in eo omnes erimus, ut rei commissæ odium concitemus, ac dolorem gignamus ob rem patratam: ac, quo alter magis abstineat in posterum, ob oculos ei ponemus ignominiam, pericula, pœnas, & alia, quæ metum incutere, ac deterere à peccando solent. Hoc pacto consequemur, ut videamur, non hominem odisse, sed vitium.

Addan

* σοφω-
τέροις Νικο-
μυδῶν εἰς
φιλσοφίας.

† Heautōt.
Act. 1. sc. 1.

Addam & alteram monendi rationem itidem objurgationi conjunctam. Primum, ne, quem monemus, existimet, se posse nobis persuadere, nihil à se mali esse commissum, paucis ostendemus, nos rem omnem probè nosse. Tum dicemus, nostri muneris esse eum sui officij admonere, sive ob sanguinis conjunctionem, sive ob amicitiam, vel aliam ob causam. Hinc plenius rem omnem narrabimus, ac imprimis ea referemus, quæ fœditatem facti arguent. Mox quæremus, an cum ista committeret, nullam habuerit rationem generis, dignitatis, ætatis; nihilne de salute suâ cogitavit? Atque hæc ita instituemus, ut non gignamus desperationem; sed dolorem cieamus, pudoremque incutiamus: eoque omnia ita temperanda erunt, ut à paterno, vel fraterno animo, profecta esse videantur. Postremò non à vitio modò deterrebimus, sed etiam adhortabimur ad bene vivendum. Plurimum enim monitio, & hortatio concurrunt. Quomodo hortatio institui debeat, videre erit ex ijs, quæ mox subjiciam. Quæ verò ad objurgationem pertinent, quam monitioni sæpius conjungi diximus, plenius cognoscere erit ex illis, quæ inferius afferemus de materijs, quæ ad genus juridiciale referuntur. Interim monitionis exempla aliqua si voles, vide Cic. lib. x. epist. vi, quæ monet Plancum, ne in pactione potius, quàm armis, pacem quærat: Plinium lib. iiii. epist. iiii, quæ Corelliam Hispullam commonet, ut filium tradat rhetori excolendum: & lib. viii. epist. i. ad Restitutum, quem monet, ut patienter resistat morbo: lib. viii. epist. ult. quæ Maximum monet, quomodo administrare debeat Achaiam.

III. DE ADHORTATIONE.

† in Hec.
lib. i. sc. i.

HORTATIO differt à monitione, quia, ut Donatus † ait, *monemus consilio, hortamur impulsu.*

Ac hortationis quidem uti duo sunt potissima argumenta *sententia*, utilitas, sed honesta, & necessitas, sed facilis: ita ejusdem, ratione affectuum, sunt quatuor præcipuæ partes. Nam,

I. Amorem excitat rei, ad quam inflammat; quod fit, ostendendo eam esse piam, utilem, gloriosam, planè dignam hujuscemodi, sive adolescentis, sive viri, indole, genere, ætate &c. Itaque hoc loco personæ quoque laus admiscetur; in quâ sedulo spectandum *τὸ ἠδυνόν*. Nam apertius extollendi adolescentes; tectius, qui firmatæ sunt ætatis: quippe majus apud hos periculum est, ne supparatitari,

fitari, ac (ludere in his liceat) de Placentinorum magis, quam Veronensium genere videamur.

II. Amorem quoque, ac misericordiam excitat personæ, pro quâ res suscipienda est: aut odium ejus, contra quem suscipi debet.

III. Æmulationem gignit, quod fit bifariam. Nam & aliorum nos excitat industria, & animos addit ignavia.

IV. Spem præmiorum proponit, quæ quempiam manent, si rem aggrediatur: ac metum injicit contrariorum, quæ impendent, si negotio supersedeat.

Epilogus ab obtestatione peti solet.

Vide apud Sallustium orationem Catilinæ, quâ participes conjurationis; item illam, quâ milites adhortatur. Adhæc quâ C. Memmius hortatur Quirites ad ulciscendum Iugurtham, & sceleris socios. Apud Livium quoque exemplorum est abunde. Ut lib. VII. illa P. Decij, tribuni militum, suos ad erumpendum concitantis. Quo ipso libro habemus orationem M. Valerij Corvini dictatoris, milites seditiosos dehortantis à pugna adversus patriam. Libro item XXI. existant orationes tum P. Scipionis, tum Annibalis, quibus suos uterque inflammat ad pugnam. Et libro XXIV. oratio L. Pinarij, præfecti Ennæ præsidij Romani, suorum animos ad hostes postero die invadendos comparantis. Etiam apud Curtium legere est hortatorias Alexandri ad milites. Apud Tacitum in vita Agricolæ sunt orationes tum Galgaci, tum ipsius Agricolæ; quibus itidem ad pugnam suos incendunt. Plurimas etiam omnis penè generis hortatorias collegit H. Stephanus eo volumine, quo conciones complexus est ex Græcis Latinisque historicis excerptas.

Quod si exempla ex epistolis voles, adi Tullium lib. x. epist. v. x. XII. XIII. XIV. XIX. XX. quibus Planco animum addit ad juvandam Remp. & extinguendas belli reliquias. Et ad Quintum Fr. lib. I. epist. I. multa sunt hortatoria, imprimis ut iræ moderetur. Etiam vide Nazianzeni epist. LXII, quâ egregiè faces stimulosque Eudoxio Rhetori subdit ad philosophiam Christianam & contemptum rerum hujus mundi. Item ep. LXXI, quâ Postumianum cohortatur, ut inter episcopos concordiam reducat: & epist. LXXXI, quâ ad patientiam animat Theodorum, Tyanensem episcopum. Item Chrysoctomi epist. v. & v. quæ ad Theodorum lapsum. Item adi Hieronymi exhortatoriam ad Heliodorum, & Sidonij epist. VI, quâ adhortatur virum nobilem à vitâ umbratili & rusticâ ad capeffendam Remp. Suntque similes magno numero, quas iccirco longum esset referre.

IV. DE CONSOLATIONE.

CONSOLATIONIS series ex tribus temporibus plurimum constar. Ex præterito, ut, *Nunciatum n. ihi est de obitu coniugis tuae.* Ex præsentī, *Quam rem pro eo ac debeo, graviter molestęq; fero.* Ex futuro, *Tu fac animo fortis ac magno, ut intelligamus, te aduersam etiam ferre posse fortunam.*

* canquam
Helenæ cras-
ser. Egyptijs
inbutas
pharmacis.
† occob: a-
monē.

Sed non omnis consolatio uno modo contexitur. Nempe quia alia recta est, alia obliqua. Recta statim aperteq; proponit argumenta, quibus dolorem abstergeat, *ὡς τις * κερτὴς ἢ Ἐλένης τοῖς Αἰγυπίοις φαρμάκωσι*, ut ait Philostratus. Obliqua cuniculis quibusdam hoc ipsum agit. Utendum autem *κερτὴς †*, tum si recens sit dolor, ac proinde vehementior, quàm ut admittat medicinam: tum quando quis videri vult animo fortiori, quàm ut egeat consolatione. Prius si fiat; antequam argumenta adferamus, dolorem nostrum aperiemus, rei atrocitatem augebimus, nosque parùm idoneos dicemus ad consolandum. Sin posterius contingat, in ipso ingressu gratulabimur de fortitudine. Hinc verò in utroque genere tanquam in aciem adducemus copias nostras, quòd velut collatis signis cum doloris affectu depugnent. Argumenta *ea* adduximus lib. I. cap. IV. sect. III. Ordo verò hic non incommodus erit. Primò ostendemus, illud, ob quòd magnopere dolemus, non esse tantum malum, quàm credimus: imò malum non esse, aut quòd mali inest, bono eiusdem compensari. Deinde accedimus ad conditionem tum vitæ communis, quæ multis est malis obnoxia: tum ejus, ad quem scribimus; ubi in considerationem veniunt genus, doctrina, virtus, res gestæ. Denique dicimus, stulti esse animum angere frustra: mœrorem autem ejusmodi esse, ut non corrigat rem; sed malum, siquod est, augeat. Vide præter Senecam & Epictetum, etiam Nazianzenum eleganti ad Timotheum epistolâ, numero CLXXXIX. Adhæc Boëthium de consolatione philosophiæ, & Ioannem Gerfonem de consolatione theologiæ. Item Petrarchæ dialogos sex de contemptu mundi, ac Budæi totidem libros de contemptu rerum fortuitarum. Et quis commoret universos, qui hoc argumentum tractarunt?

Sed quæ generatim dici solent, plurimum lucis accipient, si ad varia consolationis genera accommodentur. Nam variat ea pro naturâ doloris; qui fere oritur vel ex obitu alicujus, vel ex amissione valetudinis, aut patriæ, aut opum vel honorum.

Cujusmodi argumentis solemur dolorem ex morte alicujus susceptum, paucis innuit Petronius in Sartyrico: *Cœpit hortari lugentem, ne perseveraret in dolore supervacuo, & nihil profuturo gemitu peccius diduceret: omnium eundem exitum esse: sed & idem domicilium, & cœtera, quibus exculcerata mentes ad sanitatem revocantur.* Sed quia Petronius factis his verbis indicat, & alia esse, quæ hîc prætereantur, paulò plenius de re totâ agemus.

Primum testabimur dolorem nostrum: quæ res benevolentiam gignit, fidemque conciliat: imò & per se dolorem levat, quia, ut †Claudia-
mulib. 3. de
raptu Pro-
serpina v. poëta † ait, --- *Levius communit tangunt.*

Hinc dicemus, moderandum esse dolorem, sive is oriatur inde, quia aliquis mortem esse malam putet, sive quia malè esse mortuo credat, sive quia existimet, sibi nunc malè futurum. 157.

Nam in morte nihil esse mali, imò finem esse malorum, & transitum ad vitam meliorem. Ac proinde non perire aliquem, sed præire ad loca lætiora. Imò vitam, quam degimus, mortem potius esse: ac tum demum nos vivere, cum desinimus vivere.

Nec mortuum ipsum lugeri oportere, quandoquidem cursum ille suum in stadio currit, & jam *βεγέται* expectet: suam etiam personam in hoc orbis theatri optimè sustinuit, ac abunde sibi gloriæ paravit. Eoque instar eo. um, qui in scena partes suas peregere, vestè suam exuere debuisset, ac domum commeare; idque obluentis, quia non vilia, ut illi, sed cœlestia habitacula peteret. Nec esse, quòd quis majorem honoris, vel plurium commodorum spem obtendat. Multos enim diutius vivendo ex felicibus reddi miseros; dum vel suorum, vel patriæ etiam calamitates, intueri coram coguntur, vel in cæcitatem, egestatem, aliâve incidunt mala. Defunctum ab his periculis liberum apud beatos beatam degere vitam, atque ex sereno puroque videre jam, imò ridere, turbida hæc nostra: turpe fore, si hanc ei sortem invideamus: stultum, si ob eam doleamus: nec enim tam mortui conditionem esse legendam, quàm nostram.

Sin hoc urat, quòd iis orbatum sumus commodis, quæ ex vivo percipere soleamus, jam dicemus, non ex alterius, sed nostri amore hunc dolorem proficisci. Nec quòd fraudati ijs bonis sumus, nimis animum urere debere. Nam summum illud fatum disponere fata mortalium: nec providentiam divinam quicquam, nisi providè agere. Rectius sapientiam divinam scire, quid nobis expediat, quàm nos insipientes. Melius cœlestem patrem velle filijs suis,

quàm terrenos tantâ malitiâ infectos. Summum bonum nihil face-
re nisi bene. *Μηδὲν εἰς ἄλογον εἶσα' πρὸς λόγον τῶν ἡμετέρων, καὶ ὑμῖν ἔπι φαιμ' :*
† *Filius Dei,* qui est *κατὰ*
αἰterna, ni-
hil rationi
reprehensans
in rebus no-
stris facit:
ut nunquam
vobis aliter
videatur.
† *epist. 69.*

Quod si is, qui amissus est, filius sit; ad demum, eum non dona-
tum, sed diuinitus commodatum fuisse. Præterea memorabimus
plurimos viros præstantes, qui liberis summæ spei, vel etiam glo-
riâ jam florentes extulerint, ac mortes eorum magnâ animi tulerint
constantia.

Cujuscunque verò conditionis fuerit defunctus; ob oculos pone-
mus communem hominum sortem. In mœrore peccari eo, quia
unusquisque se tantum cogitet, & suos. At omnibus eundem esse,

† *Horat. od.*

7. lib. 4.

† *Il. 2. vers. f.*

146, & seq.

† *Herodotus*

lib. 5. & ex

ce *Sigebau*

serm. 119.

Archias

A. 5. 2. 2. 1. 2.

lib. 1. *Mela*

lib. 2. *Val.*

Max. lib. 2.

cap. 6. *Fab.*

lib. 5. cap.

† *Solinus*

cap. 15. *Ze-*

nobius pro-

verbis,

Nepos 22.

2. 4. ex.

Quò † *pius Aeneas,* quò *Tullus dives,* & *Ancus.*

Itaque Homerum † rectè homines comparare solijs, quæ nascun-
tur, & cadunt. Similiter enim homines nasci, & denasci.

Propterea non debere nos angij, ubi nihil proficimus. Quin mœ-
rore malum aggravari. Apud * *Thraces,* aliasque gentes barbaras,
luctuosa esse puerperia, ac recens natum parentis fletu excipi: con-
trâ læta esse funera, ita ut mortuos cantibus ac tripudio prosequan-
tûr. Nec aliunde hæc provenire, quàm quia persuasum habeant,
nihil esse hac vitâ infelicius, mortemque esse miseriarum finem.
Fœdum fore, si hæc parte superemur à barbaris. Si non eæ nobis ani-
mi vires, ut similiter possimus alteri gratulari, ac nobis gaudere:
at saltem querimoniam abesse, & luctum poni oportere. Non fore
hoc difficile, si eos imitemur, qui titionem è foco tollere parant.
Nec enim hi eâ illum parte apprehendunt, quâ manus urciat; sed
quâ ignem nondum concepit. Similiter nos casus istos animo con-
cipere oportere, non quâ parte nos urant, sed quâ solatium præ-
beat. Plura hujus generis haurire licebit ex theologorum & phi-
losophorum scriptis. Vide & Ciceronem lib. v. epist. xv i, quâ Ti-
tium consolatur mœrentem ob filij obitum. Item eodem libro epi-
stolam xiv. quæ Lucceij est Ciceronem solantis. Præter quas &
aliæ sunt similes. Ut mittam supposititium illud opus de Consola-
tione. Apud Plinium etiam aliquæ hujus generis epistolæ sunt.
Item apud Julianum Imp. illa, quâ Amerium de obitu conjugis so-
latur exemplo Darij. Sed gentiles mitto. Longè enim fortius hoc
argumentum tractant Christiani doctores. Ex quibus vide B. Cy-
prianum, libro de mortalitate sive peste. Ad & B. Basilij epist.
LXII. ad Ecclesiam Neocæsariensem, defuncto ejus Episcopo:
CLXXV I, ad uxorem Arinthæi Prætoris, erepto marito: item

CLXXXVIII, & proximam ad Nectarium, atque ejus uxorem, filium lugentes: ccc. ad quendam, qui filium scholasticum amiserat: cccii. ad uxorem Anthæi, & alias: B. Nazianzeni epist. xxxvii. cùm mœstus esset ob fratris sui, S. Basilij, obitum: item cxv. ad eundem: clxxx. ad Sannabadaenses monachos: & cxii. ad Theclam, cùm obiisset sacerdos. Item luculentam Nysseni orationem de mortuis, quâ ostendit, non esse lugendos, qui in fide obdormierunt: B. Ambrosium lib. ii. epist. viii. ad Faustinum, cùm germanæ obitum doleret: Chrysofomi egregiam illam epistolam, quâ juniorem viduam de morte mariti solatur: B. Hieronymum epist. ad Heliodorum monachum, & episcopum, cùm obiisset Nepotianus, sororis filius, monachus & presbyter: item ad Pammachium, cùm uxorem Paullinam lugeret: ad Theodoram Hispanam, cùm maritus ejus, Lucinius Bæticus, obiisset. Et quis omnes enumeret? E junioribus juvabit Nicolaus Leonicus Thomæus elegantissimo dialogo, qui inscribitur Sannutus sive de compescendo luctu: Petrus Bembus epistolâ priori ad Vincentium Quirinum, quæ est lib. i. epistolarum: Iacobus Sadoletus consolatione in morte amici ad Camerarium episcopum; pluresque alij.

Cæcos, item surdos, aut mutos, solabimur hoc pacto. Primum causas adferemus, cur Deus homini concesserit oculos, aures, loquelam; & quàm pauci ijs rectè utantur, exponemus; ita ut verius penè hæc sint luxurie, aliorumque vitiorum instrumenta. Cæcos non videre colorum discrimina: sed nec fore istis oculos impuri amoris duces. Surdos sonorum differentiam nescire: sed neque tot fœda audire, quibus omnia nunc personant. Bona quidem aliqua ijs sensibus adferri: sed absentiam eorum posse alijs sensibus suppleri. Nec tanti esse incommoda, quæ defectus illi secum trahant: quia non rareant voluptate animi, nec inepti sint ad bene merendum de suis, aut publico. Quod multorum adstruitur exemplis. Imò plurimos sponte etiã vel oculis se orbasse, vel ab hominum sermone ac consortio separasse, ut meliùs contemplationi vacarent, ac minus inquinarentur sordibus hominum impurorum, quibus omnia scatent. Ab hisce communibus argumentis veniendum, ad propria. Ea petuntur ab illius, quem solamur, ingenio, doctrinâ, virtute. Etiam hic locum habent, quæ universè à philosophis differuntur de patientia ac constantia. Vide B. Hieronymi epistolas duas, quibus Abigaum, presbyterum Hispanum, & Castrutum de cæcitate consolatur. Item quæ de eâ diximus lib. i. cap. v. sect. xx.

Similiter agendum, si quis laboret calculo, podagra; aut si morbo, vel infortunio aliquo, redditus sit mancus, claudus, deformis. Primum docebimus, quam multis obfuerint forma, robur, corporis agilitas: bona, quæ inde emanant, posse ingenio nostro, vel aliorum suppleri ministerio. Malis ijs obnoxios fuisse multos summos & clarissimos viros. Sæpe hæc profuisse ad patientiæ & constantiæ laudem. Vitam nostram rosario esse similem, ubi rosis spinæ miscentur: vel stadio, sed quod nemo absque incommodis atque adversis quibusdam decurrat. Ita visum esse divinæ providentiæ, quod vitæ hujus contemptu meliùs ad futuram præparemur. Vide & aliqua hujus generis lib. I. cap. v. sect. xx, & imprimis XXI. Item ad Nazianzenum epist. L X I V, quæ Philagrium solatur, cum morbum impatientius ferret. Scitè idem epist. XLI. dixerat ad eundem Philagrium: Γενναίως ἐμυλοσσοῖς τοῖς τῷ σώματι, ὡς περ βασιλον ἀρετῆς, ἀλλ' ἔχ' ὕλης ἀνωμαλίαν τὸ πρῶτον δεχόμενοι, ἵνα ἢ σοὶ τὸ καλοπαθεῖν ἢ εὐχάριον ὑμῶν μακαριώτερον. *Strenuè philosopharis in corporis morbo, quasi ut virtutis explorationem, non ut materia humorumque intemperiem, eum accipias: ut aduersa tue res beatiores sint aliorum valetudine secundâ.* Etiam consolationem ad amicum ægrotum inter eas habes epistolas, quæ B. Hieronymo falsè tribuuntur.

Siquis doleat ob persecutionem Ecclesiæ, adeat Chrysofostomi complures ad Olympiadem epistolas. Fusè ad eò ac difertè hoc argumentum ijs tractat, ut nihil addi, vel ultrà requiri posse existimem.

Patriâ ejectum solabimur hoc pacto. Ordinem ab hominum inconstantia ac malitia: quibus fit, ut bene etiam de patriâ meriti in exilium ejciantur: quales postea magnâ cum gloria revocentur, uti M. Tullius: aut, si redire nolint, triste sui desiderium civibus relinquant, ut P. Rutilio contigit. Hujusmodi exilium non debere dolori esse, quia secessio fit ab ingratis, ac malis civibus: quorum odio multi præstâtes viri sponte etiam patriam deseruerunt. Quippe eos, qui solum nunc vertere jufferunt, tales omnino esse, ut mirum futurum non sit, si viri boni vel sponte alias se in terras conferant. Nâ illic potiùs exilium esse, ubi virtuti non est locus. Neque metui debere, ne aliqua sic nomini nota inuratur, cum id gloriosum potiùs sit: unde videmus, non paucos majus esse nomen exilio suo consecutos. Atque eam esse viri illius virtutem, ut idem de eo expectemus. Exilij nomen non esse extimescendum, quia veriùs sit peregrinatio: quam multi, vel eruditionis, vel mercaturæ, vel voluptatis etiam causa

causâ sponte suscipiunt. Nec patriam amittere, qui virtute, & rerum gestarum memoriâ, perpetuò in eâ sit victurus. Habitationis per exiguum tempus, vel sepulturæ, facilem esse jacturam. Vti & opum, quæ tamen nec extra patriam sint defuturæ. Nec angere debere necessariorum vel amicorum desiderio, quia etiam extra patriam subinde eos videndi & compellendi potestas erit. Nec moveri debere commodis patriæ, quia non minoribus extra eam frui licebit; atque, ut Teucer aiebat, *Omne solum forti patria est*. Eoque non debere eum patriam metiri unius oppidi mœnibus; sed imitandum esse Socratem, qui rogatus, cujas esset, mundanum se esse respondit. Vide Ciceronem lib. v. epist. xvii. & xviii. quibus P. Sestium & T. Fabium exules solatur. Etiam tractandi hoc argumentum exemplum petere liceat ab Ovidio i. Fast. in oratione Carmentæ ad filium Euandrum. Ac propositio quidem est in istis:

*Cui genitrix flenti: Fortuna viriliter, inquit,
(Siste precor lacrymas) ista ferenda tibi est.*

Sequitur argumentum à voluntate Dei, sive à necessario:

*Sic erat in factis. nec te tua culpa fugavit,
Sed Deus. offensus pulsus es urbe Deo.*

Vbi & argumentum à bonâ conscientia: quod plenius deinceps exsequitur:

Nec meriti poenam pateris, sed numinis iram.

Est aliquid magnis crimen abesse malis.

*Conscia mens, ut cuique sua est, ita concipit intra
Pectora, pro facto spemque metumque suo.*

Inde accedit ad exempla:

Nec tamen ut primus mœres, mala talia passus.

Obruit ingentes ista procella viros.

Passus idem est, Tyrus qui quondam pulsus ab oris

Cadmus in Aoniâ constitit exul humo.

Passus idem Tydens, & idem Pagæus Iason:

Et quos præterea longa referre mora est.

Hinc argumentum à naturâ virtutis:

Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor:

Ut volucris, vacuo quicquid in orbe patet.

Claudat Carmenta sermonem spe liberationis:

Nec fera tempestas toto tamen errat in anno.

Et tibi, crede mihi, tempora veris erunt.

Vide & Nazianzeum epist. xxx*, ubi Eusebium exulem solatur

* ex Billij
distinctio-
ne lijs 75.

tur vitæ æternæ præmio : & Chrysoftomi epist. III. ad Cyriacum episcopum exulem, & IV. ad episcopos & presbyteros ob pietatem in carcerem coniectos. Ad fine huic argumentum est apud Nazianzenum epist. XXXI V † : quâ solatus Gregorium Nyssenum, cùm doleret, quia crebrò aded peregrinari cogeretur. Aiebat is propterea, se similem reddi lignis, quæ huc illuc aquis feruntur. At Nazianzenus id negat, quia hæc sine sensu ferantur, impulsu alieno: ille omnia sua ad Dei gloriam componat : utcumque corpore non uni sit affixus loco, tamen animo hoc fixum immotumque esse, pro virili prodesse. Quare si hæc vita culpari mereatur, solem etiam esse culpandum, qui terras circumeundo vitam omnibus largiatur : item stellas erraticas, quas planetas dicimus, quorum error etiam compositus est & concinnus.

Mœrentem ob amissionem bonorum, solabimur eo, quòd multa magnaque mala ex divitijs proveniant : ut socordia, & luxuries; unde bella; atque urbium etiam everfiones. Item quòd divites maximis se curis conficiant, & frustra quidem, cùm paucis ad tuendam hanc vitam opus sit, ac quicquid temporis inutili illi sollicitudini impenditur, id animi ac virtutis curæ, longè sanè meliori, detrahatur. Quando hinc commigrandum, non plus secum auferre divites, quàm pauperes : divitias sæpe improbis relinqui, aut ijs, quibus sint exitio. Magna esse bona paupertatis, ut quæ bonæ mentis soror sit. Mala, quæ paupertatem sequantur, aut nulla esse, aut exigua, & quæ bonis majoribus affatim compensentur.

In alterâ parte, quæ est de conditione vitæ, spectabimus, quantum sit pauperum numerus præ divitibus. Ac dicemus, inter pauperes fuisse plurimos, alios doctrinâ, alios rebus gestis, aut sanctimoniâ illustres. Quorum aliqui opes non modò refugerint, sed quas etiam haberent, sponte abjecerint.

Hinc petemus, ut cogitet, non quibus careat bonis; sed quæ suppetant; atque ea dicemus sufficere ad vitam honestè degendam.

Multa & in hanc mentem varij collegere ex sacris, & externis; quæ mera mora sit adscribere. Vide interim B. Hieronymi epistolam ad Julianum; qui paucos intra dies non modò uxorem, & duas filias, sed etiam, barbaris provinciam vastantibus, bonam amiserat possessionum suarum partem. Incipit ea, *Filius meus*. Aliquid etiam de eo diximus lib. I. cap. v. sect. XXI II.

Eadem ratio incunda, si quis suâ dignitate sit exutus. Dicemus, honores

honores magnis periculis parari, nec minori sollicitudine retineri: imò nec anxiam hinc curam sufficere, quia ab alieno hi dependent arbitrio; ac plerique mortales leves sunt & improbi: unde fit, ut immerentes dignitate augeant, merentes spolient, aut prætereant: quomodo præturam postulanti Catoni prælatus est Vatinius. Adferemus & exempla summorum virorum, qui itidem de statu suo sint dejecti. Præterea petemus, ut perpendatur, quanta hominū multitudo ad nullos extollatur honores: quanto item privata hæc vita sit tranquillior ac beatior altera: quibus quis etiam sit ornatus animi bonis, ut ea excolendo securiùs vivere, nec minùs prodesse alijs possit. Dicendum, si & peccata nostra cogitemus, negari non posse, ijs nos talia promereri. Nazianzenus rectè ad Nyssenum, S. Basilij fratrem * : Οὐτὲ ἴσθρορώμῳνοι δουρασίῳμῳν, ἢ πικροῳμῳνι χαίρομῳν. Ἔῳ μῳν ἡ μῳεὶς ἄξιῳι, πῳ ἢ ἡ ματῳεῳς φιλοπῳμῳεῳ. Imò læpe ita expedire, ut minores simus, ne honore ac dulci fortunâ ebrij reddamur; sed discamus sapienter ferre utramque fortunam.

Atque hunc quidem in modum alter alteri est πῳ ἢ Διζῳπῳον φάρμακον, εῳ πῳ λῳγῳ τῳτο ἰῳ, εῳ τῳ τι ἔπῳρον, ἢ φαρμακῳεῳ τῳς ψυχῳς Οῳμῳρῳ εῳ τῳ λῳπῳεῳ: ut idem Nazianzenus * ad Eutropium scribit.

Responsio ad consolatoriam alius est generis. Interim de eâ quoque aliquid mantissæ loco addemus. Hæc igitur,

I. Gratias agit pro affectu benigno.

II. Laudat consolantis ingenium argumentaque.

III. Effectum eorum commemorat, ac vel dolorem planè absterxisse ait, vel mitigâsse: aut si res secùs successerit, partim laudat affectum, ingeniumque; partim causas exponit, cur necdum referat dolor.

Vide Ciceronem lib. v. epist. xiii, & xv, quibus Lucceio consolanti responderet.

V. D E P E T I T O R I A.

PETITORIA quoque, quæ Græcis ἀξιῳτικῳ, & δῳκλυτικῳ dicitur, vel recta est, vel obliqua. Recta liberè petit; quomodo plurimùm, qui ancipitis sunt iuspensique animi, liberè consilium poscunt: ut quod sit ἱερῳν τι χῳημῳ, quemadmodum ait Lucianus †. Item qui rem rogant leviculam, atque, ut cum Homero * loquar,

Διτίξῳσ' ἀκόλου, εῳ ἀοεῳς, ἔπῳ λῳεῳπῳς †.

E e e

Obliqua

* epist. 36.

al. 34.

† Nec me

contemni

agere fero:

εῳ me ho-

nore adfici

gaudeo. Ille

enim digni

sumus hoc

verò ambi-

tionem esse

nostra.

† Ægyptiâ

pharmacû,

sive illud

sermo fuit,

sive aliud

quid, quo

Homerus

animus ma-

rentibus

medetur.

* epist. 137.

† res sacra.

‡ in rhetoriâ

præceptis

advocatus

indolentum.

* Odyss. p.

† depositus:

micus, non

ensis, (vel

vernas) si-

ve libentis.

Obliqua est, quâ verècundè petimus; quomodo suppetet à levi- ter amico mutud poscere magnam pecuniæ vim.

‡ lib. 10.
epist. 8.

* lib. 10.

† ad fam.

lib. 11. ep.
2.

Obliquæ etiam petitionis exemplum est in epistola Antonij ad Ciceronem inter illas ad Atticum ‡, quâ petit à Tullio, ut Cæsari se jungat: & proximâ * ipsius Cæsaris, quâ postulat, ut, re jam inclinatâ, ab omni Pompeianarum partium studio abstineat: item Bruti, & Cassij †, quâ poscunt ab Antonio, ut sibi significet, cur milites convocarit, & num per eos sibi in Vrbe esse tutud liceret. At rectæ petitionis passim se offerunt exempla in Tullio, & alijs. Eoque etiam pertinet epistola Æschinis XII, quâ orabat Athenienses reditum ab exilio in patriam: & secunda Demosthenis, quæ similis est argumenti: item quinta ejusdem ad Heracleodorum, quâ rogat eum, ne amicum oppugnet.

In petitione apertâ quatuor præstamus.

I. Conciliamus nobis amorem ac benevolentiam ejus, à quo petimus. Id bifariam fit; à personâ nostrâ, vel ejus, quem compellamus. A personâ nostrâ, si affectum, & observantiam nostram testemur. A personâ, quam alloquimur, si eam laudemus à benevolentia erga omnes bonos: ac præsertim ab eâ virtute, quam nunc exseri petimus. Ita si patrocinium poscimus, laudabimus pietatem ejus, & auctoritatem: si opes, extollemus illius liberalitatem: si dignitatem, potentiam prædicabimus. Sic futurum, ut eadem operâ, tum benevolum reddamus: tum facultatem ei bene merendi inesse indicemus.

II. Hinc proponemus id, quod petimus: ac potiùs uno verbo plura, quàm rem unam pluribus poscimus verbis.

III. Tum rem suadebimus ab honesto, utili, planè vel peacè necessario, facili, opportuno. Quod ut liqueat, modum etiam, quo fieri aliquid possit, significabimus.

IV. Denique futurum pollicebimur, ut in segete non ingrâtâ hoc obserat beneficium.

At in petitione obliquâ ostendemus, quantopere pudor obsit viro indigenti: pudoris quoque nostri causâ aperiemus; ut: quod grave sit petere beneficium ab eo, de quo nunquam sumus bene meriti. Hinc causas fiducia nostræ adferemus: quod pertinet, quod is alijs quoque ignotis indignisque opem tulerit. Tum misericordiam commovebimus inopiæ ac miseriæ commemoratione. Denique rem suademus ab honesto, facili &c. Primò autem majora peti solent: quod à Marone observatù in oratione Iunonis ‡. Nâ primò ait:

‡ v. Æn.

Incute vim ventis, submersasque obræ puppes.

Deinde subdit:

Aut age diversas, & disice corpora ponto.

Idem à Terentio factum ait Donatus ad illa verba *:

--- *Saltem aliquot dies Profer, ut proficiscar aliquò, ne videam.*

* Andr.

act. 2. sc. 1.

Sunt autem & quædam armatæ preces; quales sunt, quibus adduntur minæ: quæ in majoribus solum locum habent, qui que auctoritatem interponere queant. Huc pertinent preces mandatis expostitæ. Ut apud Maronem †: *Idem orans mandata dabat.*

† An. 6.

In cæteris verò odium concitant: unde Iuno *, quò Troianos redat invisos, ait eos, *Pacem orare manu, præfigere puppibus arma.*

* 10. An.

Hujusmodi homines dicti quoque τὸ δέου ἐν τῷ κρηνηριῷ ἀμωσίου ἐστίν †, ut est apud Polybium lib. IV.

† *hastâ ad caduceum simul mittere.*

Petitoria orationis luculentum habes exemplum apud Livium in legatis Campanorum lib. VI I, ubi à Senatu Romano auxilium orant adversus Samnites. Et lib. XXI I, est oratio Samnitium ab Annibale poscentium, ut opem sibi ferat adversus Romanos. Alias etiam petitorias partim ex eodem Livio, partim Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Curtio, Tacito, Arriano, vide sis in volumine concioni ab Stephano excerptarum ex Græcis Latinisque histericis. Apud Cic. lib. VI. ep. XVI Bithynicus rogat, ut se tueatur absentem. Plinius lib. XV. epist. XV. rogat Fundanum, ut Afinium Bassum adjuvet testimonio & suffragio suo, quo, consule eo, possit esse quæstor. Nazianzenus epist. XVI II. ad Sophronium opem postulat adversus eos, qui in fortunas defuncti Cæsarij crudeliter involarant.

Quomodo verò petenti, vel concedendo, vel negando, respondeamus; intelligere erit ex ijs, quæ dicemus de response ad commendatitiam. Hæc enim petitoria simillima est, quia & qui petit, commendat, & in omni item commendatione petitio est. Vide & Plinij epistolam lib. III. ad Suetonium; qui petierat, ut tribunatus militum sibi collatus in Cæsennium Sylvanum transferretur. Item ad Nazianzeni epist. CLXXXI. ad Verianum.

VI. DE COMMENDATITIA.

IN commendatitia, quæ Græcis *συστηνὴ* dicitur, videndum, cui, & quem commendemus: item, quò in negotio, ac quâ fine id fiat. Argumenta *δικητικὰ* petuntur à re ipsâ, quam dicemus, tum honestam, & æquam, tum facilem, vel *δωρατὴν*, tum etiam utilem.

E e e 2

Affectus

Affectus moveatur spei, idque pollicitatione eorum, quæ grata erunt. Item cieatur affectus gratiæ, & misericordiæ. Ad 3^o pertinet, ut eum, à quo quid petimus, laudemus, sed citra adulationis suspicionem. II. Ut commendationis causas exponamus, idque modestè & verecundè. Quò refer, siquem dicas, vel etiam ostendas amore dignum. III. Ut petamus amicè, & blandè. Velut si rogemus per fortunatas, aut liberos, vel siquid his carius. Item siquem dicas magnam in commendatione nostrâ spem repositam habere, ac ne spe: hæc eum fallat, nos vehementer optare. IV. Denique ut polliceamur animum gratum.

Duo igitur imprimis in commendatione spectantur; personæ, & res ipsa. Personæ sunt tres; quæ commendat, quæ commendatur, & cui quis commendatur. A singulis verò causa petitur commendationis. A cõmendante, quia sit necessarius, ac propinquus noster, aut amicitia vinculo nobis vel nostris conjunctus. Ab eo, qui commendatur, bifariam id fit. Primùm quia sit honesto genere natus, & polleat pietate, doctrinâ, prudentiâ. Deinde quia sit pauper, calamitosus, parentibus orbis, vidua. Ab eo, cui commendamus, itidem gemina est ratio: vel quia summa sit ejus humanitas erga omnes bonos, beneque merendi de alijs studium penè ei in naturam verterit: vel quia nobis sit conjunctissimus, ut jure amicitia hæc ab eo poscere non dubitemus. In re ipsa considerantur capita generis deliberativi, sive status negotialis, antea memorata. Ut ab honesto, quia (ut nihil aliud referrer) bonam habebit conscientiam; qui viro bono fructus est maximus: ab utili, quia non unâ in re magnum ex eo commodum sit percepturus: à glorioso, quia ille, cui benefaciet, laudi sit futurus, ac honori: à facili, quia parvo, aut nullo negotio, eâ in re magno esse alteri queat adjumento.

Etiã hunc, vel similem in modum, *οικονομία* institui possit. Primùm laudatione, tanquam illice quodam vinculo, pertrahere aliquem conabimur in amorem ejus, qui commendatur.

Exinde exponemus negotium, cujus gratiâ aliquis commendationis nostræ eget.

Tertio loco sequetur petitio ipsa.

Quarta pars rationes afferet, tum à naturâ rei, ut ab æquitate ejus, & similibus: tum aliunde, ut à beneficijs antea collatis, ab amicitia veteri, aut nuper inita, ab exemplo nostro, aut aliorum, ab intercessione, & precibus multorum.

Postremo loco, & nos, & eum, qui commendatur, beneficij fore memores

memores pollicebimur: vel commendationis nostræ cauffas adferemus: vel exponemus fiduciam, quam de amico concepimus, vel ἀπαλοῖς repetemus commendationem nostram.

Prudentiæ autem est dispicere, quis, cui, quem commendet. Aliter enim par pari commendat; aliter princeps privato, aut privatus principi: aliter item servum commendamus, quàm liberum; inopem, quàm divitem; ignobilem, quàm nobilem. In eo cui scribimus, professio etiam spectanda. Cicero sanè, aliquem Bruto, qui Stoicus erat, commendans, ait: *Tum fortunâ, siquid hoc ad rem pertinet, ornatus.* Nempe quia, juxta Stoicos, virtus sola ad beatam vitam sufficit. Ante omnia autem videndum, num quis commendatione nostrâ dignus sit. Optimè Theognis:

† Μή ποτ' ἐπαίησῃς, ὡς ἐν ἀνδρῶν ἀνδρα σφραῖσῃς
Ὀφθαλμῶν, καὶ ἰσθητῶν, καὶ τρεῖσιν ὄσῃς ἀνδρῶν.

Quod si non planè aliquis notus sit nobis, imitabimur Platonem, vel alium potiùs, qui Dionysio Heliconem Cyzicenum commendat epistolâ illâ, quæ inter Platonicas vulgò dicitur decimatertia, sed omnino supposititia est. Verba ejus sunt: *Δεδοῖς ἃ λέγω τοῦ δού, ὅτι τῶν ἀνδρῶν τοῦ δόξαν ἀποφαίνομαι. ἢ παύλου ζῶν, ἀλλ' ἔυματὰ βλάνα.* *Timidè autem hæc dico: quippe de homine sententiam profero, animali non malo quidem, sed facile mutabili.*

Exempla si commendationis velis, adi Demosthenem epist. **111**, quâ Lycurgi liberos, & Æschinem epist. **VI**, ubi Aristonem hospitem commendat. Item Terentium And. act. **I**. sc. **v**. ubi refertur Chrysidis oratio, quâ Glycerium commendabat Pamphilo. Cicero nem lib. **I**. epist. **111**, quâ Lentulum commendatum it Trebonio: lib. **11**. epist. **VI**, ubi Milo, consulatum petens, commendatur Curioni: & **XIV**, quâ M. Fabius commendatur Cælio ædili: & lib. **VI**. epist. **IX**, ubi A. Cæcinam Turfanio commendat: & lib. **XI**. epist. **XVI**, & **XVII**, quarum utrâque L. Lamia in petitione præturæ commendatur D. Bruto: & **XXI**, quâ eidem Appium Claudium commendat. Et lib. **XII**. epist. **XXV** **11**. ac **XXIX**, quarum priori negotia Aufidij, alterâ Lamia negotia Cornificio commendat: ut mittam illas libri **XIII**, quæ commendatitiæ sunt prope universæ. Brevitatis causâ mitto illas ad Atticum, & Brutum. Etiam exemplum commendantis adolescentem alteri, ut ei filiam fratris despondeat, habes apud Plinium lib. **I**. epist. **XIV**, quæ ad Iunium Mauricum. Idem lib. **II**. epist. **XVII**. Voconium Romanum Prisco commendat. Vti Gavio Maximo Arrianum Maturium lib. **III**. epist. **11**. Sossio

† Ne unquē
laudaris a-
liquē, prius-
quā mani-
feste videri,
Quibus af-
fectibus, in-
genio, ac
moribus a-
liquis sit.

Calvisium Nepotem lib. iv. epist. xv. & ejusdem libri epist. xiv. Fundano Asinum Bassum. Item Prisco Attilium Crescentem lib. vi. epist. viii. Apud Herodianum habemus orationem M. Antonini imperatoris, quâ, cum non multum se à vitæ exitu abesse intellexeret, filium suum Commodum amicis commendabat. Item orationem Læti Pertinacem commendantis post necem Commodi. Et apud Ammianum orat. Valentiniani Gratianû commendantis exercitui, ut ei tradatur imperium. Habes & apud sacros doctores complura exempla. Contentus ero uno Nazianzeno, gravi & disertio Theologo: qui epist. xlviii, & proximâ, Asterio commendat causam Nicobuli. Et epist. cv. Cæsario it commendatum consobrinos suos, quorum ut patrocinium suscipiat, rogat. Idem ep. cvii. ad Sophronium commendationem Nicostrati consignat. Vide & commendatitiam cviii, cix, cx, cxi. Idem Nicobulum breviter, nec ineleganter commendat doctori ejus Eudoxio rhetori epist. c. xv. quod & priori facit epistolâ, ac seq. Etiam vide sis epist. cxxxii, ad Saturninum, & cxxxiv. ad Nicetam, sive Victorem, & cxxxv, ad Modarium, & cxxxix. ad Themistium, & cxlv. ad Iacobum, & seq. ad eundem, & cli. ac proximam ad Alypium, & clvii. cum sequenti ad Procopium, & clix. cum proximâ ad Amphiloichium.

Commendanti interdum respondemus tribus verbis: ut cum argumentis nullis opus. Facit id Tullius ad Att. lib. ii. epist. xxi: *Anicato, ut te velle intellexeram, nullo loco defui. Numestium ex literis tuis studiosè scriptis libenter in amicitiam recepi. Cæcilium, quibus rebus possum, tæor diligenter.* Sin fusiùs tractandum id argumentum: considerare oportet personam utramque, & commendantis, & commendati: item rei naturam. In hæc spectamus, an ea sit honesta, facilis, utilis. Qualis si erit, turpe sit nolle gratificari alteri. Ergo dicemus, eum, qui commendatur, commendatissimum nobis esse: turpe fore, in ejusmodi postulato non morem gerere: eo nos semper animo fuisse, ut bene vellemus mereri de omnibus, imprimis de amicis, vel nostris studiosis, vel viris bonis, doctis, aut qui nobis ab amicis commendantur. Etiam in hujusmodi argumento excitatur spes eorum, quæ grata commendanti, utilia commendato. Hoc relucet laudando commendatum; ac testando benevolentiam, officium, studium. Quod bifariam fit. Si facilè ac minutum sit, quod poscitur, dicemus, nos quidem lætari, quod in aliquâ re possumus ei gratificari; sed vehementer optare, ut affectum nostrum testari possimus in re majori. Rogabimus quoque, ut multum operâ nostrâ,
atque

atque in rebus etiam longè majoribus, uti velit: atque idem nos facturos, si usus ferat. Quà ratione benevolentiam nostram testamur, ac libenter nos morem gessisse ostendemus.

Sin res difficilis sit, ac gratificari nihilominus visum erit; significabimus rei difficultatem, ac quàm parùm possumus: interim tantum dicemus esse amorem nostrum, ut non putaverimus cessandum, usque dum amico satisfecerimus. Ac si alter promiserit benevolentiam suam, eam nos cupere dicemus. Sin alter dixerit, se propterea æternùm fore nobis obstrictissimum; negabimus, eum nobis quicquam debere. Hanc enim naturam esse amicitia, ut mutud beneficiamus, cum possumus. Itaque in posterum etiam nos operam ei nostram in omnibus offerre: & velle vicissim ejus operà uti, quoties ira res feret. Vide Ciceronem lib. v. epist. xi. ad Vatiniùm, qui Pompeiam, uxorem suam, Tullio commendàrat: & lib. xv. epist. xiv. ad Cassium, à quo commendatus fuerat M. Fabius: Plinium lib. vi. epist. ix. ad Tacitum, qui commendàrat Nasonem: & eodem lib. epist. xviii. ad Sabinum, qui à Plinio petierat, ut Firmianis patrocinaretur.

Sia satisfacere postulato animus non sit; videndum erit, cur detrectemus: num quia res inhonesta, an damnosa, an periculosa. Partes erunt tres potissimum.

Primùm dicemus, nihil nobis jucundius fore, quàm ut gratificari amico possemus; ac propterea dolere, quòd nunc id non valeamus.

Hinc exponemus causas, à tenuitate virium nostrarum, temporum difficultate, adversariorum potentia, & similibus.

Denique veniam poscemus, quòd non possumus morem gerere, atque alijs in rebus studium, & operam nostram, pollicebimur.

Vide libri x. epistolam ii. quàm Cicero se excusat Planco, quòd honoris ejus causâ non venerit in Senatùm, inque cæteris officium ei suum promittit.

VII. DE CONCILIATORIA.

CONCILIATORIA Græcis ἐπιπροσκήνη, & ἐπιπροσκήνη vocatur. Ea id oratoribus præstat, quod poëtæ tribuunt cæsto Veneris. Nam delensificâ oratione alium in sui illicit amorem. Ac primò quidem in eâ adferuntur causæ, ob quas pultemus amicitia fores. Continet autem hæc pars laudes ejus, quem compellamus. Deinde dicimus, nos, hisce laudibus impulsos, nihil æquè optare, quàm ut amicorum albo adscribamur. Postremò rationes adduntur, cur

conscia-

consecramus, nos haut indignos esse, quibus amoris fores referentur: unde hic propriæ laudes locum habent. Interim in primâ parte cavendum, ne parasitico more palpum velle obtrudere videamur: quod fiet, si nimium laudemus. Optimè Euripides Heraclidis:

Πόλιν μὲν ἀρκεῖ· οὐ γὰρ ἐν δῆφρονος
 Λίαν γ' ἐπαίρειν ἐστὶ. πολλὰ μὲν γ' ἴδ' ἔστι
 Καυτὸς βαρυσώδεις οἰδ' ἄγαν γ' αἰνέμασθε.

Hoc est, interprete H. Grotio:

*Et hoc quidem urbi sufficit. nam tædio est
 Laudare nimium; sæpe laudatus quoque
 Ex pondere ipso sentit excedi modum.*

Scitum etiam illud in Oreste, quæ non majoris Euripidis, sed ejus, qui ex Euripidis fratre natus, fabula est, teste Suida:

Βάρῃ τικᾶν τῆδ' ἔστιν αἰνέειν Λίαν.

Molestum est illud est, nimis laudatier.

In postremâ verò parte, h. e. laudatione sui, dispiciendum, ne Thra-sonibus istis similes dicamur, qui quodam Tragici cothurni strepitu sua suosque jactant, ac, Mithæci cùm sint, Agamemnonem simulant.

Conciliatorix exemplum est apud Livium lib. xxvi. oratio P. Scipionis ad Luceium, Celtiberorum principem, cùm virginem redderet ei desponsatam: apud Tacitum Histor. lib. i. oratio Pisonis ad cohortem in palatio collocatam præsidij causa: apud Amm. Marcellinum lib. xxvi. oratio Valentiniani recens creati imperatoris, ad exercitum minùs faventem. Vti & Nazianzeni epistola XLVI, quâ amicitiam Africani petit: & cxxviii, ubi Adelphij postulat amicitiam: item Politiani epistola lib. ix. ad Matthiam, Pannoniæ regem.

Porro non illæ solùm conciliatorix censendæ, quibus nobis conciliamus amorem alicujus: sed etiam, quâ inter se conciliamus dissidentes. Cujusmodi apud Livium lib. xl. oratio C. Cæcilij Metelli ad M. Lepidum & M. Fulvium censores. Similis fuit oratio Himerij ad sedandam seditionem ponè ludum concitatam. Ejus exordium apud Photium in myriobiblo habes. Etiam ad reconciliationem referre possis argumentum epistolæ Plinianæ ad Geminium, quæ secunda & vigesima est libri viii; & lib. ix. epist. xxi. quâ studet in Sabiniani gratiam reducere libertum ejus. Vide & Nazianzeni epistolam xix * ad Basilium, ubi eum hortatur ad concordiam cum Eusebio, Cæsariensi episcopo: item proximâ, quæ ad ipsum Eusebium. Item lxxxi ad Sophronium, quâ monet, atque incitat eum, ut controversias inter Orientis & Occidentis episcopos componat.

* ex Billij
 distinctio-
 ne, quæ in
 Græco codi-
 ce esse solet
 16.

† al. 53.

VIII. DE PANEGYRICIS.

VENIO ad orationes generis demonstrativi: in quibus panegyricæ primum sibi locum vindicant. Sed panegyricæ non uno dicuntur modo. Primum ac propriè sic vocabantur, quæ habitæ essent in panegyri; puta in ludis ac celebritatibus totius Græciæ. Quæ quomodo scribi debeant, ex Dionysio Halicarnasseo, & Menandro rhetore, cognoscimus. His nunc non insistam, quia, ut ludorum ejusmodi, ita & orationum id genus consuetudo exolevit. Præterea verò panegyricæ etiam dictæ, quæ in laudem principis habebantur in Senatu, vel alio nobili confessu. Harum pulcherrimum exemplum habemus in panegyrico Plinij: quem brevius ac succinctius Traiano priùs dixit sub formâ gratiarû actionis: postea verò *uberius & spatiosius* (ut ipse de se testatur †) volumine eo *† lib. 3. ep. 18.* amplexus est, quod existat. In eo quæ imprimis spectare oporteat, non alius nos melius docebit, quàm Plinius ipse: cujus hæc verba libro III. epist. XIII: *Librum, quo nuper optimo principi gratias egi, nisi exigenti tibi; missurus etiam si non exegisses. In hoc consideres velim, ut pulchritudinem materia, ita difficultatem. In ceteris enim novitas ipsa lectorem intentum habet: in hoc nota, vulgata, dicta sunt omnia. Quo fit, ut quasi otiosus securusque lector, tantum elocutioni vacet. in qua satisfacere difficilius est, cum sola æstimatur. Atque utinam ORDO saltem, & TRANSITVS, & FIGURÆ, simul spectarentur! Nam invenire præclarè, enunciare magnificè, interdum etiam barbari solent: disponere aptè, figurare variè, nisi eruditus negatum est.* Ordo verò istiusmodi est. Primum publicam Cæsaris vitam exponit. In quâ temporis ordinè sequitur. Ab adoptione enim orditur, ac in tertio consulatu definit. Exponit autem, quicquid interim actum ab eo laudabiliter, ac bono publico. Post hæc in privatâ ejus vitâ domum compositam considerat. Itaque Plotinam uxorem, & Martianam sororem, ut Traiano similes, extollit: imperatorem ipsum prædicat, quod amicos colat, & eo quemque loco habeat, quo meretur. Vtinam verò tertius hæc oratio habita esset, ut reliquam etiam præstantissimi imperatoris vitam haberemus. Nunc in tertio ejus consulatu sistit auctor. Itaque nihil hîc legas de Decebalo victo, unde Dacici cognomen retulit; quod quarto contigit consulatu: nihil de tot alijs præclarè postea ab eo gestis. Illa verò, quæ Plinius refert, non eum magnum ostendunt ducem, nec id docere Plinius potuit, quia nec-

dum ejus ductu bellum gestum erat : sed solum signa sunt , unde li-
quidò conjecturâ capere esset, eum magnū ducem fore. Verum, quâ
parte nos Plinius desistit , panegyristæ alij, sed alijs in imperatori-
bus , exemplò esse possint. Vt è Latinis Mamertinus , & alij , qui
cum eo excudi solent. Nec planè aspernandus B. Ennodius , Tici-
nensis episcopus, panegyrico, quem dixit Theoderico , Gothorum
regi. E Græcis adeundus Julianus imperator , orationibus duabus
in laudem Constantij imperatoris. Atque ejusdem oratio exstat in
laudem imperatricis Eusebiæ. Tres istas Græcè cum tralatione suâ
primus edidit V. Cl. Dionysius Petavius. Vide & eas Themistij
orationes , quas diximus lib. I. cap. v. sect. xxxi. Juvabunt quoque
Latinorum poetarum panegyrici : ut ille Tibulli ad Messalam lib.
Iv: item seu Ovidij, seu Lucani, ad Calpurnium Pisonem : adhæc
panegyrici Claudiani, Sidonij, aliorum.

IX. DE N U P T I A L I.

AD demonstrativum etiam genus pertinent , quæ Dionysius
Halicarnassensis eruditè tradit de scribendâ oratione nuptia-
li ; item quâ prætor à rep. aut principe, rei administrandæ gratiâ
compellendus, & excipiendus est.

In nuptiali oratione præcipuum locum obtinent laus sponsi spon-
sæque, laus nuptiarum, & votum pro felici connubij successu.
Multa ad nuptiarum laudem pertinentia suppeditabunt, qui de bo-
no matrimonij scripserunt. Vt B. Augustinus libro eo, qui de bono
conjugali inscribitur. Et tot alij veterum, ac juniorum. Votum
præcipuè concordiam & liberos spectat. In parte eâ, quæ concor-
diam respicit, non parùm, ut puto, juvabit Iustus Lipsius eleganti
epistolâ ad Sweertium, quæ est quadragesima centuriæ tertiæ ad
Belgas. Ad liberos præcipuè pertinet votum illud Nazianzeni epi-
stolâ CLXXI. ad Eusebium, ubi ait, alios nuptialem orationem
consumere in laudatione, se in voto. Sed operæ est ipsum audire.
Ἄλλοι μὲν ἐν καλείτωσαν ἔρωτας, ἐπειδὴν γαμῶν ἢ τὸ παῖζεν, ἢ παρδένου καλλο-
γασθέντων, ἢ συμφίσι χάριεν ἀνταμιβέντων, ἢ βαλλέντων λόγους, ἢ τῶν ἀνδένων
ταῖς πασάδαις. ἕως δὲ ὑμῖν προσέσωσάν τὸν ἕμδον ἐπιδαλάμιον. εὐλογῆσαι ὑμᾶς Κυρι-
ὸν ἐκ Σιών, ἢ αὐτὸς ἀρμῶσι τῶν συζυγίων, ἢ ἰδοὺς ὑὸς τῶν ἡῶν σὺ. ἢ πολὺ δὲ οἰπέην,
ὅππῃ ἢ κρείσσονας. *Alij igitur vocent amores (quia & ludere convenit nuptijs)*
*& virginis venustatem oratione depingant, & vicissim attollant pulchri-
tudinem sponsi, ac thalimum ut floribus, ita sermone conspergant. Ego verò*
accinans

accinam vobis nuptiale meum carmen : Benedicat vobis Dominus ex Sion, atque ipse matrimonium concinet, videasque ipse filios filiorum tuorum. Ac parum abest, quin addam, etiam te praestantiores. Vide & epist. cxciii, ubi Diocli optat *επιθαλάμια χερσὶν τῶν γαμῶν* ἢ *ἢ χερσὶν, ἢ νοσῶν* ἢ τὸ *ἢ τῶν οἴων τὸ ἴδιον*. τὸ δὲ *ἢ τῶν ἀδελφῶν μετὰ πῶν* εἰς τὸ βέλτιον ut Christus nuptijs interfuit : ubi verò ille, ibi modestia : item ut aqua in vinum convertatur, hoc est, ut omnia convertantur in melius. Atque hæc generatim. Fufius verò aliquanto de nuptiali oratione agit in opusculis suis ab Angelo Britannico editis Marinus Becichemus Scudrensis : qui omnia è Græcis se fontibus hausisse, candidè profiteatur. Sed mirum ea Pausaniæ tribuere, quæ sunt Dionysii Halicarnassensis. Ex eodem Dionysio etiam de epithalamijs cognosces. Quo nomine quid propriè notetur, docet Proclus in Chrestomathiâ apud Photium, his verbis : Τὰ ἐπιθαλάμια τοῖς ἀρτιδαυδομένοις ἀμα οἱ ἡμεῖροι, ἢ οἱ παρθένοι, ἐπὶ τῷ θαλάμῳ ἴδον. *Epithalamia*, sponsæ sponsæque thalamum jam ingressis, juvenes pariter ac virgines thalamo adstantes canebant. Addit è contrario, Τὸ μὲν αὖτὸ γαμῶν ἀδελφῶν. *Hymenæum*, sive carmen nuptiale, in nuptijs cantari. Sed alijs Hymenæus potiùs est epithalamium, quàm oratio nuptialis.

Quæritur, an epithalamium dici possit carmen Catulli, cujus initium, *Collis è Heiconij* : aut, *Vesper adest, juvenes*. Propriè epithalamium esse, negat Muretus notis, quos in eadem poëtam scripsit. Sed Latini latiùs usi epithalamij vocabulo. Fabius enim clarè poëma illud, *Vesper adest juvenes*, epithalamium appellat lib. ix. cap. xix. ubi ex eo citat hæc verba :

--- *Dum innupta manet, dum cara suis est.*

Doctissimus Ioannes Hartungus in locis memorabilibus † inter ea, quæ à veteribus citantur, nec uspiam occurrunt, reponit illud, quodd Fabius ex Epithalamio Catulli adducat, † Decuria 1. cap. 10.

--- *Dum innupta manet, dum cara suis est.*

Sed sunt ea ex carmine, quod dixi. Nisi quod Fabius, memoriæ errore, pro *innupta* posuit *innupta*. Etiam est substituit pro *sed* : verùm id studio egit, ne sequentia etiam adicere cogereur. Existat ejusdem Catulli carmen de nuptijs Pelei & Thetidos : de quibus antea scripserant Hesiodus, & Agamestor, seu Agameter. Ex utroque versus quosdam citat Ilacius Tzetzes †. Theocriti Idyll. xviii epithalamium est Helenæ. Adi & excerpta Photij ex Himerij epithalamio ad Severum : ut de Statio, Claudiano, Sidonio, ac poëtarum alijs, nihil dicam.

† prolegomenis in
Cassandrà
Lycophr. &
pag. 18.
edit. Opor.

Etiam ad demonstrativum genus pertinet tum natalitia, tum funebres. Quomodo natalitia scribi debeat, ex Dionysio Halicarn. cognosces. Vide & Genethliacam orationem Aristidis in Apellam; & è poëtis genethliacon Lucani, quod ad Pollam Argentariam, Lucani uxorem carissimam, vel viduam; potiùs, Staius scripsit in secundo Silvarum.

X. DE FVNEBRI.

FVNEBRIVM orationum origo apud Græcos cœpit à Solone; ut Anaximenes tradidit: apud Romanos autem à Valerio Poplicolâ; qui collegam suum, Junium Brutum, in pugnâ cum Arunte, Tarquinij filio, cæsum, funebri oratione est profecutus; tantoque id cum populi applausu fecit, ut exinde mos obtinuerit laudandi eos, qui strenuè in bello cecidissent. Auctor Plutarchus in Poplicola. Hujusmodi autem laudationibus factam esse historiam mendosiorum, auctor est Tullius in Bruto, & Livius lib. v. ab V.C.

Orationis funebris à Dionysio Halcarn. † tria statuuntur *νεκρά-*

*† τὸ τὸ γρηλαία * ἐπιαιθ, ἐπιαιθ, ἐπιαιθ, ἐπιαιθ †.*

* capita ac loci.

† laus, lamentatio, ac consolatio.

Vide orationem funebrem Periclis apud Thucydidem libro II. quâ laudat in prælio cæsos. Item Demosthenis orat. in laudem eorum, qui Chæronensi prælio erant interfecti. Quamquam oratio ea non videtur genuina. Sanè licet illam agnoscat Plutarchus; tamen de eâ ambigunt Dionysius Halicarnassensis, & Libanius. Etiam apud Dionem lib. xli v habes M. Antonij orationem funebrem in laudem Iulij Cæsaris, & lib. lvii aliam Tiberij in laudem Augusti. Adi & funebrem Aristidis in Eteoneum, & alteram in Alexandrum: quorum ille adolescentulus, hic admodum senex, decesserat. Vt ex orationibus ijs operosum non sit cognoscere, quomodo pro ætate diversâ aliter, atque aliter, laudare conveniat. Apud Vopiscum, interfectum Aurelianum laudat Tacitus. Adi & Nazianzeni orationes funebres in fratrem Cæsarium, sororem Gorgoniam, patrem suum, magnumque in Athanasium: & funebrem Nysseni in Pulcheriam, Basilium, M. Placillam imperatricem, & Meletium, episcopum Antiochenum. Item apud B. Hieronymum epitaphium Marcellæ ad Principiam virginem, Marcellæ contubernalem & discipulam: nec non Blefillæ ad Paullinam, eius matrem; Paullæ ad Eustochium, ejus filiam; Fabiolæ ad Oceanum. Et excerpta Photij ex Himerij oratione funebri in filium. Et hi quidem prosâ scripsere.

Ex poëtis Moschus reliquit epitaphium Bionis, Bion Adonidis,

Epi-

Epicedium pſittaco Melioris Atedij ſcripſit Staius ſecundo Silvarum : item Pileti Urſi ad parentem. Et libro IIII habes epicedium parenti Claudij Etruſci ſcriptum. Adhæc epicedium patris ſui conſcripſit libro v. Item pueri vernæ ; non filij , ut habet inſcriptio.

Propriè autem differunt *ἐπιτάφιος*, & *ἐπιών*, quod *ἐπιτάφιος* † *κατὰ αὐτὸ τὸ κῆρ* ἔτι τῶ σώματι *κειμένη λέγει* ; ὃ δὲ *ἐπιών* ἔσθ' *γενέσθαι ἄνευ*, ut eſt apud Proclum in Chreſtomathia †.

† epicedium pro ſunera cadavere adhuc acūte dicitur: threnus vero nullo circumſcribitur tempore † apud Phoſium in biblioth.

Nec threni ſemper ſunt ſuper mortuo ; ſed etiam ſuper calamitatibus temporum. Quod ex threnis prophetæ Jeremiæ cognofcimus ; quibus miſerabilem deplorat Iudæorum ſtatum : item threnis Nazianzeni ; unde dilucet, quanta ille tum in ſollicitudine, ac mœrore, ob peccata verſaretur.

XI. DE GRATIARVM ACTIONE.

PRÆTEREA ad demonſtrativum genus pertinent gratiarum actio, & gratulatoria. Nam in illâ beneficium laudamus, quod accepimus : in hâc bonum extollimus, quo alter auctus eſt. Quod ſi gratulatoria hujus generis eſt ; in eandem quoque bilancem imponenda erit lamentatoria : quippe eâ tum laudamus ſive perſonam, quâ orbatuſ ſumus ; ſive rem, quam nobis penè ſanguinem animamque fuiſſe oſtendimus : tum quoque vituperamus hominem, aut rem, per quam in iſthoc incidimus infortunium.

Quare ut de his quoque ordine dicamus, in gratiarum actione ad *λεκτικά* argumenta pertinet, ſi in eo tum beneficij laudes auctorem ; tum beneficium ipſum extollas atque amplifices. Ac beneficium quidem laudes, quia ſit honeſtum, utile, jucundum. Amplifices verò illud ex eo, quia quis beneficium contulerit primus, ſolus, vel cum paucis, vel tempore maximè oportuno, vel ſæpe aut citò, & alijs modis : de quo vide, quæ diximus lib. I. cap. IX. *παρηγορικά* argumenta ſunt, quibus amor, aut benevolentia conciliatur : aut gignitur benevolentia aliorum, qui benefaciendo æternum ſibi nominis decus parant : aut quibus ſpes concitatur animi grati, ac remunerationis. *ἠδικτικά* ſunt, ſi extenues vires tuas ad gratias referendas, Deumque ores, ut dignas ille gratias rependat : ſi item oſtendas, non dubitare te de fide & conſtantiâ amici in te promovendo : & tamen id facias modèſtè, ne in expoſcendo beneficio novo transgredi videaris verecundiæ fines.

Atque ex his videre ſit, quæ in hoc genere præcipua ſint argumenta, tum *λογικά*, tum *παρηγορικά*, tum *ἠδικτικά*. Quomodo verò ea

miscantur, ac tractentur, liquidius fiet ex ijs, quæ deinceps exponam.

Gratiarum actio constat imprimis duabus partibus. Prior est laudatio, & amplificatio beneficij. Est igitur ea pars, vel *ἔπαισις*, vel *ἰγκώμιον*. Nam, ut supra diximus, *ἔπαισις* indicat magnitudinem virtutis: *ἰγκώμιον* verò actiones virtutis. At gratiarum actio, tum magnitudinem indicat beneficentiæ, quæ virtus est: tum beneficiorum, quæ sunt virtutis actiones. Considerantur autem beneficia tum præterita, tum præsentia, tum futura: & pro bonis tum antea partis, tum ijs quibus fruimur, tum speratis, significabit, quantum sibi etiam ante acceptum beneficium de eo promiserit, quantum in præsentia ejus benignitatem sentiat, & quantum speret in posterum. In quibus tractandis E. *hōpœia* inservit.

Laudabimus verò beneficia à personâ, vel re ipsa. Persona est vel dantis, vel recipientis. A dantis personâ extollimus illud, si dicamus, non rogatum, sed sponte; non debentem, sed immerenti; non ægrè, sed lubentissimo animo contulisse. Atque hîc occasio erit prædicandi ejus liberalitatem, ac magnificentiam. Sin non sponte, sed rogatus benefecerit; dicemus, eum citiùs opinione id nostrâ egisse. Vbi ejus studium, fidem, atque industriam prædicabimus. Addemus, eum plus laboris suscepisse, vel plus nobis contulisse, quàm ausi eramus rogare; vel etiam, quàm opus fuit. Sin priores benefecimus; dicemus, plus rependisse, quàm acceperat; vel citiùs quàm necesse erat. A recipientis personâ laus petitur, si necessitatem nostram exponamus: ut quòd sine eo beneficio non potuerit nobis non malè esse. Item addere libebit, nos vel sanguine, vel affinitate, vel amicitia, vel patria, vel professi... vel moribus ei conjungi, vel ijs, qui illi conjunctissimi: quæ res benevolentiam parit. A re ipsa extollitur beneficium, si illud dicatur fuisse magnum, opportunum, insperatum, & quæ hujusmodi alia.

Porro hîc quoque interdum est periculum, ne nimis beneficium exiguum extollentes, videamur ludere, aut parasitari. Ad dilatandù verò libebit hypothesin reducere ad thesin: ut si laudaturus liberalitatem Alexandri, universè liberalitatem extollas. Thesis verò hæc amplificatur, tum à contrarijs; ut si avaritia vituperetur: tum à comparatione, simili, exemplo: quemadmodum in progymnasmatibus docetur, ubi de Chriæ, & Sententiæ tractatione agitur.

Pars altera gratum pollicetur animum; ac si quidem, qui beneficium accepit, remunerandi habeat potestatem, pollicebitur, se aut paria

paria facturum, aut in re majori uberiores quoque gratiam relatu-
rum. Sin vero remunerandi vires haut suppetant; promittet, se be-
neficium hoc insculpturum animo penitissimo; cumque nulla sit spes
gratiam referendi, rogare se Deum Opt. Max. ut is suppleat, quod
sibi ob sortem paupertinam haut licet. Hanc ni rationem inire ma-
lit, quàm opulentum aliquid spirare; audiet meritò Plautinum * *in Capt.*
isthoc: *Verba sine penu, & pecunia.* *se. Miser*
homo est.

Vide apud Livium lib. xxv r r r. orationem Saguntinorum gra-
tias agentium senatui Romano, quòd eorum causà bellum adver-
sus Hannibalem susceperisset. Item apud Sallustiam in Jugurthinà
habes orationem Bocchi Regis ad Syllam, qui ei obtulerat gratiam
atque amicitiam populi Romani. Luculentà etiã oratione Aufo-
nius Gratiano egit gratias pro consulatu. Quòd si epistolas huius
generis velis, Ciceronem adi lib. r r r. epist. ult. quã Appio Pulchro
gratias agit ob supplicationem sibi ejus operã decretam: & lib. xv.
epist. xi, quã ob eandem gratum se prætat C. Marcello. Item Pli-
nium lib. v. epist. r r, ubi Flacco pro turdis missis gratias agit. Et
lib. ix. epist. xx r v. ubi agit gratias, quòd libertum, aliquando gra-
tum, reduxerit domum. Et Nazianzenum epist. cxxv. ad Asterium,
uti & epist. seq. ad eundem, & cxlix. ad Alypium. Item Chryso-
stomum epist. r r r, quã ad Innocentium, episcopum Romanum. Ex-
stat & Sidonij Apollinaris † Eucharisticon ad Faustum: item B. En-
nodij, Ticinensis episcopi, (qui anno vixit quingentesimo) oratio *† carm.*
ad grammaticum; quã gratias ei agit pro operã Parthenio, sororis *160.*
suã filio, in declamandi exercitio impensã. Sed hujusmodi scripto-
res, ætatis vitio, quã vixere, conceptus quidem ac sensus juvare
possunt: at non elocutionem & stylum: quã parte ijs multi junio-
rum præferri merentur: velut Angelus Politianus lib. r. epist. x,
ubi Hermolao Barbaro gratias agit, sanè eleganter.

XII. DE GRATVLATIONE.

IN *gratulatione* cogitandum primùm de argumentis *δευτικοίς*. Vt
cum probamus, magnū illud esse, cujus causã gratulamur. Vbi &
res, & persona consideranda, ne videamur in lente querere unguen-
tum, ac *πῶς τοῦ μὲν ἔχειν* †. Ex argumentis *μαθητικοίς* hic præcipuè lo-
cum habent, quæ afferunt vel *χαρὰν*, sive gaudium, vel *χαίειν*, seu
lætitiã, vel etiã *ζῆλον*, sive æmulationem. Nam hortamur, ut
quis æmulari pergat summos viros: vel non cum alijs solùm, sed
secum

*† indiculam
expolire.*

secum etiam deinceps certet. Ad *70* pertinet, ut laudes alterum, sed citra assentionis suspicionem: ut dicas bonum alterius etiam ad te pertinere, sive ob amicitiam, sive aliud vinculum: ut in posterum etiam optima quæque voveas, atque optes: ut seu apertè, seu obliquè, ad eam deinceps colendam adhorteris.

Interea non ignorandum, aliter gratulandum esse principi, quàm privato: aliter in re magnâ, quàm minutâ: semperque operam esse dandam, ut gratulatio vera, atque ab animo esse profecta videatur.

Ordo pro re natâ, ac cujusque arbitrio, mirè variat. Inter modos ceteros hic non incommodè inibitur. Primum indicabimus, impensè nos delectatos fuisse nuncio de alieno bono. Deinde extollemus illud bonum: ac quidem, si magnum erit, dicemus, eum, cui gratulamur, dignum tanto bono fuisse: nec temere alium reperiri posse, cui magis illud conveniret. Quod si munus aut dignitas erit; addemus, non personæ modò, sed publico quoque, sic esse optimè prospectum. Si bonum, quo quis auctus, non ita magnum videatur; ubi jam extulerimus illud, negabimus tamen ejus meritis respondere: interea quasi gradum quendam fore ad majora. Laudabimus etiam virtutem atque industriam, quâ bonum hoc est consecutus. Si gratulabimur ob dignitatem restitutam; amissionis culpam in factiosa tempora, atque improbitatem quorundam, conferemus: quòd verò quis redditus sit priori dignitati, id esse virtutis, dicemus: ac divinam etiam bonitatem ex eo perspici, quòd temporibus adeò corruptis, tam citò, tam insperatò, tam feliciter, res tanta successerit. Postea orabimus, ut bonum hoc sit salutare ipsi, amicis, & Reipublicæ: ac eadem precabimur, ut porrò ei secundo omnia ferantur æstu. Quod si amicitia nobis conjuncto gratulemur; licebit eum adhortari, ac monere, quo pacto se in posterum gerere debeat. Fore dicemus, ut ex eo non ad ipsum modò, sed ad nos quoque gloria redundet: ac contrà illius ignominiam etiam nostram fore. Sin ejus sit dignitatis, ut ista non deceant nos; dicemus, dubitare neminem, quin fidem atque industriam suam probaturus sit omnibus bonis, magnamque inde gloriam sit relaturus.

Vide apud Livium libro *XLII* orationem Persei milites suos alloquentis post victos Romanos. Et apud Trebellium *orationem Decij Imp. ad Valerianum, recèns creatum censores. Item apud Marcellinum extremo libro *XVII* orationem Constantij Cæsaris ad exercitum, postquam victorias aliquot de ferocissimis hostibus reportasset. Plurimæ etiam epistolæ in hoc argumento versantur.

Adi

* in Valentinianis.

Adi Ciceronem lib. II. epist. VIII, quæ Curioni de tribunatu, & sacerdotio gratulatur. Et ejusdem libri epist. IX, ubi gaudium suum testatur ob ædilitatem collatam Cælio Rufo : & lib. XV. epist. VII, VIII, IX, & XII, quibus Marcellis, & L. Paulo gratulatur de consulatu. Etiam adi epistolam Ciceronis, quæ gratulatur Dolabella, quia columnam Cæsari dicatam everterat, & homines libertati inimicos extremo adfecerat supplicio. Habes eam non tantum lib. IX * epistolarum, quæ ad familiares dicuntur ; sed etiam in ijs, quæ ad Atticum scriptæ lib. XI V. Addæ & paucas aliorum. Plinius lib. V. epist. XV. ad Pontium, valde se gaudere indicat, quod accepisset Cornutus viæ Æmiliæ curam. Atque idem lib. IV. epist. VII. respondet Arriano, qui de auguratu erat gratulatus. Nazianzenus epist. XXIV gratulatur Basilio episcopatu Cæsariensem. Chrysostomus eundem affectum ep. CXXIV testatur Gemello ; ac ep. CXLVI Anthemio ; utrique ob dignitatem collatam. Nec indignus est Politianus, quem veteribus jungamus. Vide eum lib. I. ep. XII. ubi Herm. Barbaro gratulatur, quod factus esset patriarcha Aquileiësis.

* epist. 14.
† epist. 20.

Ad gratulationem etiam refer sermonem epinicion. Ο Ψ† ἑπι-
νικιοῦ, ἢ ἀπὸ τῶν κρισῶν τῶν νικῶν, πῶς ἐπαρτίσθη ἐν τοῖς ἀγῶσιν ἐγχαίρο : ut
est apud Proclum in Chrestomathiâ, sive potius excerptis Photianis. † Epinicios
post victo-
riam scri-
betatur ho-
nori eorum,
qui victoriam
adepti suis-
fensi.
Tale est canticum Mosis, Pharaone submerso, Exodi XV. & Debo-
rar ac Baraci, devicto Siserâ, Iud. V. Simileque fuit, in quo, Goliath
cæso, Israëliticæ mulieres Davidem celebrabant. In quo illud, quod
intercalare fuisse carmen videtur : Percussit Saul mille, & David de-
cem milia. Vide I. Sam. cap. XVII.

Gentiles fabulantur ἑπινικια originem habere ab Apolline : qui, cum Jupiter armis supâisset Saturnum è regno, lauro coronatus, ac purpureâ ornatus togâ, carmine ad citharam victoriam celebrârît Iovis ; Deosque omnes, qui convivio intererant, oblectârît mirum in modum. Ed Tibullus * respexit, cum ita canit :

† lib. 2. eleg.
5.

Sed nitidus pulcherque veni, nunc indus vestem

Sepositam, longas nunc bene peete comas.

Qualem te memorant, Saturno rege fugato,

Victori laudes concinnisse Iovi.

Hujus etiam loci fuere σκολιὰ μέλη, quæ in laudem præstantium viro-um, eorum imprimis, qui pro patriâ occubiissent, in convivijs cani solent. Vide de ijs Plutarchum in Symposiacis, Athenæum lib. XV, Aristophanis scholiastem, & è junioribus Andream Schottum in Procli Chrestomathiam.

XIII. DE LAMENTATORI.

LAMENTATORIA tum calamitates exponit, & amplificat, quòd alios ad misericordiam concitet : tum odium ejus gignit, à quo quis malum accepit : tum metum parit in auditore, quia ostendit, quæ uni contigerunt, alijs quoque accidere posse.

Vide de statu suo querentem Tullium lib. v. epist. xv. ad Lucceium, & plerisque epistolis libri xiv ad Terentiam. Corellij Rufi mortem deslet Plinius lib. i. epist. xxi. ad Calestrium. Adi & lib. v. epist. xv i ad Marcellinum, de obitu Fundani filiæ minoris; & lib. vi i i. epist. xxi i i ad eundem, quâ admodum deplorat mortem Iulij Aviti. Elegans est & S. Basilij epistola ad Eusebium, Samosatensem episcopum, post deperditam Tarsum.

XIV. DE ΔΟΥΛΩ ΕΠΙΒΑΤΗΡΙΩ, ET ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚΩ.

DENIQUE ad genus demonstrativum pertinet *ἀδουλὸν ἐπιβατήριον, καὶ προπεμπτικὸν*: prior eorum est, qui post longam peregrinationem redeunt domum: posterior illorum, qui alios discedentes votis suis prosequuntur. Prioris generis scripsit Himerius in adventum Cypriorum: item in Severum, cum recens advenisset: adhuc in Ephesos advenas: ex quibus orationibus excerpta quædam apud Photium vide. Posteriori etiam in genere juvabunt, quæ ex varijs, ijsq; elegantissimis Himerij propempticis, idem Photius excerptis. Vide & elegantem Nazianzeni epistolam, numero i, ad Olympium, Cappadociæ præfectum; quâ significat, quantopere doleat, quia tali carendum erit præfecto; ac gubernationem ejus laudat, atque optat, ut aliquando cum eodem imperio revertatur. Ex poetis vide sis propempticon Statij Papinij, quo in tertio Silvarum profecutus est Metium Celerem, cum ab imperatore Domitiano, vel, ut ipse loquitur, Germanico Deo, missus esset ad legionem Syriacam.

XV. DE OBJURGATIONE.

AD genus juridicialia referri debent objurgatio, expostulatio, exprobratio, purgatio, deprecatio. Nam qui objurgat, aut expostulat, aut exprobrat, is accusat: qui purgat se, is defendit. Deprecatio quoque eò pertinet: non tamen primò, cùm aliud sit deprecari, aliud defendere; verùm reductivè: quia cùm quis accusatur, triplex se offert elabendi ratio; inficiatio, vel defensio facti, ac deprecatio pœnæ. Quare de his quoque aliquid dicamus.

In objurgatione primùm adferemus crimen: tum illud exaggerabimus, partim à rei ipsius indignitate, partim à personâ, quæ illud commisit. Ut quæ rem fecerit indignam suo genere, ac patriâ: vel ætate, professione, amicitia eorum, quibuscum versetur. Ostendemus, quantam sibi ignominiam inusserit: quantopere à se abalienârît optimum ac conjunctissimum quemque: ut in nobis etiam nihil ei spei sit relictum; nec quoquam eorum, quibus sit fretus: quanta eum pericula maneant: quantæ ei impendeant pœnæ, etiam post hanc vitam, si talis esse perseveret. Denique graviter ac severè adhortabimur, ut, vitijs relictis, ad meliora animum applicet; quò & nos, & amicos, & Deum ipsum magis sentiat propitium. Vide Nazianzeni epistolam *xviii*, quâ Cæsarium fratrem objurgat, quodd ambitione quadam se in familiam Iuliani apostolatæ contulisset, ac ærarij suscepisset curam. Item jurgatricem ejusdem epistolam *xxx* ad S. Basilium; cùm vir tantus, tam amicus, ab eo præpositus esset ignobili Sasimorum loco; quod ad ignominiam ac contemptum sui factū putabat Nazianzenus. Et sanè parùm absuit, quin hæc res veterem eorum amicitiam dirimeret. Vide & duas ad eum epistolas sequentes. Adhæc *xl* et *xl*, quâ Gregorium Nyssenum increpat, quodd, qui sacros in Ecclesiâ libros prælegere soleret, nunc Rhetoricen profiteretur. Item epist. *cx* et *cx*, ubi Adelphium liberè objurgat. Initium solum adscribam: *Ἐπισημαίνω τὴν κατὰ τὴν ἐπιτομήν σου ἀναγωγὴν καὶ μὴ δέξαι τὴν ἀφ᾽ ἑστέρας ἀποστολῆς ἀποστολὴν, ἢ κατὰ τὴν ἐπιτομήν σου ἀναγωγὴν. Πολλὰ δὲ βέλτιον βραχὺ λαλῆσοντα, μὲντοι ἀφελῆσαι, ἢ τὸ σφῶς ἠδοντὶ δῶκοντα ζημιῶσαι τὴν κεφαλαιῶν.* Adhuc te honorandum appello, etsi ea in eas consilia, qua honorem minimè mereantur. Hanc verò libertatem meam in bonam partem accipe; tanquam eius, qui paternis moveatur visceribus, nec perferre hac possit ob benevolentiam erga te affectum. Multò enim satius est brevi dolore afficientem maximam adferre

adferre utilitatem, quàm jucunda sectantem damnum in eo adferre, quod præcipuum maximumque est. Sed integrâ videre epistolam operæ fuerit.

XVI. DE INVECTIVA.

OBIVRGATIONI adfinis est invectiva. Differunt eo solum, quod illa ab amico animo profiscitur, & pro scopo bonum alterius habeat: at hæc proficisci soleat ab animo inimico, & illud spectet, ut alteri adferat dolorem. In tractando similis propè ratio est. Iraque exempla aliquot monstrâsse suffecerit. Apud Polybium lib. xi. invehitur P. Scipio in milites scitiosos, qui propterea defecerant, quia stipendium ijs non erat numeratum ad diem præstitutam. Apud Sallustium in Jugurth. Marius in Africam expeditionem parans, oratione ad Quirites exagitat nobilitatem. Apud Liviam lib. xxi. orationem habes, quâ M. Minucius acriter ad eum perstringit cunctationem Fabij Maximi Dictatoris. Apud Herodianum lib. i. invehitur Severus in milites, qui occiderant Pertinacem, & ad imperium evexerant Iulianum. Multas etiam Ecclesiasticorum scriptorum invectivas habemus: ut Hilarij adversus Constantium, Nazianzeni in Iulianum, Hieronymi in Rufinum. Mitto recentiores illas Vallæ & Poggij, Politiani, & Scalæ, & similes tum superioris seculi, tum nostri: in quibus utinam nonnulli ex doctissimis illis viris magis modestiæ litassent. Nunc convitiis ac maledictis se suaque magis depreciant, quàm adversarios ipsos. Hæc caninæ illius facundiæ est merces: nec sanè aliam merentur.

XVII. DE EXPOSTULATIONE.

EXPOSTULATIO est querimonia de injuriâ vel ignominia illata. Fit ea bifariam. Nam vel metuimus, ne ille, quicum expoſtulamus, factum neget; vel solum ne extenuet, ut se purget. In priori argumenta afferemus *δεικνυµε* è locis status coniecturalis. In posteriori ea adducemus è locis status quantitatis. Affectus hinc varij cœntur: pudor delicti, odium vitij, metus pœnæ. Ad τὸ ἴδιον pertinet, si dicas, dolere, quod alter contra amicitiam peccarit, atque aliis occasionem præbuerit malè & sentiendi, & loquendi. Item si laudes eum, quicum expoſtules: ac quodammodo culpam removeas in personam aliam, vel rem, ita ut videaris amicum ipsam velle excusare. Adhæc, si ostendas te gravatè ac coactum venire ad accusan-

cufandum alterum : imò dicere ifta dicas non ex te , fed ex aliis :
 vel fi optes alteri mentem faniozem . Denique fi officium omne of-
 feras , & roges , ut in bonam accipiat partem , quæ dixeris : ac præ-
 cipuè , fi quid acerbùs dictum , ut id ignofcat . Ad ordinem quod
 attinet , poffis hoc pacto eum inftituere : ut primùm fignifices ,
 quantopere mireris , quòd alter officium neglexerit , aut quantum
 dolorem perceperis ex re , propter quam expoftules . Hinc refelle-
 mus , quæ alter ad excufationem fui adferre poffe videatur . Præfer-
 tim fi ea nos ipfos fpectent . Nam , ut Nazianzenus ad Eutropium ꝑ
 fcribit , *Φιλῶν οἱ πονηροὶ τὰς αὐτῶν αἰτίας περιερίπνυσι τοὺς ἐλλογιώτας* ꝑcp.164.
Homines improbi amant culpam ijs impingere , qui illos accufant . Quod
 fi opportunum fit , etiam unam alteramve rationem adijciemus ,
 propter quam longè aliter factum oportuerit . Nihilque ejuſmodi
 à nobis eſſe commiſſum , dicemus . Vbi noſtrum officium cum factis
 ejus conferemus . Quod fi leve delictum erit , quale fit neglectum
 ſcribendi officium ; querimonia hæc plurimùm aut laude eſt tempe-
 randa , aut joco lenienda , aut diſſimulatione imminuenda : uti ſi ,
 quamvis negligentia quid commiſſum ſciamus ; id tribuere mali-
 mus occupationibus . Poſtremoquæ expoſcemus , non injucundam
 multam , duplicandi deinceps officij , atque ita reſarciend. , quod fue-
 rat neglectum . Vide inter alia Plinij lib. 1. epift. xii. ad Juſtum ,
 & lib. 11. epift. 11. ad Paulinum ; quarum utraque conqueritur de
 non acceptis literis . Vt & S. Baſilius ep. lxxxiii. ad Leontium facit .

Sin gravius crimen erit , uti perfidia , inſidiæ ; primùm expone-
 mus amorem ac benevolentiam noſtram , & quàm bene de eo me-
 riti ſimus . Eoque nullam ei malè merendi datam eſſe occaſionem .
 Tum crimen , quod alter commiſit , adferemus , & amplificabimus ,
 & quæ pro ſe adferre poſſet , reſellemus . Iſtum etiam judicem ſta-
 tuentes , quæremus , quâ pœnâ alterum dignum fuerit judicaturus ,
 ſi hæc ſibi eveniſſent . Quod ſi nihilominus amicitiam cum eo ſer-
 vari malimus ; dicemus , nos libentes ei ignoſcere : ſed petere , ne-
 quid iſtiusmodi in poſterum committat .

Exemplum gravioris expoſtulationis eſt apud Thucydidem lib.
 11 ; ubi Plataenſes de eo querunt , quòd Lacedæmonij contra
 foedus bellum inferant . Apud Xenophontem lib. v. *Κύρου πειρασμός*
 Cyaxares expoſtulat cum Cyro de injuriâ illâ , quòd dum prodeſſe
 videtur augendo regnum , reverâ plus obſit , imminuendo honorem
 & auctoritatem apud ſubditos . Apud eundem , lib. v. de expeditione
 minoris Cyri , eſt oratio Tecatonymi , Sinopenſium legati , expo-

stulantis cum Græcis, qui, dum per eorum transeunt terras, annonam pro omnibus, & domicilium extorserant pro ægris. Apud Livium lib. ix. expostulat C. Pontius cum feciali Romano, quia non staret sponsoni ad furcas Caudinas. Et lib. xxxix Philippus, Macedoniæ rex, expostulat cum Metello, alijsque legatis, quod castella sibi, atque urbes eas eriperent, quas suo jure haberet. Multæ etiam epistolæ hujus sunt generis. Ut inter alias apud Tullium initio libri secundi epistola Metelli ad Ciceronem; ubi queritur de fratre suo Metello Nepote ab eo oppugnato: apud Barium epist. lxxx ad Athanasium, episcopum Ancyranum, qui finistrè admodum de Basilio loquebatur. Varias etiam inter eas comperies, quas Leonis X. nomine Petrus Bembo conscripsit.

XVIII. DE EXPROBRATIONE.

EXPROBRATIO, & beneficium collatum laudat, & ingratum alius animum detegit. Ordo in eo hujusmodi esse possit. Primum agemus de amicitia nostræ antiquitate, vel arctâ conjunctione; item de meritorum nostrorum magnitudine. Hinc exponemus, quàm mala nobis gratia sit relata. Ac si gravius accusare visum erit; eò dirigemus argumenta nostra, ut non errore, atque ignorantia, malè nobis fecisse videatur; sed vel ut noceret nobis, quod planè est inimici; vel ut aliquid inde utilitatis perciperet; quod ipsum quoque veræ amicitia repugnat. Amplificandi etiam causâ ab hypothesi adscendemus ad thesin, atque ipsum ingrati animi vitium detestabimur, tanquam radicem, è qua tetri omnium malorum stolones suppullent.

Quod si alter nos ætate, vel dignitate præcesserit; primum loquemur de perpetuâ nostrâ in eum voluntate, atque ejus cultu & observantiâ. Tum injuriam longè aliud promerito illatam exponemus. Atque ad amplificandum referemus, quàm indignum sit, juniores vexari atque opprimi à senibus, pauperes à divitibus, impotentes ab ijs, qui potentia suâ sunt subnixi. Hinc ætatem & impotentiam nostram cum alterius ætate, & viribus comparabimus; observantiam & cultum nostrum, cum alterius injurijs: quas præter merita, & opinionem, nobis evenisse, conqueremur.

Est & quædam ratio, quâ obliquè, & molliter, aliquid exprobre-
mus alicui, quem amicum nobis servare cupiamus. Primum enim dicemus, non dubitare nos, quin vir optimus, & humanissimus, & nostri

no stri semper amantissimus, ab alijs deceptus istoc egerit, quod nunc factum dolemus: interim cum non mediocriter eâ re nobis incommodârit, & multis, qui eum non satis norint, rem ab amicitia suâ, & moribus, ac dignitate, alienam fecisse videatur; optare nos avidè, atque etiam expectare, ut cogitet secum, quomodo læsæ hæc parte amicitia satisfacere, atque opinioni de se conceptæ occurrere quàm optimè possit. Nos quidem honorem ejus nostrum putare, nec quicquam æquè velle, quàm ut amicitia inita sanctè conservetur, atque ut ei non minus, quàm nobis, id curæ esse, omnes intelligant.

Exprobrationis exemplum si voles, Xenophontem consule lib. xv. de gestis Græcorum; ubi Pharnabazus beneficia sua Agesilao obiecit, & Lacedæmonijs. Item apud Arrianum lib. v. luculentam habemus orationem Alexandri Magni, quâ Macedonibus, cum paterna, tum sua imprimis exprobrat beneficia.

Exprobrationes etiam, atque objurgationes, crebræ sunt in sacris literis. Contentus ero oratione seu Phineæ, summi sacerdotis, seu prophetæ alicujus, qui è Gilgal veniens populum Israëliticum increpuit; ut est Iud. cap. 11. Concionis ejus partes sunt tres. Prima enumerat beneficia Dei, non omnia quidem, sed recentiora: nempe liberationem ex Ægypto, & donationem terræ Canaan, ac singulare pactum cum hoc populo initum; cujus conditio erat, ne Israëlitaæ fœdus inirent cum Cananæis, sed aras eorum diruerent.

Pars altera à beneficijs transit ad exprobrationem peccati. Peccatum hoc erat, non quidem idololatriæ, (necdum enim eò prolapsi erant) sed quòd Cananæorum altaria conservassent, atque ita violassent fœdus. Quærit igitur orator ille, quid excusationis Israëlitaæ proferre possint?

Subicitur hinc comminatio istiusmodi: non expulsus iri Cananæos; sed fore hos Israëlitis à lateribus, & Deos eorum futuros pro laqueo, vel tendicalâ. Quibus auditis, populus dicitur lachrymâsse, & vi&imas pro peccatis obtulisse, ac locum à lachrymis accepisse nomen *Bobim*. Simile exemplum habemus in oratione, quam vir Dei habuit ad Eli; ut est 1. Reg. seu Sam. cap. 11.

Interdum verd in minis, atque etiam increpatione, plus valet vel unum verbum Laconicâ brevitate prolatum, quàm Asiatica loquacitas, & illa, ut Novius * loquitur, *trux volutiloquentia*. Exemplo * in Galli.

esto epistola Herodis ad Cassium, quæ uno absolvebatur verbo. *navia*,

Ponam

Ponam hæc de re verba Philostrati in Herodis vitâ : Ἐστὶ δὲ τις λόγος, ὡς νεώτερος μὲν ὁ τῶν ἑσθίων ἐπιβουλήν Κασσίου, ἐπὶ τὸν Μάρκον βεβλημένος ὁ δὲ Ἡρώδης, ἐπιπλάθειεν αὐτῶν δι' ἑσθλῆς, ὡς δὲ ξυγκυμμένης, Ἡρώδης Κασσίου. Εὐμνησίω δὲ τῶν ἑσθλῶν, μὴ μόνον ἐπιπλάθειν ἠγώμασθα, ἀλλὰ καὶ σώμηναι ἀνδρῶν, ὡς τῶν βασιλέων τιθεμένων τὰ τῶν νόμων ὄψια. *Vulgò etiam fertur, Cassium Orientis præfectum res novas molitum adversus Marcum: Herodem verò eum increpuisse per epistolam sic conscriptam: HERODES CASSIO. INSANIS. Hanc veò epistolam non modo increpationem esse ducimus; sed etiam robur viri pro Imperatore arma consilij oppositis.*

XIX. DE SVI VEL ALTERIVS DEFENSIONE.

NON fatis verò est scire, quo pacto alium culpâre atque accusare possimus: sed rationem etiam nõsse convenit, quomodo nos, vel alios, defendere valeamus. Multi enim vel de nihilo spirant mendacia; vel, si paulò meliores, saltem sunt mali alienæ actionis interpretes. Scitè Socrates apud Xenophontem*: Οὐ νόον γὰρ ῥαδίον εἶναι εὐρεῖν ἔργον, ἐφ' ᾧ ἐκ ἀντισ αἰτίας ἔχει. Χαλεπὸν γὰρ εἶπαι τι ποιῆσαι, ὅτε μὴδὲν ἀμαρτῆν. Χαλεπὸν δὲ καὶ ἀναμαρτήτως τι ποιῆσαι, μὴ ἀγνώμονι κερτῆν ἀετιωχεῖν. *Hanc facile est opus ullum invenire, quod non aliquis culpet. Siquidem arduum est ita quippiam efficere, ut nihil erres: difficile etiam, si absque errore effeceris, non iniquum judicem nancisci.* Quamobrem videndum deinceps, quomodo obviam sit eundem iis, qui de nobis queruntur, aut nos objurgant, vel nobiscum expoſtulant, aut quomodocunque nos, vel alios culpant. Neque una hæc ratio est: sed variat res pro status diversitate. Ordinemur ab eo, quo quid factum negatur. Statum id coniecturalem, vel inficalem vocant.

In hoc primùm dicemus, mirari nos, quòd alter ista de nobis crediderit: atque ostendemus, quàm aliena hæc sint à vitâ actâ: etiam rogabimus, num similitè quid audierit de nobis, vel etiam maioribus, quibus quàm similibi esse studuerimus. Hinc ex locis iis, quæ referuntur in coniecturali statu, docebimus, rem esse vanam, incredibilem, impossibilem: atque ea, quæ in opinionem illam adduxerant, diluamus. Autorem, si possimus, hujus mendacii indicabimus: & quid moverit ad ea confingenda. Denique orabimus, ut huiusmodi opinionem de nobis deponat: ac in posterum etiam omnia amici hominis officia pollicebimur: rogabimus etiam, ut quâcunque in re experiri velit benevolentiam ac fidem nostram,

Hanc

* lib. 2. de
factis & di-
ctis Socrat.

Hanc etiam viam insistere licebit. Primum dicemus, tantum abesse, ut offensus simus expostulatione amici, ut ea nos plurimum delectaret. Optime Nazianzenus ad Eusebium, Cæsariensem episcopum * : *Ἐστὶν ἀνδρὸς μεγαλόφρονος, φίλων ἐπιδοχέου μακρὸν ἰλασθῆναι, ἢ ἐχθρῶν κολακείαν.* Est hominis magnanimi, amicorum magis libertatem amplecti, quam inimicorum blandicias. * ep. 169.

Hinc id crimen, cujus insimulamur, detestabimur; ac modeste etiam amicum obiurgabimus, quod tale quid de nobis fuerit suspicatus. Posteaque refellemus ea, quæ illum in ejusmodi opinionem induxerunt. Postremo loco exponemus, quantus sit erga illum affectus noster; omniaque ei veri amici officia in posterum etiam pollicebimur.

At si apud superiorem in hujusmodi causam descendimus: initio nos dicemus vereri summam eius auctoritatem; sed partim prudentiæ ac justitiæ ejus, partim veritate ac bonitate causæ nixos, defensionem nostri suscepisse. Hinc, quæ pro nobis afferre possumus, summis, ac cum veneratione quadam, explicabimus. Denique quæ de amicitia antea monebamus, ea in observantiam ac cultum convertemus.

Quod si non factum negamus; sed rectè aliquid factum dicimus: primum considerare oportet, num quid defensitemus absolutè, directeque; ut si aliquid per se bonum sit: an verò extrinsecus causam quampiam arcessamus ad factum comprobandum. Prius si erit, nos mirari dicemus, vitio illud verti, quod laudi potius ducamus. Etiam, quid à nobis factum sit, breviter explicabimus. Tum rationes adferemus, unde alter aliquid sic fieri à nobis deesse intelligat. Rationes illæ, ut libro primo diximus, petuntur ex facti proprietatibus & effectis, legibus divinis & humanis, consuetudine, judicatis, & pactis, item exemplis aliorum. Argumenta quoque ea, propter quæ alter præjudicio erga nos laborat, refellemus. Postremò dicere licebit, quamquam immeritò culpemur, nihil propterea de amore nostro detractum iri: sed deinceps etiam nos omnia amici causa velle: atque ut benevolentia & fidei nostræ periculum quacunque in re faciat, rogabimus.

Neque solum hæc locum habent, si nitamur ratione; sed etiam si verbis, quæ aliter ceperit alter, quam oportuit. Nam ut B. Petrus, apud Clementem quidem lib. I. Recognitionum, loquitur: *Solet interdum aliter dici quid, & aliter intelligi; dum aut minus lucidè profertur, aut minus vigilanter advertitur.* Hæc ad statum legitimum

pertinent: qui locum habere potest, etiam cum inficitia, aut malignitate adversarij, culpatur factum dictumve in se laudabile.

Idem ordo servandus, si causa per se fuerit infirma, eoque colore, ac causa aliqua extranea egeat. Ut si alterius injurijs sumus laesit: vel si in iram, metum, aliumve affectum, reiicienda sit culpa: aut si ex duobus malis elegerimus, quod melius, publicoque utilius foret: vel si necessitate sumus adacti, aut fortuna non fauerit instituto, aut imprudentia aliquid acciderit, non malitia. In cuiusmodi causis qualitatibus, & quantitatis status concurrunt. Qualitatis quidem, quatenus culpa à nobis remouetur in alium, vel aliud. Ut si insidiatorem occideris: vel Panico militum terrore exercitum amiseris. Quantitatis vero, quatenus, quod culpari posse merito videatur, extenuamus, immutando facti modum, locum, tempus: aut, si hæc non possumus, finem, & propositum. Vbi dicemus, noluisse nos alterum offendere: ut qui in maximis etiam malimus gratificari, quam vel in minimis adversari. Hæc nos indole esse, ac semper fuisse: testari id vitam omnem antea actam. Idem exposcere amicitiam, cui studuerimus, quam qui maximè. Atque ad eò nec causam fuisse, cur alteri malè vellemus. Ut hæc quoque, ubi de proposito alicujus agitur, locum habeat illud Cassij, Cui bono?

